Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de


Johann Jakob Rambach

Io. Iacobi Rambachii Theol. Doctoris Et Profess. Prim. In Academia Giessensi Institvtiones Hermenevticae Sacrae Variis Observationibvs Copiosissimisqve Exemplis Biblicis Illvstratae : Cvm Praefatione Ioannis Francisci Bvddei

Ienae: Sumptibus Ioan. Wilh. Hartvngii, 1752

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1045861235/phys_0001
DFG

F.c-3457. 1,2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0002
DFG

IO. IACOBI RAMBACHII
THEOL. DOCTORIS ET PROFESS. PRIM.
IN ACADEMIA GIESSENSI

INSTITVTIONES HERMENEVTICAE SACRAE

VARIIS OBSERVATIONIBVS
COPIOSISSIMISQVE EXEMPLIS BIBLICIS
ILLVSTRATAE

CVM PRAEFATIONE
IOANNIS FRANCISCI BVDDEI
THEOL. DOCT. ET PROF. P. O.



CVM PRIVILEGIIS.

IENAE
Sumptibus IOAN. WILH. HARTVNGII
MDCCLII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0003
DFG

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1045861235/phys_0004
DFG

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

IOAN. FRANCISCVS BVDDEVS

THEOL. D. ET P. P. O.

Si aliorum a me commendandi libri sunt, eos quam lubentissime commendo, qui mea commendatione non indigent. Atque ex horum genere eum esse, qui tibi nunc BENEVOLE LECTOR, offertur, intelliges, si eum inspexeris, quin potius, si legeris Non tamen dubito, si inspicies, quin lecturus & si lecturus, quin mecum prorsus adprobaturus sis. Quidquid enim placere, quidquid erudire & instruere, quidquid ad finem, quem auctor doctissimus sibi proposuit, consequendum, aliquem aptum reddere potest; haec omnia ita ibi inuenies, vt, quod expeti iure amplius queat, superfit nihil. Nec aliud quid ab eo exspectandum, qui, ingenii dotibus praestantissimis a Deo ornatus, summo studio eas litteras, quae interpretando illustrandove sacro codici inseruiunt, excoluit,

nec uno iam specimine, quid in hocce genere valeant humeri, quid ferre recusent, demonstrauit; quin qui iuuenes, magno concursu ad eum confluentes, ita erudiuit, vt plurimi, eum a nobis diuelli, et ad Hallensem academiam, non sine evidentissimo tamen Numinis nutu, euocatum transire, aegre ferant. Magna autem licet merito sit, quam auctor aput omnes, qui hisce litteris iustum statuere didicerunt pretium, de se excitauit, opinio; eam tamen hocce libro non tantum non imminuit, sed multum auxit; demonstrauitque adeo, quid res litteraria, quid ecclesia de eo sibi polliceri queat, praesertim postquam in nouo quoque a potentissimo Borussiae rege illi demandato munere, nouus quoque, idemque ampliſſimus, ingenii explicandi vires, illi aperitur campus.

Cuncta autem diligentissime circumspicienti ponderantique; num quid forte adhuc in hocce argumento, prout ab auctore pertractatum est, desiderari queat? nihil omnino occurrit; nisi forte quis existimauerit, tot iam doctissimorum virorum exstare libellos aut commentationes, de ratione interpretandi sacras litteras praecipientes, vt earum augere numerum superuacaneum videri possit. Cuiusmodi quid cum omnibus illis obiici soleat, qui aliquid, in quo alios iam sibi praeeuntes habuerunt, suscipiunt; quid ad hoc respondendum sit, nemo non perspicit.

cit. Sunt sane plurimi non modo ex nostrae, sed reformatae, immo & Romanae ecclesiae doctoribus, qui viam nobis ad scripturam sacram munire non uno scriptionum genere adgressi sunt, quos & ipse auctor clarissimus laudat. Sed, qui omnes hic rem acu tetigisse, aut ita exhausisse cuncta, putat, vt nihil aut corrigi ac emendari, aut addi etiam, aut magis illustrari queat; is, se neutiquam aequa cuncta ponderasse lance, demonstrabit. Certe vel Romanensium hoc patet exemplo. Cum enim nonnulli eorum, praesertim in Gallia, multum hic sibi ipsis tribuant, nostrorumque labores (quibus tamen ipsi haud raro quidquid boni aut egregii habent, debent) magno supercilio contemnant; quibusdam tamen recte dictis, falsa iterum & erronea admiscent, vt turpiter se sit decepturus, hosce qui elegerit duces.

Notum hodie & percelebre in Gallia est AVGVSTINI CALMETI, monachi Benedictini, nomen, tum ob commentarios in sacram scripturam, tum ob *dictionarium biblicum*, itemque *thesaurum antiquitatum sacrarum & profanarum*, seu dissertationes, commentariis eius insertas, deinceps seorsim impressas, in quibus omnibus id agit, vt ad scripturam sacram, recte & intelligendam & interpretandam, viam monstret. Nec diligentiam viri docti laude sua defraudandam existimo; num vero recto vbique incesserit tramite, ex regu-

lis, de ratione interpretandi scripturam sacram, quas ipsemet sibi constituit, intelligere licet. Refert eas, sed vt subinde censuram quamdam subiungat, IO. CLERICVS, vir clarissimus,* nec quidquam obstat, quo minus easdem hic exhibeamus.

Prima itaque haec est: *Inhaerendum est sensui, quem ecclesia scripturae dedit, speciatim in iis, quae ad fidem spectant.*

Secunda: *Cum scriptura sacra sit opus spiritus sancti, sine huius auxilio illa intelligi non potest, quod adeo serio & constanter ab eo petendum est. Si quis non nisi curiositate, aut cupiditate artem criticam exercendi adductus, ad sacras litteras accesserit, is, quae aedificationem & illuminationem promouere possunt, inde non relaturus est; et haec tamen sunt, quae in scriptura sacra quaerenda sunt, & quae Deus non nisi pauperibus spiritu et corde humilibus largitur. Ad allegoriam vero, aut sensum mysticum, tum demum recurrendum, postquam de sensu litterali satis certi sumus.*

Tertia: *Scriptores sacri non tantum quae veritati consentanea sunt, scripserunt, sed eo etiam id fecerunt modo, qui homines rationis vsu pollentes decet; ad allegoriam itaque, aut metaphoram non recurrendum, nisi ex sensu litterali aliquid absoni, aut impii resultet &c.*

Quarta: *Cum veritas quaedam vno in loco clare*

* Biblioth. anc. et mod. T. XVIIII. P. I. art. II. p. 120. sqq.

clare et euidenter, in altero obscure expressa est, ex loco clariori obscurior est interpretandus.

Quinta: *Magni momenti est, cuiuscunque libri nosse auctorem, quibus circumstantiis, quo tempore, qua lingua scripserit, quem sibi constitutum habuerit finem, pro quonam, aut contra quem scripserit.*

Sexta: *Non temere* (immo numquam) *dicendum est, scriptorem quemdam sacrum alteri scriptori sacro contradicere; contradictiones, quas nonnulli sibi deprehendere videntur, sunt apparentes, et tantum in vocibus, non in rebus ipsis consistunt.*

Septima: *Indoles geniusque linguae ebreae tam diuersus est a genio linguae gallicanae* (immo & graecae, latinae; germanicae, aliarumque) *vt idiotismos eius* (aut potius, vt IO. CLERICVS monet, *idiomata*) *modosque loquendi proprios sine singulari studio & diuturna experientia, cognoscere non liceat.*

Esse in hisce quaedam minime contemnenda, nemo negauerit, etsi iam pridem obseruata a nostratibus, diligentissimeque inculcata. Recte namque dicitur, sine spiritus sancti gratia & auxilio scripturam sacram non recte intelligi; recte, gratiam hanc atque auxilium precibus indefessis ab eo impetrandum; recte, illos, qui curiositate, aut studio, artem criticam tantum exercendi, ad sacras litteras accedunt, illuminationem, & quae ad salutem consequendam pertinent, inde

non referre, & quæ reliqua sunt eiusdem generis. Recte porro dicitur, ad sensum mysticum non recurrendum, nisi de litterali prius certi simus; litteralem quoque non deserendum, nisi quod absonum sit, Deoque indignum, inde sequatur; obscuriora ex locis clarioribus esse interpretanda; veras contradictiones non esse admittendas; summumque adhibendum studium; vt indolem geniumque linguæ ebraeae perdiscamus. Haec, inquam, & alia eiusdem generis, recte & egregie dicuntur; an vbique ab auctore, & aliis Romanae ecclesiae addictis, obseruentur, dispicere, nunc nostrum non est.

Certe haec omnia frustra dici, existimare aliquis posset, si primam regulam auctoris cogitet, quae principii loco ponit huncce sensum ceu verum esse admittendum, quem ecclesia, scilicet Romana, talem esse definiuit, saltem in iis, quae ad fidem spectant. Enimuero, si cuncta ad ecclesiae, & quidem Romanae, auctoritatem redeunt, quid opus est tot ambagibus, tot regulis, tot praeceptis hermeneuticis? Nec enim ea, quae ad fidem non spectant, tanti sunt, vt de iis magnopere sit laborandum. Iam pone, te per reliquas regulas, ab auctore constitutas, inuenire in rebus ad fidem spectantibus sensum, qui a sententia ecclesiae Romanae prorsus discedit; quid facto opus? Num deserendus? At tum regulae istae hermeneuticae nihil prosunt. Num ample-

plectendus? At repudiat eum ecclesia Romana, aut, si mauis, Romanus pontifex. Si dicas, fieri non posse, vt per leges hermeneuticas, rite adhibitas, alius sensus resultet, quam, quem Romana ecclesia calculo suo comprobat; primum quidem cum experientia pugnabis. Exempla quam plurima, aliter se rem habere, te docebunt. Deinde causam scire velim, cur Romanae hic standum sit ecclesiae auctoritate? Forte, quia ea sola regulis hermeneuticis rite vsa est? at quid obstat, quo minus & alii iisdem recte vti queant? aut, quia infallibilitatis dono gaudet, vt non tantum quid credendum, quid non credendum, sed &, quisnam locorum scripturae, in quibus de fide agitur, sensus sit, definire queat? At hoc si nobis auctor persuadere velit, magno conatu nihil aget; certe aliis luculentioribusque hoc demonstrandum fuerit argumentis, quam ab iis adlata sunt, qui ante eum idem saxum voluerunt. Possent circa reliquas regulas itidem adhuc nonnulla moneri; praesertim circa eas, vbi de sensu scripturae mystico, & allegorico loquitur, siquidem haud obscure innuere videtur, ac si vbique in scriptura sacra duplex sensus, litteralis & mysticus obtineat; sed nolo plura addere, cum ea, quae dixi, sufficiant, inde vt intelligamus, Romanensium de scripturae interpretatione scripta, bonis quibusdam mala habere admixta, adeoque caute legenda & adhibenda esse.

Meliora itaque, longeque praestantiora, nostrates suppeditant. Cum tamen nihil statim tam perfectum & omni ex parte consummatum sit, vt perfici vlterius & expoliri nequeat; laudandum vtique illorum institutum, qui hoc sibi datum credunt. Idque cum auctor doctissimus ita praestiterit, vt omnibus, qui simile quid adgressi sunt, palmam non tam dubiam fecerit, quam praeripuerit; non est, quod dubitemus, quin maxima ex hocce labore eius in ecclesiam redundatura sint commoda. Cumque idem longe plura maioraque de se nos sperare iubeat, Deum supplex veneror, vt eum quam benignissime conseruet, nouis in dies corporis animique viribus augeat, omnibusque eius coeptis prosperos & exoptatos largiatur successus. Ienae die XII. Aug. MDCCXXIII.

PRAEFATIO AVCTORIS.

Institutiones, quas vides hermeneuticae sacrae, inter praelectiones academicas natae sunt, BENEVOLE LECTOR. Quum enim Ienam diuino consilio delatus, per quatuor annos docendis bonis litteris vacarem; nihil mihi prius, nihil antiquius fuit, quam vt cupidos commilitonum animos diuinorum oraculorum tractationi adsuefacerem, pasceremque iis deliciis, quas philologia & exegesis sacra, coniunctissimae illae sorores, suis cultoribus

ribus subministrant. Vt vero felicius cuncta succederent, mearum esse partium duxi, vniuerso negotio solida substernere principia, studioseque instillare regulas hermeneuticas, ad quarum deinde praescriptum integrorum librorum interpretatio componi possit. Lustrabam igitur diligenter auctores, qui concinnandis compendiis hermeneuticis operam dederunt, vt, quem ex illis seligerem, praelectionibus academicis fundamenti loco subiiciendum, mecum statuerem. Hic vero, quod ingenue, & sine alienorum laborum contemtu, fateor, multa offendebam, quae minus placebant. Videbam hinc plurima omissa, quae non sine damno ab exegeseos sacrae candidato ignorantur; illinc addita superuacanea multa, quae nulla vel exigua se vtilitate commendant; quamuis plures defectu, quam copia laborare facile animaduerterem. Vsus itaque sum ea libertate, quae aliis, qui in academiis bonas litteras docent, concedi solet, vt scilicet aliquas positiones, breuissimas quidem, & in tabularum formam redactas, concinnarem, quas, in calamum dictatas, vberiori sermone, plurimorumque exemplorum copia, declararem: vbi, quum multorum rogatu saepius illae lectiones iterandae essent, plura subinde notatu digna obseruabam.

Tandem, vt fieri solet, auditores dictandi scribendique aliquod taedium cepit, fueruntque, qui rogarent, vt breues illae positiones

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0013
DFG

nes typis exscriberentur, quo illud, quod dictando insumebatur, tempus, adferendis in medium copiosioribus exemplis impendi possit. Ego vero optime gnarus, haec talia non esse, quae publicum ferre adspectum & in lucem protrudi queant, diu istum laborem precibus a me deuoluere studui: postremum tamen amicorum instigationibus victus, calamum operi admouere coepi. Ac primo quidem constitutum erat, nudas theses, paragraphis distinctas, typis tradere; earumdemque illustrationem, & ad dicta scripturae adplicationem, viuae voci reseruare. Sed quum cogitarem, alios etiam fortassis fore, qui, viua voce destituti, isthoc labore vterentur; malui libri molem, adspersis largiori manu exemplis, adaugere, quam committere, vt minorem, quam par erat, fructum ex eius lectione perciperent. Quid enim sunt praecepta sine exemplis, quibus regulae viuunt, quam aliqua ossium, carne & vita destitutorum, compages: maxime in re hermeneutica, vbi exempla praeceptis lucem clarissimam adfundunt.

En, LECTOR BENEVOLE, huius opusculi natales, cuius summam & argumentum subiecta praefationi tabula oculis tuis, vno velut in conspectu, obiiciet. Obseruabis ibi haud pauca, quae in plerisque compendiis hermeneuticis vel alto silentio praetermissa, vel nimis frigide ac ieiune tractata fuerunt. Certis omnia regulis & cautelis circumscribere studui,

dui, additis subinde obseruationibus specialissimis, ne quid deesset, quod ad formandum de quolibet argumento conceptum plenum & adcuratum, iure requiri possit. Fateor, non omnia propriae meditationi deberi, quae hic leguntur. Multa enim iam ab aliis viris eruditis occupata sunt, ex quorum laboribus hermeneuticis optima quaeque decerpere & in meum vel communem potius, vsum transferre licitum putaui; quorum etiam nomina grato animo laudaui, & ipsorum saepius verbis, quam meis, loqui malui. Non pauca tamen, ab aliis nondum obseruata, adieci, cunctaque in eum redegi ordinem, vt suo quaeque loco apte disposita sine negotio inueniantur. In regulis soliditati, in exemplis copiae studui; mentem meam perspicue non minus, quam succincte ac neruose, ne nimium excresceret libri moles, exprimere conatus. Selectos adieci singulis argumentis auctores, non sane vt inani pompae, sed vt vsui illorum nomina inseruirent, lectoresque haberent, vnde plura haurire possint, si nostrae adnotationes non satisfaciant. Praesertim id opus erat, libro tertio, quo de vsu aliarum partium eruditionis, quem illae studio exegetico praestant, copiose tractatur, & quaedam quasi bibliotheca exegetica instruitur. Auctores, quos citaui, quorumque verba transscripsi, si fieri poterat, plerosque ipse inspexi; in paucis, quos videre non contigit, aliorum fide standum fuit; a qui-

quibus si forte in errorem, quod tamen haud facile putamus, inducti fuerimus, gratias agemus ei, qui nos in viam amice reduxerit. Idem spondemus sicubi forte, vti homines sumus, a veri rectique tramite aberrauerimus: quod, quum numquam data opera, sed humanae infirmitatis vitio factum sit, veniam ab ingenuis modestisque lectoribus & rogamus officiosissime, & certa fiducia exspectamus.

Scripsimus non doctis ac peritis verbi diuini tractatoribus, sed hermeneuticae sacræ tironibus: parati, viua voce, quae incerta videri poterant, magis confirmare, omniaque maiori luci perfundere. Qui rectiora nouit, magno nos beneficio sibi obstringet, si ea candide impertiatur. Digna est enim hermeneutica sacra, in qua excolenda & ornanda, qui sacris operantur, omne studium iunctis inter se viribut collocent: maxime eo, quo viuimus, tempore, quo & Deus tot virorum pie doctorum opera lucem verbo suo accendit serenιorem, & satanas plures, quam umquam factum, satellites emittit, qui litterarum sacrarum auctoritatem conuellere, omnemque oraculorum caelestium interpretationem dubiam incertamque reddere omnibus ingenii lacertis contendunt. Rogandus igitur est ANGELVS INTERPRES, & mentis diuinae internuntius, IESVS CHRISTVS, vt contra inferorum portas, contraque petulantissimam illam & arrogantulam antiscripturariorum turbam, verbi sui honorem & dignitatem clementissime tueatur. Ita fiat! Dabam

Ienae, a. d. xx. Augusti, MDCCXXIII.

CON-

CONSPECTVS TOTIVS LIBRI.

Prolegomena pag. 1.

LIBER PRIMVS.

De fundamentis hermeneuticæ sacræ.

CAP. I.

De legitima interpretis sacri dispositione. 9

CAP. II.

De textu interpretando. 21

CAP. III.

De textus interpretandi sensu. 53

LIBER SECVNDVS.

De mediis hermeneuticae sacrae domesticis.

CAP. I.

De analogia fidei, genuinae interpretationis principio. 87

CAP. II.

De exegeticarum circumstantiarum consideratione 107

CAP. III.

De indagatione adfectuum. 122

CAP. IV.

De inuestigatione scopi. 145

CAP. V.

De instituenda cum antecedentibus & consequentibus collatione. 197

CAP. VI.

De scrutinio ordinis, textuumque sacrorum analysi. 217

CAP. VII.

De consideratione vocum ac phrasium singularum. 253

CAP. VIII.

De eruendis stili sacri emphasibus. 317

CAP. IX.

De parallelismo scripturae. 362

LIBER

LIBER TERTIVS.

De mediis hermeneuticae ſacrae externis & litterariis.

CAP. I.

De adminiculis grammaticis & criticis. 385

CAP. II.

De adminiculis rhetoricis. 429

CAP. III.

De adminiculis logicis. 440.

CAP. IV.

De adminiculis diſciplinarum realium; theologiae, philoſophiae moralis, matheſeos, phyſices, artis medicae & iurisprudentia. 456

CAP. V.

De adminiculis hiſtoricis, chronologicis, geographicis, genealogicis. 498.

CAP. VI.

De adminiculis ſcriptorum rabbinicorum. 530

CAP. VII.

De adminiculis profanorum auctorum. 554

CAP. VIII.

De adminiculis verſionum ſacrarum. 602

CAP. IX.

De adminiculis commentariorum. 663

LIBER QVARTVS.

De ſenſus inuenti legitima tractatione.

CAP. I.

De ſenſus inuenti cum aliis communicatione. 727

CAP. II.

De ſenſus demonſtratione. 745

CAP. III.

De ſenſus adplicatione poriſmatica & practica. 804

PRO-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0018
DFG

PROLEGOMENA.

Σύνοψις.

HErmeneuticae *sacrae proponitur*
I. Definitio, *& quidem*
1. *verbalis* §. I.
2. *realis, idque rursus in sensu ac significatione*
α) *generaliore* §. II.
β) *specialiore* §. III.
II. Synonymia *qua vocatur theologia exegetica, & donum propheticum* §. IV.
III. Existentia *variis argumentis adserta* §. V.
IV. Fata §. VI. *eaque in ecclesia*
1. *orientali* §. VII.
2. *occidentali* §. VIII.
V. Auctores, *qui compendia hermeneutica dederunt*
1. *inter veteres* §. IX.
2. *inter recentiores* §. X. & XI. XII.
VI. Vtilitas, *ac necessitas*, §. XIII.
VII. Diuisio *operis* §. XIV.

§. I.

HErmeneutica sacra, si vocis originem spectes, est facultas, diuinas scripturas interpretandi.* *Sacra* autem dum dicitur, a profana distinguitur, quae in humanorum scriptorum interpretatione versatur. **

* Graecis nimirum ἑρμηνεύειν est interpretari, siue ex lingua vna aliquid transferatur in aliam, eamque notiorem, vt Ioh. I, 39. I Cor. XII, 10. siue in eadem lingua sensus dictorum clarius exponatur, vt Luc. XXIV, 27.

** De qua videri potest IO. HENRICI ERNESTI *compendium hermeneuticae profanae*, Lipsiae MDCXCIX forma duodecima editum.

§. II.

Si *rem*, voce designatam, spectes, hermeneutica sacra diuersis modis definiri potest, prout vel cuiuis de christianorum grege homini competit,* vel rerum diuinarum doctoribus propria est ac peculiaris. Priori modo accepta, est facultas practica, qua homo christianus, bona mente, & obuiis bonae mentis adminiculis instructus, ac spiritus sancti lumine adiutus, scripturae sensum, ex ipsa scriptura, ad suam vtilitatem ac salutem scrutatur.

* Sic IO. CONRADVS DANNHAVERVS, in *hermeneutica sacra p. 2. Idoneus scripturae sacrae interpres est christianus omnis, certo tamen ordine, modo, gradu, ac talenti mensura.*

Posteriore modo accepta hermeneutica sacra, est habitus practicus, quo doctor theologus, necessariis adminiculis sufficienter instructus, praelucente spiritus sancti lumine, idoneus redditur, ad sensum scripturae legitime inuestigandum, inuestigatumque aliis exponendum, & sapienter adplicandum, vt hoc modo DEI gloria, & hominum salus promoueatur.*

* Eleganti similitudine DANNHAVERVS *loc. cit.* differentiam inter ἑρμηνείαν hominis indocti & docti explicat. *Sicut*, inquit, *elegantissima aliqua imago, e. c. Troiae incendium depictum, incurrit in oculum vel vulgarem, vel pictoria arte imbutum. Ille colores, figuras, lumina, vmbras, historiam ipsam animaduertit; hic insuper adfectus, mores, genium artis, decorum, symmetriam. Ille videt, quantum satis est; hic plus videt, plenius, clarius. Iam quid est vniuersa scriptura sacra, nisi pictura rerum diuinarum? Nemo christianorum est,*

est, qui non hic videre possit, quantum ad salutem ei sufficit: nec deest illi regula communis, quam quum sequitur, aberrare nequit. At theologus pluribus subsidiis instructus, exercitationibus sensibus politus, pro gradu talenti & vocationis, plus videre debet; nec videre tantum, sed & vindicare a pseudhermenia.

§. IV.

Solet autem haec pars eruditionis sacrae aliis insuper nominibus insigniri. Ab aliis enim *theologia exegetica* salutatur, * aliis *prophetia*, seu *donum propheticum* dicitur, quo nomine non solum in scripturis designatur cognitio ac patefactio rerum arcanarum, quas quis ex caelesti atque extraordinaria DEI reuelatione nouit; verum etiam donum, scripta sacra explicandi, siue illa euentus adhuc futuros, siue alia ad fidem & mores pertinentia, complectantur. **

* Apud graecos ἡγεῖσθαι est ducere, praeire. Matth. II, 6. vnde ἐξηγεῖσθαι, quod *proprie* significat educere, eductosque praeire; *improprie* exponere & declarare, Ioh. I, 18. Actor. X, 8. c. XV, 14. Qui enim verba obscuriora interpretatur, is velut ducis munere fungitur, qui ad verum orationis sensum, ex verborum cortice productum, viam lectori sternit & ostendit. Conf. synonyma διανοίγειν τὰς γραφὰς Luc. XXIV, 32. ἀνοιλύειν τὰς γραφὰς, Marc. II, 34. 2 Petr. I, 20.

** Sic Rom. XII, 6. 1 Cor. XII, 10. c. XIV, 1. 2. 3. 4. 5. conf. HERM. WITSII *miscellanea sacra, tom. I. lib. I. c. 2.* & FRANC. LAMBERTVM *de prophetia.*

§. V.

Dari autem eiusmodi disciplinam, quae in eruendo sacrarum litterarum sensu versatur, facile patet I. ex fine reuelationis. Ideo

enim DEVS voluntatem suam certis litterarum ac vocum signis expressit, vt ab hominibus intelligeretur; cui vsui regulae hermeneuticae in locis obscurioribus inseruiunt. II. ex praecepto diuino, quo scripturae nobis scrutinium demandatur.* III. ex CHRISTI, prophetarum & apostolorum exemplo; ** cui IV. accedit doctorum ecclesiae veterum pariter ac recentiorum praxis & exercitium.

* Esa. XXXIV, 16. Ioh. V, 39. vbi verba ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, cum SYRO interprete & SEB. SCHMIDIO, *in colleg. bibl. poster. p.* I. merito *imperatiue* accipimus.

** Matth. V, 21. sq. Luc. XXIV, 27. 1 Petr. I, 10.

§. VI.

Equidem diuersa admodum fata † studium exegeticum per lapsa post CHRISTVM natum secula expertum est, & nunc magno ardore, quamuis dissimili successu, excultum floruit, nunc tristi contemtu iacuit oppressum; siue graecam & orientalem ecclesiam respicias, siue latinam, per occidentis regiones dilatatam.

§. VII.

In *graeca* ecclesia per quinque priora, noui testamenti secula non contemnendi sacrarum litterarum interpretes ORIGENES, CHRYSOSTOMVS, THEODORETVS, & alii floruerunt, qui, si linguae ebraeae peritia, aliis-

† Pluribus haec deducta lege in *exercitationibus* nostris *hermeneuticis*, in adlocutione, quae primae dissertationi *de idoneo sacrarum literarum interprete* praemissa est. Iungatur cel. REIMMANNI praefatio ad *Rich. Simonis* historiam criticam commentatorum V. & N. T. a. CL. RVHLIO germanice versam. It. B. BVDDEI *isagog.* lib. *II.* c. *VIII.* §. 8. seqq. & cel. MOSHEMII *hist. eccl. N. T.* per singula secula.

aliisque adminiculis hermeneuticis, rectius instructi, ad istum laborem accessissent, non dubium est, quin egregii quidpiam fuissent praestituri. Mox, isto ardore extincto, ingens tepor secutus est. Pauci enim scripturam propria industria scrutari ausi sunt; plerique ea, quae maiores scripserant, compilauerunt.

§. VIII.

In *occidente*, inuerso ordine, initium studii exegetici friguit, medium tepuit, fine satis feliciter feruente. Per quatuor enim priora post partam salutem secula nemo fere fuit inter latinos patres, qui ad scripturam interpretandam animum calamumque adplicuisset. Medio quarto seculo HILARIVS PICTAVIENSIS istud iter ingressus est, quem deinceps AMBROSIVS, HIERONYMVS, AVGVSTINVS, aliique pauci secuti sunt. Mox rursus obscurata theologia exegetica per mille annos parum culta fuit: vsque dum laetiora sidera seculo decimo quarto in occidente orirentur, ex quo tempore linguae orientales diligentius cultae, & regulae hermeneuticae adcuratius expositae & adplicatae fuerunt.

§. IX.

Inter *veteres* sane nulli propemodum extiterunt, qui de hermeneutica sacra, in doctrinae formam redigenda, cogitauerunt;* Regulas tamen hermeneuticas tum generaliores, tum specialiores ex longa obseruatione sibi comparauerunt, quarum beneficio scripturam intelligere ac interpretari pro more suorum

temporum potuerunt. ** Nostro tempore, per DEI fauorem, breuior & expeditior via ad sacrarium exegeseos parata est, postquam tot eruditi viri in componendis institutionibus hermeneuticis operam & ingenium exercuerunt.

* Nisi huc referre velis AVRELII AVGVSTINI libros *de doctrina christiana*, & quae HIERONYMVS, in exegesi scripturae satis exercitatus, passim tum in *epistolis*, tum in *commentariorum* suorum *praefationibus* tradit, nec non quae ante Augustinum TYCONIVS *Afer*, nec non ADRIANVS, IVNILIVS & CASSIODORVS protulerunt. †

** Quas obseruationes vir diligentissimus MATTHIAS FLACIVS, in *claue script. part II. tract. II.* collectas, exhibet.

§. X.

Inter *ecclesiae nostrae theologos* id praestiterunt Matthias *Flacius* Illyricus, Salamo *Glassius*, Ioannes *Gerhardus*, Wolfgangus *Franzius*, Nicolaus *Hunnius*, Abrahamus *Calouius*, Ioannes Conradus *Dannhauerus*, Augustus *Pfeifferus*, Ioannes *Olearius*, Caspar *Finckius*, Ioannes *Rheinhardus*, Hermannus von der *Hardt*, Augustus Hermannus *Franckius*, Ioannes Benedictus *Carpzouius*, Ioannes Guilielmus *Baierus*, Ioannes Andreas *Schmidius*, Valentinus Ernestus *Loescherus*, Fridericus *Wernerus*, Io. Henricus *Maius*, Adam Erdmann *Mirus*, Ionas Conrad *Sebrammius*, Io. Ernestus *Segers*, †† cet.

§. XI.

† Conf. ven. BVDDEI *isagogen ad theologiam vniuersam* p. 1429.

†† Add. IOACHIMI LANGII *canones* hermeneuticos in introd. ad vitam & epist. Pauli. & MARTINI CHLADENII *institutiones exeg.* nec non OPITII & BOHNERI tabulas.

§. XI.

Inter *reformatos* eminent Andreas *Riuetus*, Daniel *Chamierus*, Abraham *Gulichius*, Io. Henricus *Hottingerus*, Io. Henricus *Heideggerus*, Matthias *Nethenus*, Io. Alphonsus *Turretin*; quibus & Ioannes *Clericus* in arte critica iungi potest, cum iudicio tamen legendus.

§. XII.

Inter *pontificios* Santes *Pagninus*, Franciscus *Sixtus* Senensis, Iacobus *Gretserus*, Cornelius a *Lapide*, * & alii, qui adparatus biblicos scripserunt, vt Nicolaus *Serarius*, Iacobus *Bonfrerius*, Ioannes de la *Haye*, Ludouicus Ellies du *Pin*, Io. Stephanus *Menochius*, Petrus Daniel *Huetius*, Richard *Simon*, Augustinus *Calmet*, ** ceteri, commemorandi sunt. † Isti tamen omnes, vti non pari studio, in hoc argumento versati sunt, ita, maiori in dies luce exegeticis sacris adfulgente, amplum nouarum obseruationum spicilegium aliorum industriae reliquerunt.

* Cuius tamen canones hermeneuticos parum saepe adcuratos, sed ad vim potius textui inferendam comparatos esse, obseruat IO. CONRAD. DANNHAVERVS *herm. sacr. p.* 392. Neque minus reliquorum pontificiorum, nonnumquam etiam reformatorum, interpretum exegeses multum trahunt ex priuatarum opinionum praeiudiciis.

** De cuius regulis hermeneuticis vide ven. BVDDEI praefationem, libro nostro praemissam

† Conf. ven. BVDDEI *isagogen p.* 1410. *seqq.* & ven. PFAFFII *hist. theol. liter. tom.* 1. *p.* 78. *seqq.* & adde pontificiis ASFELDII *regles pour l' intelligence de S. Ecritures.*

§. III.

Ceterum quod operae pretium faciat, qui regulis hermeneuticis recte comprehendendis animum adplicuerit, nemo, credo, erit, qui dubitet. Tanta enim est huius studii vtilitas, tanta neceſſitas, † vt hac ſcientia deſtitutus, ne nomen quidem theologi mereatur. Quum enim tota theologia ſcripturae ſacrae teſtimonio nitatur, facile adparet, nullam eſſe theologiae partem, quae ſine peritia exegetica rite tractari poſſit. Sine hac neque articuli fidei ſolide demonſtrari, neque controuerſiae theologicae recte decidi, neque caſus conſcientiae dextre reſolui, neque conciones ad populum haberi poſſunt. *

* Grauiter HIERONYMVS *ep. ad Paulinum tom. IV.* ed. Benedict. *part. II. p.* 571. in eos inuehitur, qui peritiae exegeticae expertes, verba ad populum faciunt. *Quidam*, inquit, *facilitate verborum, immo audacia, ediſſerunt aliis, quod ipſi non intelligunt, & ſi forte ad ſcripturas ſanctas venerint, & ſermone compoſito aures mulſerint, quidquid dixerint, hoc legem* DEI *putant, nec ſcire dignantur, quid prophetae, quid apoſtoli ſenſerint, ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia; quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum dicendi genus, deprauare ſententias, & ad voluntatem ſuam ſcripturam trahere repugnantem.*

§. XIV.

Liceat igitur & nobis poſt tot magnorum virorum labores in tradendis hermeneutices ſacrae

† Conf. IO. LEONH. RECKENBERGERI tr. *de ſtudio hermeneuticae ſacrae*, in quo de eius natura & indole, abſoluta in omnibus theologiae partibus neceſſitate, impedimentis ac mediis agitur. Ienae, 1732.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0026
DFG

sacrae praeceptis aliquid tentare, quod isthoc quidem modo, DEO adiuuante, fiet, vt, vniuerso argumento in quatuor libros distributo, *primo* libro fundamenta totius negotii iaciamus; *secundo* de mediis eruendi sensus domesticis atque internis tractemus; *tertio* de subsidiis externis & litterariis ordine agamus; *quarto* denique de sensus inuenti communicatione, demonstratione & adplicatione scitu necessaria suppeditemus.

LIBRI PRIMI
CAPVT PRIMVM
DE LEGITIMA INTERPRETIS SACRI DISPOSITIONE.

Σύνοψις.

Subiectum exegeseos est
- ℵ Commune, *quilibet christianus* §. I.
- ב Proprium, *doctor scripturae* §. II. *in quo requiruntur tria genera donorum* §. III. *scilicet dona*

I. Naturalia, *vt sunt*
1. *acre iudicium* §. IV.
2. *ingenium agile* § V.
3. *fida memoria* §. VI. *quibus additur epicrisis* §. VII.

II. Acquisita *studio & exercitatione, nempe*
1. *peritia linguarum*
a. *originalium, scil. ebraeae ac graecae* §. VIII.
b. *aliarum orientalium, in primis chaldaicae ac syriacae* §. IX.
2. *notitia aliarum disciplinarum* §. X. *& quidem.*
a. *instrumentalium* §. XI.
b. *realium* §. XII.
3. *facultas, animi cogitata apte exprimendi* §. XIII.

III. Spiritualia §. XIV. *& quidem*
1. in intellectu.

a. *lux caelestis*,
b. *sapientia diuina* §. XV.
c. *vacuitas a praeiudiciorum sordibus* §. XVI.
2. in voluntate,
a. *amor Christi*,
b. *amor verbi diuini* §. XVII.
c. *diligentia, ac laboris patientia* §. XVIII.
d. *sinceritas* §. XIX.
c. *sancta humilitas* §. XX.
3. in adfectibus, *tranquillitas* §. XXI. *quibus donis impetrandis, conseruandis & augendis* preces *inseruiunt* §. XXII.

§. I.

Vti quilibet homo christianus ad sacras scripturas diligenter legendas diuino mandato obstringitur; ita etiam de vero illarum sensu, quantum ad salutem satis est, adsequendo sollicitus esse debet, * nisi operam in legendo adhibitam perdere velit. Quod tamen vt praestet, non vasto opus est eruditionis adparatu. Quum enim in iis rebus, quae ad fidem & mores spectant, scripturam planam ac intellectu facilem esse merito contendamus, non vacuum illa dimittet lectorem, qui animi docilitatem probitatemque attulerit.

* vide not. in *prolegom.* §. II. & III.

§. II.

Quisquis vero in tractanda scriptura id sibi datum credit negotii, vt oraculorum caelestium mentem aliis etiam siue viua, siue scripta voce recludat: eum pluribus donis instructum esse par est, vt arduo illo munere in ecclesiae commodum recte fungatur, quemque sibi proposuit finem, feliciter attingat.

§. III.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0028
DFG

§. III.

In tres autem classes dispesci possunt sacri interpretis dona. Alia nimirum *naturae* beneficio obtingunt; alia per *industriam* & exercitationem adsiduam comparantur; alia denique *spiritualis* sunt indolis, & ex gratiae diuinae sinu proficiscuntur. De singulis seorsim, breuiter tamen & strictim, agemus. *

* Eo breuiores hic esse possumus, quum hoc argumentum peculiari dissertatione, *de idoneo sacrarum litterarum interprete*, sub praesidio venerandi praeceptoris IO. FRANCISCI BVDDEI, MDCCXX. habita, fusius a nobis fuerit tractatum, quae commentarii loco in hoc caput esse potest. †

§. IV.

Inter DONA NATVRALIA eminet *iudicium* subactum ac limatum, hoc est, ea mentis facultas, qua ideas inter se comparatas vel coniungimus, vel secernimus. Ista iudicii acrimonia ideo opus habet interpres, vt cuncta ad analogiam fidei, qua vix vlla delicatior, exigat; vt circumstantias omnes adcurate expendat; vt recte dispiciat dictorum scopum; vt inter loca parallela selectum prudenter instituat; vt denique vbiuis vera a falsis, certas rationes a coniecturis caute secernat, aliorumque interpretationes iustis aestimare ponderibus possit.

§. V.

† Recusa illa est multisque nouis accessionibus locupletata, cum reliquis dissertationibus Ienae habitis, sub tit. *Exercitationum hermeneuticarum*, Ienae *MDCCXXVIII.*

§. V.

Iudicio manus amicas iungat vis *ingenii*, ſpecialius ita adpellati, quo perceptas rerum imagines viua repraeſentatione nobismet ipſis proponimus, inque aptum ordinem digeſtas, aliis etiam ſiſtimus conſiderandas. Haec ingenii felicitas interpretem in indagando ſagacem, in coniectando * peritum ac prouidum, in induendis denique loquentium adfectibus, ** ac formandis rerum perſonarumque imaginibus, facilem reddit atque exercitatum.

* conf. de arte coniectandi vener. BVDDEI *philoſ. inſtrum. p.* 213.

** vide infra *lib. II. c. III. §. IV.*

§. VI.

Accedat denique *memoria* firma ac fidelis, tum vt linguas & diſciplinas neceſſarias mente comprehendat, tum ex illo theſauro depromat locorum ſimilium copiam, & quidquid de eodem argumento in ſcriptura legerit alibi, feliciter recordetur. Optimum enim interpretem merito dixeris, qui ſcripturas per ſcripturas explanare, locisque obſcurioribus ex clarioribus aliis lucem aliquam adfundere nouit.

§. VII.

Ceterum quum DEVS variis modis ſua dona diſpenſet, non putandum eſt, neminem ad ſacras litteras interpretandas idoneum cenſeri, in quo non omnes animi dotes ſum-

ſummo gradu emineant. Bene agitur, ſi tantum adſit, quantum ad finem conſequendum ſufficiat. Inſuper crebra exercitatione defectus virium ingenii, ſi quis adſit, non mediocriter poteſt emendari.

§. VIII.

Ad alterum genus donorum, *ſtudio & induſtria* parandorum, ante omnia pertinet *peritia linguarum originalium*, ebraeae ac graecae, ſine quo adminiculo interpres nec indagare verum ſcripturae ſenſum, nec ſine formidine oppoſiti aliis declarare, nec contra adverſariorum ſtrophas ac deprauationes ſartum tectumque praeſtare poteſt. * Miſerum autem interpretem, a quo haec omnia fruſtra exſpectes!

* Conf. de neceſſitate linguarum ſacrarum, maxime ebraeae, SAL. GLASSII orationem *de neceſſitate & vtilitate linguae ebraeae*, quam *libro* II. *philol. ſacrae* ſubiunxit. THEODORI HACKSPANII orationem *de vtilitate philologiae in theologia.* SIXTINI AMAMA *antibarb. bibl. lib. I p.* 121. BRIANI WALTONI *adparatum bibl. proleg.* III. §. 26. 10. SAVBERTI *palaeſtram philologico-theologicam p.* 360. FRANC. WOKENII *medit. priuatas, part.* II. *p.* 5. *&c.* & *infra* adlegandos. *p.* 604.

§. IX.

Cum linguarum originalium notitia porro coniuncta ſit aliqua peritia *linguae chaldaicae ac ſyriacae*; quarum illa non ſolum in nonnullis Ezrae ac Danielis locis interpretandis, ſed etiam in conferendis chaldaicis paraphraſibus requi-

requiritur; haec in antiquissima versione noui testamenti syriaca perlustranda vsum non contemnendum habet. Nec reliquae linguae orientales, sapienter adhibitae, exiguo adiumento interpreti erunt, in conferendis antiquis versionibus, radicibusque ebraeae linguae deperditis restituendis; quamuis illae non ita sint necessariae, vt sine damno iis carere neutiquam possit.

* Conf. STEPHANI MORINI diss. de *vtilitate linguarum orientalium ad intelligentiam scripturae sacrae*, & AVG. PFEIFFERI *crit. sacr. c. X p. 285. seq.* & *infra* dicenda, *p. 273. seqq.*

§. X.

Praeter linguas *aliarum quoque artium ac disciplinarum notitia* scripturae interpres indiget. Vbi tamen duos vtrimque scopulos euitandos putamus. Sunt enim, qui praeter grammatices & linguarum peritiam nihil propemodum ab exegeta postulandum esse existimant. Sunt contra, qui nihil prorsus illarum doctrinarum, quas humana mens suo ambitu complecti potest, ab eo ignorari volunt. Illi defectu, hi excessu peccant. Medium tenendum est.

§. XI.

Scilicet quum ars *grammatica* sit magistra illarum linguarum, quibus idoneus fontium interpres carere non potest, necesse est, vt solida eius fundamenta teneat. Neque praecepta *rhetorica* negligenda sunt, quae in dignoscendo charactere dicendi, tropisque ac figuris

ris orationis diiudicandis, vtiliter adhiberi possunt. Denique a saniore *logica* praecepta interpretandi generalia suppeditantur, ac sacrae exegeseos negotio substernuntur; vt alias vtilitates taceamus. *

* conf. de vsu harum disciplinarum instrumentalium *infra* dicenda *lib.* III. *c.* I. II. III.

§. XII.

Quum autem ieiuna ac sterilis sit verborum interpretatio sine cognitione rerum, opus est, vt hisce disciplinis instrumentalibus reales * iungantur. Hic chorum ducit *rerum diuinarum notitia*, tum quae in tradendis fidei doctrinis tum quae in formandis moribus versatur, ex qua genuini rerum sacrarum conceptus desumendi sunt. Praeterea animus interpretis si aliqua *scientia rerum naturalium ac mathematicarum, historiae*, item, *chronologiae, geographiae, antiquorumque rituum* tinctus fuerit, longe felicius in quam plurimis locis interpretandis versabitur. Cogitandum tamen est, artem esse longam, vitam breuem; exploranda mensura virium, cauendumque, ne sub eruditionis humanae adparatu & cortice, dulcis scripturae nucleus amittatur.

* de quarum vsu vide *infra lib.* III. *c.* IV. V.

§. XIII.

Denique aliqua adsit facultas, animi cogitata ac meditationes clare ordinatimque cum aliis communicandi. Qua in re ab vna parte taediosa obscuritas; ab altera molesta prolixitas diligentissime euitetur: quarum illa

la ex adfectata breuitate, ac neglectu ordinis; haec ex digreſſionibus in locos communes, aut profanae eruditionis campum, ſubnaſci ſolet.

§. XIV.

Neque tamen haec omnia ſufficiunt ad idoneum mentis diuinae interpretem conſtituendum, niſi accedat aliud *ſpiritualium donorum* genus, quod neque natura largiri, neque virium humanarum induſtria ſuppeditare poteſt. Atque hic generatim requiritur, vt, depoſito profano animi habitu, adſit animus viuo rerum diuinarum ſenſu imbutus, ac DEO iunctus. Arcana enim Domini cum timentibus ipſum communicantur. *

* Pſal. XXV, 14. Prou. III, 32. 1 Cor. II, 14. 15.

§. XV.

Speciatim INTELLECTVS ſacri interpretis perfuſus ſit puriore illa ac caeleſti *luce*, quae ſpiſſam ignorantiae noctem, cui mentes mortalium naturae vitio immerſae iacent, diſpellit, ſiue qua verbi DEI myſteria recte ac ſalutariter agnoſci non poſſunt. Accedat diuina *ſapientia*, quae a malis bona diſcernere, ac, dimiſſis inanibus, vtilia vbique conſectari docet.

§. XVI.

Quum autem praeconceptae opiniones, quas *praeiudicia* vocant, intellectui periculoſiſſime inſidientur, ſollicite ſibi interpres ab illarum contagio caueat. In primis proſcribendum ſibi putet *auctoritatis praeiudici-*

dicium, quo vel verſioni alicui receptae,* vel aliorum commentariis ** caecum ac ſeruum obſequium addicitur: nec non praeiudicium *receptae hypotheſeos*, ſiue falſa illa ſit ***, ſiue vera. Quamuis enim vera hypotheſis, in textum illata, doctrinae puritatem non laedat, in ſenſus tamen veritatem impingit, ac ſcriptori ſacro eam tribuit ſententiam, quae nunquam ipſi fortaſſis in mentem venit. **** Ceterum ne in ſcyllam incidat, charybdin vitaturus, oppoſitum vitium non minori ſtudio fugiendum eſt, habitus ſcilicet animi ſuperbus, qui contemtis aliorum omnium vel ſolidiſſimis explicationibus, non niſi ſua inuenta, quamuis antehac inaudita, penitus admiratur.

* Ita commentatores pontificii plerumque in commentariis ſuis non mentem ſpiritus ſancti, ſed mentem *vulgati* interpretis declarant, cuius verſionem caeca fide vbique ſequuntur; vnde tot portenta opinionum, e. c. de duplici gehenna, nimii caloris, & nimii frigoris, ex loco *Iobi XXIV*, 19. vbi vulg. *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis niuium, & vsque ad inferos peccatum eius*. vid. SIXTINI AMAMA *antibarb. bibl. lib. III. p.* 430.

** Ita auctoritas rabbinorum ſaepe impoſuit HVG. GROTIO. vide e c. eius adnotata ad Iob. XIX, 25. c. XXXIII, 23. vbi ad priorem locum: *Noui redemtorem meum viuum*, adnotat: *Haec verba, & quae ſequuntur, Iudaei numquam ad reſurrectionem retulere*. Vnde & ſibi ducit religioni, verba de Chriſto, & reſurrectione interpretari; merito ob id ab ABR. CALOVIO caſtigatus.

*** Qualis rurſus eſt HVG. GROTII ſociniana

hypothesis, † nomen יהוה in casu recto etiam angelis & aliis rebus creatis tribui, cuius ope multa scripturae loca peruertit. Vide eius adnotata *Iud. VI*, 12. 14. *c. XIII*, 21. cet.

**** Vt quando *Zach. V*, 3. per epistolam volantem *litterae indulgentiarum* romanorum pontificum intelliguntur, vera est hypothesis, omnes fures ac periuros secundum illas litteras fuisse absolutos, ac puros pronunciatos, vt habet B. LVTHERI versio. Num vero propheta id indicare voluerit, merito ab aliis dubitatur. Inscriptae enim erant volumini non plenissimae indulgentiae, sed diuinae maledictiones, sub Tito Vespasiano templum ac populum iudaicum inuasurae.

§. XVII.

Sacri interpretis VOLVNTATEM ornet flagrans *amor* IESV CHRISTI, qui scopus, nucleus & medulla est totius scripturae; vnde sua sponte nescetur sincerus *amor verbi diuini*, de Christo testantis, qui animum in scripturae tractatione occupatum tanta suauitate perfundet, tanta illius percellet admiratione, vt vix deponere rursus e manibus possit hunc thesaurum, omni auro pretiosiorem. *

* Psalm. CXIX, 16. 97. 127.

§. XVIII.

Hinc porro efflorescet sedulum atque *indefessum studium* in legendis attentissime ac meditandis scripturis, tantaque patientia laboris, quae nullis difficultatibus deterreatur. Haec

† Quam profligatam vide in ven. IOACH. LANGII *caussa Dei, tom. II. p. 359. sqq.*

Haec vti ignauiam, turpe vitium, ac scripturae interprete indignum, ex animo proscribet; ita etiam contra temeritatem, ac in definiendo dictorum sensu praecipitantiam, mentem muniet, quem infelicem foetum non raro continuandae meditationis impatientia ex se gignere & excludere solet.

§. XIX.

Hisce virtutibus addatur candida *animi sinceritas*, vt sepositio partium studio, & obliquis finibus procul remotis, res exegetica tractetur. Non hic sectanda est vana gloriola, ex doctis & ingeniosis commentationibus sperata; non adfectanda voluptas ingeniique titillatio, quae sensum gratum magis & argutum, quam verum quaerit; non praeposterum vtilitatis studium amplectendum, quod eo abripit interpretem, vt ad conciliandum aliorum fauorem, ac vitanda incommoda, secus sentientibus metuenda, omnia componat.* Veritas, ac promouenda per aliorum salutem diuina gloria, interpretis suprema lex esto.

* Conferatur de his spuriis finibus SAMVELIS WERENFELSII elegans diss. *de scopo interpretis*, quae exstat in *opusculis* ipsius *theologicis*, *philosophicis*, *& philologicis*, *p.* 370.

§. XX.

Postremo, quum DEVS arcana sua infantibus reuelare soleat, studeat interpres *sanctae mentis humilitati*, vt ideas suas DEI verbo modeste subiiciat; vt omnem exuat

eruditionis fiduciam; vt vltra luminis conceſſi menſuram nihil ſibi vmquam arroget, paratus, in dubiis & obſcuris rebus ignorantiam fateri; vt rectiora edoctus non pertinaciter ſententiam ſemel latam defendat; neque de rebus exigui momenti * cum aliis vehementer contendat. Denique vt & ſua ſcholia exercitatiorum iudicio lubenter ſubmittat, & aliorum audiat expoſitiones.

* Quo pertinet e. g. cucurbitaria illa controuerſia, vt a DRVSIO vocatur, inter magnos interpretes HIERONYMVM & AVGVSTINVM agitata, de planta illa Ionae, cuius vmbra tantopere gauiſus eſt, *Ion. IV, v. 6.* fueritne *cucurbita*, an *hedera*? Fatetur Auguſtinus, tumultum in templo motum eſſe, lecta verſione Hieronymi, qui pro cucurbita hederum poſuerat. Hieronymus contra conqueritur de quibusdam, qui propterea ſacrilegii ipſum damnarint. Ipſe Auguſtino acerbe & fere hoſtiliter reſpondet. conf. SAM. WERENFELSII diſſ. de *logomachiis eruditorum*, quae exſtat in eius *opuſculis*, *p. 453.*

§. XXI.

Si recte conſtituta intellectus ac voluntatis facultate, in ADFECTIBVS etiam tranquilla floreat ſerenitas. Longe enim profundius mens pacata ac bene compoſita diuinas veritates introſpicere ſolet, quam animus turbulentus, & adfectuum, irae, inuidiae, ſuſpicionis diſcordia concitatus. Vti ſol in aqua tranquilla clariſſima conſpicitur, qui in vndis fluentibus atque ſtrepentibus

nec

nec ita videri potest, nec vim caloris exferere.

§. XXII.

Ceterum quum omnibus mortalibus multae infirmitates adhaereant, cogitet scripturae interpres, iisdem se quoque esse expositum. Vnde non solum suae debilitatis memor, renouatum semper propositum ad verbi diuini interpretationem adferat; sed piis etiam ac seriis precibus supremum numen imploret, vt caelestem spiritum, optimum verborum suorum interpretem, ipsi largiatur, quo is retegat oculos mentis ipsius, vt diuinae legis mirabilia videat. * Pie AVGVSTINVS: ** *Sint castae deliciae meae, scripturae tuae. Nec fallar in eis, nec fallam ex eis.*

* *Psal. CXIX*, 18.

** *Confessionum lib. XI. c. 2.*

LIBRI PRIMI
CAPVT SECVNDVM
DE TEXTV SACRO, EIVSQVE ADFECTIONIBVS PRAECIPVIS.

Σύνοψις.

Connexio capitis cum praecedente §. I.

Textus scripturae sacrae *consideratur*

I. *ratione* linguae, *qua scriptus est*, §. II.

II. *ratione* praecipuarum adfectionum, §. III. *quae sunt*

1. *diuina origo atque auctoritas*, §. IV.
2. *integritas*, §. V. VI.

3. *simplicitas, cum maiestate coniuncta*, §. VII.
4. *vis & efficacia*, §. VIII.
5. *castitas & verecundia stili*, §. IX.
6. *cohaerentia*, §. X.
7. *plenitudo, breuitate temperata*, §. XI.
8. *certitudo*, §. XII.
9. *claritas & perspicuitas, obscuritate mixta; cuius declaratur*
α) *indoles*,
β) *vtilitas*, §. XIII.
γ) *causae*, §. XIV.

§. I.

Quomodo comparatus esse debeat idoneus sacrarum litterarum interpres, hactenus vidimus. Proximum huic est, vt de eius libri textu agamus, in quo explicando interpretis, hoc modo formati, labor atque industria versatur.

§. II.

Is diuersis *linguis* expressus est. In libris enim veteris instrumenti placuit spiritui sancto, linguam *ebraeam* adhibere, si pauca illa commata excipias, quae chaldaico sermone posterioribus quibusdam libris intermixta sunt. * In nouo foedere consignando *graeca* ** lingua vsurpata fuit, inter Iudaeos pariter ac gentes cultiores, ad regnum Christi vocandas, apostolorum aeuo recepta, quae tamen passim ad ebraei sermonis indolem conformata est, *** vt hoc modo concentus scripturae vtriusque testamenti non in rebus solum, sed ipsis etiam in verbis clarius obseruaretur. ****

* Scilicet Ierem. X, 11. Dan. II, 4. cap. VII. Esrae IV, 8. cap. VI, 18. cap. VII, 12-16. quibus com-

commercia, quae Iudaeis eo tempore intercedebant cum Chaldaeis, occasionem praebuerunt. †

** Quae enim de euangelio *Matthaei*, & epistola ad *Ebraeos* ebraice conscripta nonnulli veterum pariter ac recentiorum tradiderunt, fundamento carent, vt ostendunt IO. HENRICVS MAIVS, in *examine historiae criticae textus N. T. Richardi Simonis cap.* V. VII. XI. & FRID. SPANHEMIVS, *de auctore epistolae ad Ebraeos, part.* III. *cap.* II. *p.* 143.

*** Longae ac graues olim fuere virorum doctorum decertationes, de stilo N. T. cuius alii dictionem purissimam, & cum elegantissimis graecae linguae scriptoribus comparandam esse statuerunt, quod SEBASTIANVS PFOCHENIVS peculiari opusculo, quamuis non satis feliciter, demonstrare adnisus est, cui titulum fecit: *Diatribe de linguae graecae N. T. puritate, vbi quamplurimis, qui vulgo finguntur, ebraismis larua detrahitur.* Maiori autem eruditionis laude id praestitit ERASMVS SCHMIDIVS, in doctissimis *adnotationibus ad N. T.* & BALTHASAR STOLBERGIVS, in praeclaro opere, de *soloecismis* & *barbarismis, graecae noui foederis dictioni falso tributis*, Wittebergae MDCLXXXV. Alii contra stilum N. T. vt minus purum, & ebraismis largiter tinctum descripserunt, inter quos quasi familiam ducit THOMAS GATACKERVS, in *diss. de stilo N. T. contra Seb. Pfochenium.* Qui pro posteriori sententia militant, in vnum syntagma collecti prodierunt, cura IACOBI RHENFERDII, Leouardie, MDCCII. Qui priorem sententiam tuentur, in aliud syntagma coniuncti, luci publicae expositi sunt a TACO HAIO VAN DEN HONERT, Amstelaedami, MDCCIII. Quibus tamen ex vtraque parte plures addi possunt. Conferatur vir va-

† Conf. *de chaldaismo biblico* ven. IO. GOTTLOB CARPZOVIVS, in *critica sacra*, *p.* 275.

ſtiſſimae eruditionis, IO. ALB. FABRICIVS, *bibliothecae graecae lib. IV. cap. V. p. 224. ſeq.*

**** Minime igitur id ſcriptoribus ſacris vitio vertendum, quod mentem ſuam formulis loquendi, apud Iudaeos receptis, expreſſerint: neque ideo barbariſmi & ſoloeciſmi illis ſunt exprobrandi. Quum enim de rebus, gentilibus prorſus ignotis, eis dicendum eſſet, non mirum, illorum quoque dictionem a ſtilo ſcriptorum profanorum eſſe diuerſam; conf. celeberrimus CHRIST. MATTH. PFAFFIVS in *notis ad Matthaeum, p. 34.*

§. III.

Nunc tamen id potiſſimum nobis curae eſt, vt textus ſacri *adfectiones* expendamus, non omnes quidem, ſed illas praecipue, quae in tractatione ſtudii exegetici veniunt in conſiderationem, quippe quarum adcurata cognitio multis regulis hermeneuticis, penitius intelligendis, lucem accendit clariorem.

§. IV.

Ante omnia igitur de DIVINA ORIGINE ATQVE AVCTORITATE TEXTVS SACRI pluribus tractandum eſſet, niſi praecepta exegetica illis ſcriberentur, qui hanc ſcripturae ſacrae dignitatem agnoſcunt. Interim praeſtat argumenta, quibus illa euinci poteſt, * in promtu habere, atque ex auctoribus probatis, ** qui hoc argumentum ſibi pertractandum ſumſerunt, familiaria ſibi reddere, tum vt animum noſtrum recte confirmemus ac muniamus, tum vt tentatis etiam con-

consulere, & aduersariorum tela repellere valeamus.

* Possunt illa argumenta in tres ordines dispesci. I. in prima quasi acie merito collocatur *testimonium internum spiritus sancti*, 1 Ioh. V, 6. quod in legitima verbi diuini tractatione sese exserit, & omne dubium animo id sentienti adimit; † quamuis ad aliorum, qui illo non gaudent, conuictionem minus adhiberi possit. Sequitur II. *testimonium externum totius ecclesiae*, per omnia secula continuatum, tot martyrum sanguine obsignatum, & testimonio spiritus sancti subordinatum; Ioh. XXI, 24. Apoc. XXII, 17. Agmen denique claudunt III. *alia criteria fidem humanam quidem conciliantia*, sed si iunctim sumantur, adeo certam, vt parum absit a demonstratione; quae sunt vel a) *interna*, desumta 1. a *veritate* doctrinae, scripturis comprehensae, in dogmaticis, historicis atque propheticis. 2. ab eiusdem doctrinae *sanctitate*. 3. a *sufficientia* scripturae. 4. a *stili* simplici *maiestate*; vel b) *externa*, 1. a doctrinae *antiquitate*. 2. a *conditione scriptorum* sacrorum. 3. a *miraculis*. 4. ab admiranda conseruatione doctrinae sacrae. 5. ab ipsius diaboli odio aduersus scripturam. Conf. 10. FRANCISCI BVDDEI, praeceptoris pia mente venerandi, *institut. theologiae dogmaticae lib. I. cap. II. §. XIII. seq.* LAMPERTI GEDICKEN *primae veritates religionis christianae, cap. IX. X.* 10. FECHTII diss. *de mediis cognoscendi exsistentiam & diuinitatem scripturae sacrae.*

** Quo maxime spectat AEGIDII HVNNII tract. *de diuina scripturae sacrae maiestate & auctoritate.* PETRI DANIELIS HVETII *demonstratio euangelica.* SAMVELIS BOCHARTI *epistola ad Tapi-*

† Sex illud actibus absolui docet ven. CARPZOVIVS in *crit. sacra p. 86.*

Tapinum, qua scripturae sacrae diuinitas argumentis insitis probatur, quae ex operum ipsius tomo II. Halae seorsim, cum notis, anno MDCCXXII iterum recusa est; vt taceam, quae PETRVS ALLIX, MATTHAEVS HALE, CAROLVS WOLSELEY, EDVARDVS STILLINGFLEET, LESLY, ROBERTVS BOYLE, IACOBVS ABBADIE, & alii, de hoc argumento lectu dignissima scripserunt. †

§. V.

Textus sacri INTEGRITAS merito ab omnibus sanioribus philologis adseritur & vindicatur, qui & *litterarum characteres* eosdem esse statuunt, quibus viri diuini libros sacros olim exarauerunt, * & *punctorum vocalium figuras*, ab ipsis librorum auctoribus additas ** putant, & *accentuum* antiquitatem auctoritatemque singularem *** agnoscunt.

* Non multum equidem refert in ipsa exegesi, quibus *characteribus* codex ebraeus scriptus olim fuerit. Exegesis enim in sensu scripturae eruendo versatur, qui, quamuis litterarum ductus mutentur, saluus tamen & incolumis manet. Interim viri docti nolunt admittere, litterarum characteres, quos hodie samaritanos vocamus, eos ipsos esse, quibus Moses & prophetae olim, in libris suis conscribendis vsi sint; quorum loco Ezras, soluta captiuitate babylonica, Chaldaeorum characteres, vtpote Iudaeis notiores, substituerit. Sed potius adfirmant, characterem illum quadratum, quo nostri codices ebraei exarati leguntur, eumdem esse, qua substantiam suam, cum eo, quo Moses olim & prophetae libros suos consignauerunt. Argumenta videantur apud

† Addatur ven. IOACH. LANGII *caussa Dei tom. II. part. I. sect. 1. 2. & tom. III. lib. I. part. I. c. 1. 2. 3.* & IO. GOTTLOB CARPZOVII *critica sacra V. T. part. 1. c. 1. 2.*

apud IO. BVXTORFIVM, *filium*, in *diss.* IV. *de litterarum ebraicarum genuina antiquitate.* GVIL. SCHICKARDVM, *in bechinat happeruschim*, *p.* 80. *seq.* IO. LEVSDENIVM, *in philologo ebraeo, disput.* XI. & XII. MATTHIAM WASMVTH, *in vindiciis ebr. part.* I. *cap.* I. *sect.* I. & II. *p.* 35. *seqq.* NICOL. FVLLERVM, *miscellaneorum sacrorum lib.* IV. *cap.* IV. *p.* 431. quibus addatur IO. FRANCISCVS BVDDEVS, *hist. eccles. vet. testam. tom.* II. *p.* 997-1008. † Adde *infra* citandos, *p.* 611.

** Non hic sermo est de naturalibus *vocalium* sonis, quos litteris coaeuos esse, nemo dubitat; sed de signis, quibus soni illi exprimuntur, disquiritur: nimirum, an signa vocalium, quae hodie in codice ebraeo conspiciuntur, addita sint ab ipsis auctoribus cuiusque libri, adeoque diuinae sint auctoritatis? Primus, qui id inter iudaeos negauit, fuit ELIAS LEVITA, Germanus, homo loquax & audacis ingenii, qui circa initium seculi XVI vixit, quippe qui inuentionem punctorum vocalium, quae hodie in codice ebraeo conspiciuntur, magistris Tiberiensibus, sine omni e contribulibus duce, comite ac teste, tribuit, quem mox ex christianis secutus est LVDOVICVS CAPPELLVS, *in arcano punctationis reuelato*, qui ex ista hypothesi hoc consectarium deriuauit, puncta, consonantibus subscripta, pro re nata deseri mutariue libere posse. Hanc sententiam, quippe doctrinis suis de fontium incertitudine egregie fauentem, magno agmine pontificii amplexi sunt; quamuis nec inter nostrates ac reformatae ecclesiae doctores defuerint, qui illam adoptauerunt. A viris tamen prudentioribus, qui periculosissimas istius hypotheseos consequentias curatius peruident, merito punctis vocalibus Θεόπνευστος auctoritas vindicatur, *quia illis demtis, scriptura neque perfecta esset, neque*

† Et ven. CARPZOVIVS in *critica sacra*, p. 225.

neque certa, adeoque encomia, verbo diuino passim data, vt Psal. XIX, 9. CXIX, 105. admodum fallerent, quum vox vocalibus destituta, etiam intra nexum orationis, diuersimode lecta, diuersum etiam sensum non raro fundat. vid. pluribus IO. BVXTORFIVS *de punctorum vocalium origine, antiquitate et auctoritate.* MATTH. WASMVTH, *in vindiciis ebraic. cap. I sect III. p. 105. seq.* VAL. ERN. LOESCHERVS *de caussis linguae ebr. lib. II. c. III. 10.* CH. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. II. lib. III. c. II.* & in compendio AVGVSTVS PFEIFFERVS *criticae sacrae cap. IV. quaest. 2 p 85. seq* †

*** *Accentus* ebraeorum sunt signa distinguendarum, aut connectendarum partium orationis, pro ratione sensus, adfectus, vel elocutionis; de quibus merito IO. LIGHTFOOT, *in horis talmud. in IV. euangel p 143. opus*, inquit, *spiritus sancta sapit punctatio bibliorum, non opus hominum excoecatorum, perditorum, amentium*, quales Iudaei Tiberienses. Siue igitur ab ipsis scriptoribus sacris addita sint illa interstinctionum signa, siue ab Ezra, viro diuinitus adflato; quod ob defectum antiquorum monumentorum non liquet: satis tamen illorum auctoritas adparet, tum ex *necessitate*, respectu sermonis ebraei, qui ob plurimas caussas obnoxius est ambiguitati, sine accentuum adminiculo non facile tollendae; tum ex *arcto respectu* ad vocales, quarum mutatio saepe ab accentibus dependet. Quae contra accentuum vim obiiciuntur ab HELMONTIO, ea diluit AVG. PFEIFFERVS, *crit. sacrae p. 95.* quae a IO. CLERICO mouentur dubia, remouet vir diligentissimus IO. FRANCKIVS, in *praefatione diacriticae sacrae*, quae in vsu accentuum exegetico & emphatico ostendendo, multis aliis libris, de hoe argumento scriptis, palmam praeripit. Videatur rursus

† Add. ven. CARPZOVII *critica sacra p. 142. seqq.*

rursus MATTH. WASMVTH, *in vindiciis ebraic. part. I p. 150. seq.* & VAL. ERN. LOESCHERVS, *de causis linguae ebr. lib. II. c. V.* †

§. VI.

His igitur partibus, quae ebraeum textum constituunt, diuinam prouidentiam ita inuigilasse, ne quid in illis, quod momentum traheret, sensusque variationem inferret, corrumperetur, credere par est.* Vnde merito statuimus, textum veteris pariter ac noui instrumenti illibatum ad nostra tempora peruenisse, neque vlla sui parte, siue a iudaeis, siue ab haereticis, *** siue temporum iniuria, * siue incuria librariorum, ** ita esse universaliter corruptum, vt vera lectio prorsus fuerit abolita; multo minus, vt integri libri, quos ad canonem sacrum pertinere spiritus sanctus voluit, prorsus interirent.***

* Quum scilicet sine veris & incorruptis scriptis diuinis ecclesia subsistere non possit, quippe apostolorum & prophetarum doctrinae innixa, ratio postulat, vt credamus, Deum verbi sui integre seruandi singularem semper curam gessisse. Quum enim summa misericordia motus scripturam hominibus tradiderit, vt viam salutis in illa quaererent, & inuenirent, quis credat, illum permissurum fuisse, vt, ea corrupta & deprauata, homines isto fine exciderent; saltem non sine summo erroris periculo illum inde exspectarent; Qua in caussa merito prouocari solet ad verba Christi Matth. V, 14. quae argumentum praebent a minori ad maius: Si ne vnicum quidem iota legis diuinae perire debuit, multo minus

† Add. ven. CARPZOVIVS *loc. cit.*

minus librum, quo lex illa continetur, tanta corruptio inundare potuit, vt in multis locis de genuina lectione prorsus sit desperatum. Atqui verum est prius; ergo & posterius. Nam qui minora curat, maiora certe non praetermittet. †

** Iudaeis concredita fuerunt eloquia diuina V. T. Rom. III, 2. vnde pulcre ab AVGVSTINO dicuntur *gens christianorum scriniaria, baiulans legem & prophetas.* Interim eorum tanta fuit in hoc thesauro custodiendo diligentia, vt summa certe ipsis iniuria fiat, si tamquam codicis sacri malitiosi corruptores adcusentur; quod praeter Muhammedem in Corano passim, ex christianis etiam faciunt, inter veteres IVSTINVS *martyr, in dialogo cum Tryphone,* IRENAEVS, TERTVLLIANVS & alii; videatur BRIANVS WALTONVS, in *adparatu biblico, proleg.* VII. §. II. *seqq. p.* 277. inter recentiores maxime ISAACVS VOSSIVS, & nostratium etiam nonnulli; vid. IO. CHRIST. WOLFII *historia lexicorum ebraic. p.* 106. maxime tamen pontificii, inter quos omnes impudentia superat LEO CASTRIVS, qui iudaeos plus quam *quadringentis* locis, ex odio erga christianos, scripturas suas deprauasse contendit, vt perhibet ANTONIVS POSSEVINVS, in *bibl. sel. lib.* II. *c.* XV. *p.* 57. Recte potius alii obseruarunt, quod iudaei codicem sacrum corrumpere 1) *non debuerint*, alias enim DEVS scopo suo excidisset. 2) *non voluerint*, quippe ad superstitionem vsque in illo conseruando seduli, adeo vt mortem potius, omniaque tormenta subire vellent, quam vel vnum legis apicem mutare; conf. quae de superstitio-

† Adde quae de integritate codicis ebraei differit ven. CARPZOVIVS in *crit. sacra p.* 90. *sqq.* 785. *sqq.* Cum cura etiam argumentum de puritate & integritate codicis sacri, ratione 1. librorum, 2. linguarum, 3. literarum, 4. punctorum, 5. accentuum 6. verborum, 7. partitionis pertractat MART. CHLADENIVS in *instit. exeg. p.* 94-129.

stitione iudaeorum in tractando legis codice obseruauit GVIL. SCHICKARDVS *in bechinath happeruschim*, p. 10. seq. 3) *non potuerint*, neque *ante* Christi tempora, vbi in plurimas sectas diuisi fraudem occultare non poterant, neque *post* Christi & apostolorum tempora, ob sparsa per totum orbem exemplaria. Conf. pluribus SALOMONIS GLASSII *philologiam sacram*, *lib. I. tract. I. II.* & ABR. CALOVII *criticum sacrum p.* 401. *seq.* †. Ad ea, quae IO. CLERICVS, *art. criticae part. III. sect. I. c. II. p.* 13. de incuria iudaeorum circa codicem sacrum conseruandum ex 2 Par. XXXIV, 15. differit, conferantur quae ad illum locum adnotauit vener. IO. FRANCISCVS BVDDEVS, *hist. eccl. tom.* II. *p.* 560. it. in *instit. theol. dogm. tom.* I. *p.* 169.

*** *Haereticos* tentasse sacri codicis corruptionem, nemo diffitebitur, qui genium illorum hominum subdolum ac fraudulentum perspectum habuerit; sed perficere id numquam, ob exemplaria in manibus orthodoxorum versantia, potuerunt. Exempla quidem, quibus hoc probari possit, congessit BARTOL. GERMON, societatis IESV presbyter. *de veteribus haereticis, ecclesiasticorum codicum corruptoribus*, *lib.* I. *part.* I. *c.* V. *p.* 54. *seqq.* sed conf. quae ipsi oppositit PETRVS COVSTANT, in *vindiciis veterum codicum confirmatis*, *part.* II *p.* 50. *seq.* Add. ven. PFAFFII diss. *de euangeliis*, *sub Anastasio imperatore non corruptis.* † †

* Nulla enim hucusque corruptionis vniuersalis documenta, omni exceptione maiora, in medium proferri potuerunt. Qui ad *versiones* antiquas, a fontibus multum saepe dissidentes, prouocant, per-

† Add. ven. LANGII *causs. Dei, tom. II. p. 99. seqq.* & CARPZOVII *crit. p. 109. 950.*

†† Conf. cel. IO. FRICKII commentatio *de cura ecclesiae veteris circa canonem scripturae & conseruandam codicum puritatem*, Vlmae, MDCCXXVIII.

perinde faciunt, ac si quis solem a consueto cursu deflexisse inde probare velit, quia hoc vel illud horologium horam aliter indicet. Exempla quae LVDOVIC. CAPPELLVS *in critica sacra* (profanam potius dixeris) Lutetiae MDCL edita, in contrarium adfert, vindicauit IO. BVXTORFIVS, *filius, in anticritica, siue vindiciis veritatis ebraicae.* Addatur ABR. CALOVIVS, *in critico sacro*, *p.* 430. *seq.* & IVSTI CHRISTOPH. SCHOMERI *colleg. nouissimar. controu. p.* 190. *seqq.*

** Prouocatur quidem ad *varias lectiones*, in nouo foedere obuias, sed inde probari non potest vniuersalis corruptio: & sunt insuper pleraeque ita comparatae, vt sensum parum varient, saltem contrarium numquam producant. Vnde obseruarunt viri docti, ex variantibus lectionibus integritatem sacri codicis confirmari potius, quam destrui posse, siquidem inter illas semper etiam supereſt genuina lectio, a spiritu sancto profecta, secundum canones criticos facile eruenda; conf. ABRAHAMVS CALOVIVS *in critico sacro*, *p.* 459. *seq.* & IO. GVIL. BAIERVS, Aldorfiensis academiae ornamentum, in diss. *de variantium lectionum N. T. vsu & abusu.* Idem de variis lectionibus veteris testamenti, quas *Keri & Cetibh* exhibet, per omnium exemplorum inductionem probatum dedit MATTHAEVS HILLERVS in *arcano Keri & Cetibh.* †

*** Probari id solet tum *ex silentio Christi & apostolorum*, qui, quamuis saepe codicem V. T. auditoribus suis legendum commendauerint, numquam tamen quidquam in illo desiderarunt; tum *ex consensu veterum iudaeorum & christianorum*, qui eosdem sui canonis libros recensent, quos ad hunc diem habemus. Qui periisse videntur libri, illi *aut* 1) *hodienum in canone exstant*, vt liber domini, Esa. XXXIV, 16.

per

† Add. ven. CARPZOVII *crit. sacra p.* 328. *seqq.*

per quem secundum nonnullos Deuteronomion, secundum alios ipsa Esaiae vaticinia intelligenda sunt; item epistola Pauli ad Laodicenses, Col. IV, 16. per quam IO. MILLIVS, in *proleg. N. T. num.* LXXIV. epistolam ad Ephesios intelligit, quamuis alii rectius epistolam, a Laodicensibus ad Paulum scriptam, designari existiment; *aut* 2) *ad canonem nunquam pertinuerunt*, vt libri bellorum domini, Num. XXI, 14. liber recti, Ios. X, 13. & 2 Sam. I, 18. de quo videatur IOAN. GEORGII ABICHT dissertatio & vener. BVDDEI *hist. eccles. V. T. tom. I. pag.* 647. 945. *aut* 3) *ne quidem vmquam scripti fuerunt*, vt verba antiqua, 1 Par. IV, 22. prophetia Enochi, epist. Iudae, v. 14. cetera. Conf. IOSVAE ORITII dissert. *de libris adparenter deperditis.* MICH. WALTHERI *officina biblica*, §. 1308. 1401. & celeb. IO. CHRIST. WOLFII *biblioth. ebr. part. II. p.* 211.

§. VII.

In hoc autem sermone integerrimo & incorrupto admiranda lucet SIMPLICITAS,* cum singulari maiestate ** coniuncta, quae conspicitur tum in *credendis*, quae sine subtilibus demonstrationibus, per nudas adsertiones, vt DEO loquente dignum est, proponuntur: tum in *agendis*, quae sine rationibus persuasoriis, anxie conquisitis, & absque verborum fuco ac pigmentis, traduntur; *** quamuis plerumque nudae ac simpliciſſimae illae enunciationes, si recte examinentur, ponderosissimis grauidae sint argumentis.****

* Dum scripturae *simplicitatem* tribuimus, non intelligimus per stilum simplicem rude quoddam & incultum dicendi genus; sed stilum apertum, sincerum,

rum, qui ex ipsismet quasi rebus nascitur, & tum ad rei indolem, tum ad audientium captum per συγκατάβασιν diuinam adcommodatus est; vid. SALOM. GLASSII *philol. sacr. lib. I. tr. III. sect. II p. 277.*

Quae tamen in diuersis scripturae libris ac partibus, pro argumenti ratione, diuersos gradus admittit. Sic maior grauitas est in stilo Esaiae, docti & elegantis prophetae, quam in libro Iosuae, aut epistolis Ioannis. Immo de omnibus prophetis, his praecipue, qui ante tempora exsilii babylonici vixerunt, recte pronunciat CAMP. VITRINGA, in *prolegomenis*, ad *Esaiam* p. 12. *Illi a spiritu extra se rapti, & velut incensi inflammatique a caelesti igne, tam sunt magnifice, grauiter, copiose loquuti, vt cuique, eorum prophetias legenti, facile pateat, diuinum esse opus, humano ingenio maius perfectiusque. Turget oratio, & in sublime scandit: & tamen quod in ea exstat, non est immodicum, sed grande; non enorme, sed altum; non inane, sed magnificum & caeleste.*

*** Supremum scilicet Numen, rex regum, dominus dominorum, in scripturis loquitur ad subditos, a se factos, quibus vt effatorum suorum rationem reddat, indignum est postulare. Sufficit, *haec est voluntas Dei in Christo Iesu;* 1 Thess. V, 18. Si tamen nonnumquam persuasionibus vtitur, vt nos ad obsequium suauius flectat, amore ductus id facit, non officio compulsus.

**** Simplex e. c. videtur monitum Ephes. IV, 27. μὴ δίδοτε τόπον τῷ διαβόλῳ; sed quot verba, tot argumenta. Voce δίδοτε monemur, satanam quaerere occasionem ad nos perdendos & iugulandos. Stultus igitur sit, qui furioso tradat gladium, quo ab ipso perimi possit. Vox τόπον nos cogitare iubet, quod hac ratione malo genio hospitium praeparemus, ex quo, semel occupato, difficulter rursus profligatur. Durius eiicitur, quam non admittitur hospes. Nomen

διαβόλου

διαβόλου indolem huius hostis detestabilem nobis meditandam proponit, quod scilicet sit teterrimus sycophanta, omnium obtrectationum auctor, qui homines calumniarum suarum telis (διαβάλλει) traiicit, eisque mortifera vulnera infligit.

§. VIII.

Neque minus diuina prorsus VIS est & EFFICACIA stili sacri*, ad lectoris animum insigniter commouendum percellendumque conformata: quo pertinent tum efficacissima argumenta **, quae quasi arma & nerui sunt orationis; tum exempla egregia virtutum ac vitiorum, quae legentium animos valide adficiunt***; tum viuae ac spirantes rerum repraesentationes*; quibus accedit elocutionis indoles, quae, vbi res ita postulat, augustissimis troporum figurarumque luminibus est distincta**.

* Habet quidem etiam humanus sermo, recte comparatus, & argumentis idoneis instructus, vim quamdam & efficaciam, hominum animos commouendi. conf. IOAN. DAVIDIS KÜTTNERI diss. *de efficacia verbi humani*; sed scripturae sacrae, praeter vim illam naturalem, supernaturalis etiam inest, quae in affectibus spiritualibus, & supra hominum vires positis, producendis luculenter conspicitur; vid. 1 Cor. II, 4. Rom. I, 16. Psal. XXIX, 3. seq.

** Nemo ea de re dubitabit, qui epistolas Paulinas cum cura perlegerit, vbi tanta occurrunt argumentorum probantium atque commouentium pondera, quibus nemo resistere potest, nisi cui est triplex aes circa praecordia; vid. e. g. Rom. VI, 1. 2. seq. XII, 1. XIII, 11. 12. 1 Cor. XV, 16. seq. &c.

*** Multo maiorem *exemplorum*, quam praecepto-

ceptorum esse in animis commouendis efficaciam, nemo ignorat. Illis autem scripturam esse refertam, dudum obseruauit LVTHERVS, *praefatione in vetus testamentum. In primo,* inquit, *Mosis libro haud fere aliud videbis, quam exempla fidei & incredulitatis, item fructuum fidei & incredulitatis*, & quae sequuntur.

* Scilicet per illustres *typos* veteris testamenti, per *visiones actionesque* propheticas, vt Ier. XXVII, 2. XXVIII, 13. Matth. XXI, 19. per *parabolas*, Matth. XIII, *hypotyposes*, Psal. VII, 13. 14. Ioel. II, 2-10. & quae alia huc pertinent; vid. SALOM. GLASSII *philol. sacr. lib. I. tract. III. sect. III. pag. 282.*

** Vix vlla est inter praestantiores figuras rhetoricas, quarum non exempla in scripturis, maxime in sermone prophetarum, exstent; vt SAL. GLASSIVS docet, in *rhetorica sacra.* Haec omnia autem admirabilem sermoni addunt δέινωσιν atque efficaciam. Recte enim AVGVSTINVS, de *doctrina christiana, lib. II. cap. VI. Figuratae locutiones sacrae scripturae suauius & iucundius nos adficiunt, quam si eadem sententia planis verbis diceretur.* †

§. IX.

Similiter stili sacri CASTITAS *ac* VERECVNDIA, puriſſimo auctore digniſſima, attentionem meretur, qua fit, vt res obscoenae ac turpes, aut verbis ac phrasibus honestissimis exprimantur, * aut verecunda paraphrasi** circumscribantur. Si quae tamen in diuinis paginis occurrant, quae ab his legibus recedere videantur, nemo illis offendetur, qui eius rei causſas habuerit perspectas.***

* Ita e. c. menstrua feminarum profluuia *consuetudo mulierum* vocantur; Genes. XXXI, 35. perin-

† Adde IO. BRAVNII orat. *de elegantia stili hebraei V. T.* in *select. sacris, lib. V. p. 617.*

perinde vt HERODOTVS modestiae caussa vocat θηλείαν νοῦσον.

** Istae periphrases ita formantur, vt vel exprimatur antecedens, ac consequens lectori cogitandum relinquatur; vt Genes. XLIX, 4. 1 Sam. XXIV, 4. vel contra; vt Leuit. XV, 29. 2 Sam. XI, 4. vid. SALOM. GLASSII *philolog. sacr. lib. I. tract. III. sect. VIII. pag. 303.* & CHRISTIANI WARLIZII dissert. *de modestia scripturae in rebus verecundis.*

*** Quo pertinent α) *Populorum orientalium indoles*, qui, cum in climate calidiore habitent, res ad pudorem pertinentes latioribus limitibus circumscribere solent; vid. Genes. XXX, 1. 3. 15. Ruth. III, 9. Deut. XXII, 17. Es. III, 17. β) *Intrinseca factorum turpitudo*, quae non potuerunt non, vti contigerunt, a scriptoribus sacris narrari, quamuis id modestissime fiat; vt Gen. IX, 21. 22. XIX, 31. seq. XXXVIII, 9. 16. 18. Iud. XIX, 24. 25. &c. γ) *Intentio abominationis excitandae*; vt Ezech. XVI, & XXXIII. conf. ROB. BOYLE *de stilo scripturae sacrae, pag. 48.* edit. germ. & EDVARDI STILLINGFLEET *epistolium ad deistam p. 48.* Vera igitur obscoenitas, quae in allusionibus nequissimis, ac inhonesta rerum turpium delineatione consistit, in sacris paginis non reperitur; quamuis negandum non sit, multa ab interpretibus, partim negligentibus, partim petulantibus, in sensum obscoenum detorqueri, quae per se innocentissima sunt. Adde ven. VALENTINI ERNESTI LOESCHERI *breuiarium theologiae exegeticae, pag. 58.* & eiusdem de *caussis linguae ebr. p. 460.* item HERM. WITSII *miscell. sacr. tom. I. p. 98.* & MART. CHLADENII *instit. exeg. p. 170.*

§. X.

Stili sacri COHAERENTIA facit, vt apte omnia inter se connexa sint, quae scriptu-

ra continentur, quamuis ad ſuperſtitioſam & ſcholaſticam methodum* illa non ſit exigenda. Vbi vero occurrunt exempla dictorum, quae cum reliquo orationis corpore minus cohaerere videntur, tum ad cauſſas eius rei diligenter attendendum eſt **, quibus perſpectis, inoffenſo pede in eiusmodi abruptis, vt videntur, locis pergere licebit.

* De methodo ac ordine ſcripturae ſacrae vid. ROB. BOYLE *de ſtilo ſcripturae, p. 81 ſeq. 91. ſeq.* nec non SALOM. GLASSII *philol. ſacr. lib. I. tract. III. ſect VII. p. 299.* †

** Vbi ſcilicet ordo diſturbatus videtur, tum attendere iuuabit

1) *Ad ſpiritus ſancti in ſcribendo ſcopum & conſilium*, e. c. Eſ. XIV, 24 vaticinio de interitu Babylonis ſubiicitur prophetia, de clade notabili, qua adficiendus erat Sennacheribus in terra Israelis. Male haec cohaerere videntur; cum clades Aſſyrii cladem regni Babylonici longe praeceſſerit. Vnde & ipſe IO. BRENTIVS paullo audacius coniectat, hanc laciniam ad prophetiam de Babele non pertinere, ſed eſſe alterius cuiusdam prophetiae huius generis fragmentum. Sed recte ſe omnia habent, ſi conſilium Dei perſpiciatur. Docere nimirum voluit ſpiritus ſanctus, pios in notabili clade Aſſyrii habituros clariſſimum argumentum, & veluti pignus, Babylonicum etiam imperium, quod Aſſyriaco ſucceſſerat, ſuo tempore eſſe ruiturum, vt ſapienter obſeruat CAMP. VITRINGA, *comm. in Eſaiam tom. I. p. 489. 577.* Huc etiam pertinet, quando Chriſtus nonnumquam in ſermonibus ſuis, ad tacitas auditorum ſuorum cogitationes reſpondet, e. c. Ioh. VII, 23. ad

† Add. IO. MICH. LANGII oratio *de recondito ſtructurae biblicae artificio*, Altorfi recitata.

ad Mosen prouocauerat. Quum autem videret, in animis auditorum hanc subnasci cogitationem: *tu, vilis homo, cum Mose comparari non potes!* statim v. 24. subiungit: *Nolite iudicare secundum adspectum*, &c. conf. ROB. BOYLE *de stilo scripturae, p.* 118. & quae *infra* dicentur *p.* 207.

2) *Ad omnes rei circumstantias*; vt 1 Tim. V, 22. *Te ipsum* tum a peccatis alienis, tum a propriis *purum castumque serua.* v. 23. *Ne amplius aquam bibito.* Quomodo haec, inquis, cohaerent? Scilicet Timotheus ideo videtur aquae potum elegisse, vt concupiscentias carnis, quas sentiebat, felicius reprimeret. Monet igitur Paulus, castitatis studium ita esse colendum, vt ne corporis ac sanitatis vigor prorsus destruatur.

3) *Ad formam orationis dialogisticam.* Sic Mich. VI, 1. *propheta* loquitur; v. 6. *populus*; v. 7. priori parte *propheta*; posteriori *populus*; v. 8. *propheta* &c. Similiter in cantico perpetuus dialogus obseruatur, quamuis personae loquentes nunquam fere exprimantur: sic cap. I, 2. *sponsa* loquitur, v. 8. *sponsus*; v. 12. *sponsa*; v. 15. *sponsus*; v. 16. *sponsa*; &c.

4) *Ad parenthesin*, declarationis caussa insertam, quo adminiculo NORTHONVS KNACHTRVL, Anglus, *in animaduersionibus ad N. T.* multa loca, quamuis nonnumquam satis coacte, illustrare conatus est. Sic Num. V, 21. priora verba: *Tunc porro sacerdos adiurabit mulierem, addita formula exsecrationis, & dicet ad illam*; parenthesi includenda sunt. it. Deut. II, 20. 21. 22. 23. Dan. XI, 14. &c. Adde quae de parenthesibus monet IO. CLERICVS, *artis critieae part.* III. *sect* I. *cap.* XI. † Huc etiam pertinent *longiores digressiones* in stilo Paulino; vt

† Et quae ex instituto de illis tradit CL. CHRISTOPHORVS VVOLLE *de parenthesi sacra.*

Epheſ. III, 1-14. Phil. I, 26. cap. II, 17. Ebr. V, 11. cap. VI, 20. quibus etiamſi filum orationis interrumpi videatur, ſemper tamen aliquid continetur, quod ad rem quam maxime facit. Illud autem ſcribendi genus parentheticum partim adfectus, partim rei ſubſtratae plenitudo Paulo ſubminiſtrauit, vt monet vener. IOACH. LANGIVS *de vita & epiſtolis Pauli*, *p.* 353.

5) *Ad vim & veram ſignificationem particularum connectentium*, maxime ebraicarum, quae plures plerumque admittunt ſignificationes; inter quas illa ſubinde eligenda eſt, quae contextui eſt conformis; vide e. c. de particula ו celeberrimi IO. ANDREAE DANZII *interpretem*, §. 149. item quae monet ROB. BOYLE *de ſtilo ſcripturae p.* 93. & quae infra dicentur, *p.* 202.

6) *Ad ellipticum dicendi genus*, vbi ſaepe לאמר אשר, Pſal. II, 3. LI, 16. Num. XXII, 10. 11. aut aliud quid, immo integra ſaepe membra, ſupplenda ſunt; vt Rom. XV, 3. &c.

§. XI.

Succedit PLENITVDO ſtili ſacri, qua res ſiue hiſtoricae, * ſiue morales ** quantum ſatis eſt, plene & integre exhibentur: quae tamen admirabili BREVITATE ita temperata eſt, vt paucis verbis quamplurima ſaepe ſignificentur; quae breuitas tum in rerum deſcriptione, tum in conſtitutione ſtili luculenter conſpicitur. ***

* Quae ſaepe omnibus inſtructae circumſtantiis ita deſcribuntur, vt, qui hiſtoriam legit, rebus geſtis ipſe intereſſe ſibi videatur; vide e. c. hiſtoriam *Ioſephi* admirabili artificio a Moſe conſignatam; Gen. XXXVII. ſeq. hiſtoriam *exitus Iſraelitarum* ex Aegypto, ſecun-

cundum circumstantias antecedentes, comitantes, & consequentes memoriae proditam; Exod. I.-XV. Idem nonnumquam fit in rebus propheticis; vid. Esa. X, 28. seq. Ierem. XLVIII, 3. seq. Apoc. XVIII.

** Vbi rursus beneficia Dei, populi peccata, & similia oculis legentium plene subiiciuntur; vide e. c. Ezech. XVI. vbi Dei benefacta, & ingratus populi animus, viuis coloribus depingitur. Ephes. I, 3. seq. Vbi catalogus bonorum salutis, quae in Christo habemus, fuse describitur. &c.

*** Nimirum

I. *In rerum descriptione* conspicitur

1) *Dum scriptura, superfluis omissis, ea tantum narrat, quae ad rem praesentem faciunt.* Sic in miraculis Domini describendis, nulla circumstantia commemoratur, ex qua non veritas miraculi, & gloria Iesu Christi perspicue eluceſcat, vt ostendit SALOMO VAN TILL, *comment. in Matthaeum*, & THEODORVS ANTONIDES, *in declaratione miraculorum Christi.*

2) *Dum ex magno actionum ac rerum gestarum cumulo summas rerum ita proponit*, vt tamen nihil eorum, quae ad scopum pertinent, praetermittat. Sic Moses sex prioribus capitibus Geneseos historiam MDCLVI annorum scripsit, qua initia ac progressus verae ac falsae ecclesiae, siue regni lucis & tenebrarum, admirabili breuitate exhibentur.

3) *Dum ita instituit narrationem, vt quae deesse videntur, ex iis, quae expressa sunt, facili negotio colligi queant.* Sic Moses eximiam Adami sapientiam, quae pars fuit imaginis diuinae, intactam praetermittere videtur; verum, dum commemorat, quomodo singulis animantibus nomina, illorum naturam exprimentia, imposuerit, facile inde quisque coniectare potest, quanta ille sapientia floruerit. Conf. *Moses vindicatus cap.* IX. *p.* 201.

4) *Dum typos ac parabolas passim immiscet, vbi sub paruis inuolucris amplissima rerum momenta absconduntur.* Dum enim *typum* describit, simul ad antitypum oculos intendit, eiusque naturam & indolem lectori insinuat. Sic plenus sensus est verborum, Exod. XII, 46. Non confringetis ossa agni paschalis, vt inde medullam extrahatis; neque olim verus Dei agnus, qui mundi peccata tollit, cruriftagium in cruce patietur; coll. Ioh. XIX, 36. Similiter in parabolis plerumque adcommodatio ad rem propositam vel prorsus omittitur, vel conciso epiphonemate indicatur, lectori ad supplendum relicta; vt Matth. XIII, 31. vbi plenus sensus est: Vti granum sinapis, quantumlibet exiguum, in stupendae magnitudinis fruticem excrescit; ita etiam regnum gratiae a tenuibus initiis illustriora subinde incrementa capiet, & vna gens post alteram sub eius vmbra sese recipiet.

5) *Dum ea continet passim vaticinia, quae sub paucis verbis ingentem rerum gerendarum ambitum comprehendunt.* Ita quae Esaias, cap. X, 21. praedicit, de reliquiarum Israelis conuersione, implementum *inchoatum* acceperunt tempore Hiskiae; 2 Reg. XIX, 4. 2 Par. XXXII, 26. *continuatum*, sub finem exilii Babylonici; Zach. VII, 3. *completum*, tempore Messiae, secundum Deut. XXX, 2. 3. Ierem. XXIV, 7. &c.

II. *In constitutione stili*, vbi scriptura vtitur

1) *Vocibus*, quae sub paucis syllabis ingentem rerum copiam complectuntur, quo pertinent

α) *Vocabula metaphorica*; de quibus recte pronunciat CAMP. VITRINGA *proleg. in Esaiam, pag.* 10. *Est in translatis abundantior significatio, & plura rerum attributa simul menti contemplanda sistunt. Vtique, quando Dominus noster se adpellauit* pastorem, lucem mundi, panem vitae, *plus dixit, suisque cogitandum auditoribus obiecit, quam si simpliciter ecclesiae se dixisset* rectorem, doctorem, *eidemque praestitisse*

aeter-

aeternae vitae cauſſam. conf. etiam MAIMONIDES *in more nebochim, libro II. cap. XXIX.*

β) *nomina propria* ſignificantiſſima, quae ſaepe totius perſonae aut rei indolem duabus quatuorue ſyllabis repraeſentant. Sic nomen IESV inuoluit, tum liberationem ab omni malo, peccato, morte, maledictione, inferno &c. tum largitionem omnium bonorum, in regno gratiae, & gloriae. Sic etiam ſe res habet in nomine *Meſſias, Immanuel cet.*

γ) *nomina compoſita*, vbi vna ſaepe vox ebraea, ex diuerſis radicibus vel coniugationibus conflata, plura comprehendit, quae alia lingua vnico vocabulo exprimi non poſſunt. Sic Zach. X, 6. הושבותים ſignificationem trahit partim ex radice ישב *ſedere, habitare*, partim ex verbo שוב *reuerti.* Duplex igitur vna voce beneficium promittitur; 1. *reductio* populi Iudaei in patriam, 2. *tranquilla collatio* & *habitatio* in patria. Pſal. XLV, 3. in voce יפיפית forma mixta occurrit ex *Kal* & *Pyal*, radicis יפה qua reſpicitur ad diuerſas ſeruatoris θεανθρώπου naturas: diuinam, ſecundum quam *pulcher eſt*, & humanam, ſecundum quam per vnionem perſonalem *pulcherrimus factus eſt.* Pertinent huc etiam emphatica compoſita graecorum; vt ἐξαπατᾶν, Rom XVI, 18. ita *decipere*, vt animus e centro ſuo in transuerſum abripiatur. ἐυπερίστατος, Ebr. XII, 1. & alia. vide *infra p. 331.*

2) *Phraſibus*, quae breues quidem, ſed magnarum rerum pondere graues ſunt; vt *conterere caput ſerpentis*, Gen III, 15. qua deſtructio totius regni ſatanici, peccati, maledictionis, mortis &c. ſignificatur.

3) *Sententiis* conciſis, magni ambitus, tum in argumento *legali*, vt ſunt praecepta decalogi, quae mira breuitate inexplicabilia pondera continent, vt: *Non occides.* Hic 1. *prohibentur* α) omnia genera caedium, quae cogitatione, geſtu, verbis, opere committuntur. β) omnes occaſiones & cauſſae illorum ſcele-

ſcelerum, rixae, inuidia, ebrietas &c. 2. *iubentur* virtutes contrariae, manſuetudo, patientia, miſericordia, ſtudium pacis &c: tum in argumento *euangelico*, vbi rurſus ſaepe paucis verbis integer theſaurus ſalutis, per Chriſtum partae, inuoluitur, vt Matth. XI, 29. ἐγὼ ἀναπαύσω ὑμᾶς: 1. *in hoc ſeculo* α) in *iuſtificatione*, per ablationem culpae & poenae, ac donationem iuſtitiae meae; β) in *ſanctificatione*, per ablationem dominii peccati, & donationem ſpiritus ſancti; 2. *in altero ſeculo*, per aeternam quietem, in fruitione ſummi boni percipiendam.

4) *Genere loquendi elliptico*, tum in *vocibus* Ioh XV, 4. 5. tum in *ſententiis* & *membris* integris, quorum non raro alterum ex altero eſt ſupplendum, vt Pſal. I, 6. Prou. X, 8. de quibus pluribus videatur SAL. GLASSII *philol. ſacr. lib. I. tract. III. ſect. VI. pag. 293. & lib. IV. tract. II. obſ. 1 - XIII. pag. 1197.* & *infra* adnotata *pag 343.*

§. XII.

Ineſt porro ſtilo ſcripturae euidens CERTITVDO, ambiguitati oppoſita.* Quamuis enim nonnullae voces ac phraſes, in ſe conſideratae, varias admittant ſignificationes; ambiguitas tamen, quae inde metuenda erat, ſua ſponte exſpirat, vbi voces iſtae intra periodum digeruntur, & cum reliquo orationis corpore, certo ſcopo, coniunguntur: tum enim, regulis hermeneuticis rite adhibitis, vel alienae a contextu ſignificationes prorſus concident, vel facili negotio coniungi, & ſibi inuicem ſubordinari poterunt.**

* Probatur illa

I. *Ex indole auctoris ſcripturae;* qui ſine ambiguitate ad homines loqui & *potuit*, ipſe ſcilicet linguae opi-

opifex, omnisque euidentiae auctor; & *voluit*, quia amore ductus, & ad homines de salute aeterna instruendos loquutus est.

II. *Et disertis scripturae testimoniis*; vt Deut. XXX, 11. 2 Pet. I, 19. &c. quorum plura congessit IVTHERVS, *de seruo arbitrio tom. III. Ien. lat. fol. 177. 190.* Ceterum, ne quis putet, esse petitionem principii, vel rem redire in circulum, dum ex scriptura probamus, scripturam esse certam & perspicuam, legantur, quae ea de re monuit SAMVEL WERENFELSIVS, in dissert. *de triplici teste, de verbo Dei testante, sect. II.* quae exstat in eius *opusculis theolog. & philolog. pag. 170.*

** De qua *subordinatione* conf. *infra, p. 288.*

§. XIII.

Cum certitudine sibi sacri coniuncta est CLARITAS, & perspicuitas, qua fit, vt in rebus, ad salutem & fidem pertinentibus, sua luce scriptura radiet, * ita vt a quolibet, qui rationis vsu polleat, & debitam attentionem adferat, intelligi possit. Quamuis interim negari non possit, Deum illi luci aliquam hinc inde vmbram OBSCVRITATIS ** admiscuisse, cuius rei quin sapientissimas habuerit rationes, minime dubitamus. ***

* Passim enim *luci* & *lucernae* comparatur; Psal. XIX, 9. & CXIX, 105. Prou. VI, 23. Sane viri sancti eo fine scripserunt, vt docerent; Rom. XV, 4. & vt ea, quae docebant, homines intelligerent, crederent, scirent, saperent; Matth. XXIV, 15. Ephes. III, 4. 2 Tim. II, 7. vnde vsi sunt scribendi modo, qui esset dilucidus, Psal. CXIX, 104. 105. a nemine remotus, Deut. X, 13. 6. XXX, 12. omni sexui & aetati ad

ad intelligendum adpositus, Psal. XIX, 8. 2 Timoth. III, 15. 1 Ioh. II, 12. seq. conf. de perspicuitate scripturae MICHAELIS WALTHERI *officina biblica*, §. 252. seq. 10. FRANC. BVDDEI *institutiones theol. dogm lib. I. cap. II. §. XX.* GVSTAVI GEORGII ZELTNERI dissert. *scriptura, sua luce radians.*

** Non tribuimus scripturae sacrae obscuritatem *totalem*, ita, vt omnia cimmeriis tenebris inuoluta sint, traditionum face demum dissipandis, vt pontificii faciunt; neque *obiectiuam*, hoc est, quae in ipsa scriptura haereat. † Statuere enim lumen, quod ipsummet obscurum sit, adeoque nec illuminare alios queat, prorsus absurdum est. Sed admittimus tantum obscuritatem 1.) *partialem*, h. e. concedimus, dari quaedam in scripturis, quae difficulter a doctissimis etiam intelligantur, in rebus scilicet historicis, genealogicis, chronologicis, vbi desunt antiqua rerum monumenta; nec non in propheticis, ac dogmaticis: vbi tamen recte monet AVGVSTINVS, de *doctrina christiana*, lib. II. cap. VI. *nihil fere de illis obscuritatibus erui, quod non planissime dictum alibi inueniatur;* conf. e. c. Cant. V, 11. cum Luc. I, 33. it. Psal. XLV, 6. cum Ebr. IV, 12. it. Esa XXIX, 17. cum Matth. XXI, 43. nec non 2) *subiectiuam*, quae in subiecto legente haeret, quod aut ignorantia rerum scitu necessariarum, aut praua animi dispositione laborat.

*** Multiplex scilicet est *vtilitas*, quam intersperla scripturae sacrae obscuritas ex diuina intentione lectoribus adfert. Illa enim 1. diligentes scripturae scrutatores magis acuuntur in suo studio, 2. ignauis arcana oeconomiae diuinae teguntur. 3. arrogantia ingenii humani intra limites suos coercetur. 4. de imbecil-

† Vindicias scripturae obscuritatis & ambiguitatis accusatae dedit MART. CHLADENIVS, in *instit. exeg. p. 147. seqq.*

imbecillitate intellectus nostri in rebus diuinis admonemur, & ad spiritum cognitionis, piis precibus impetrandum, excitamur. 5. dum locis apertioribus fami occurritur, obscurioribus fastidia deterguntur, vt rursus eleganter ait AVGVSTINVS, *de doctrina christiana lib. II. cap. VI.*

§. XIV.

Causſae illius obscuritatis quaerendae sunt tum in *lectore*, eiusque & intellectu, & voluntate;* tum in *rebus*, quas scriptura tradit, si illae ita comparatae sint, vt aciem humanae rationis superent; ** tum in *sermone*, quo res proponuntur, vbi vel ideae, *** ex quibus sermo nascitur, obscuritati occasionem praebere possunt; vel voces * & constructiones, ** quibus ideae exprimuntur; vel integrae propositiones & periodi. ***

* Si scilicet in *intellectu* reperiatur linguarum scientiarumque necessariarum ignorantia, stupiditas, aut praeiudicatarum opinionum foecunda seges; in *voluntate* praui adfectus, vbi vel ea prorsus non videt lector, quae facile videre poterat, vel omnia ita videt, vti prauis suis cupiditatibus est conueniens. Conf. quae *supra c. I.* de intellectus & voluntatis dispositione diximus.

** Quo maxime pertinent 1. *Mysteria*, siue absolute, siue relatiue ita dicta, quae, quamuis simplicissimis saepe verbis in scriptura proponantur, tamen ab humano, hoc est, finito intellectu capi non possunt. 2. *Vaticinia* ab euentu nondum illustrata, qualia in postremis capitibus Esaiae, Ezechielis, Zachariae, apocalypseos, non pauca inueniuntur.

*** *Idearum* magnam esse varietatem, pluribus ostendit ven. IO. FRANC. BVDDEVS, in *elementis philos-*

philoſophiae inſtrumentalis, *part.* I. *cap.* I. *p.* 104. *ſeq.* nec non IOAN. CLERICVS, *artis criticae part.* II. *ſect.* II. *p.* 353. *ſeq.* Aliae nimirum ſunt ideae *ſimplices*, aliae *compoſitae*; aliae *abſtractae*, aliae *concretae*; aliae *ſubſtantiarum*, aliae *modorum* &c. quarum vix vlla eſt ſpecies, quae non anſam praebere poſſit, vt ſermo noſter aliis obſcurior eſſe videatur. Ita e. c. ad ideas *ſimplices* referendae ſunt ideae *ſenſationum*, ſiue ad viſum, ſiue ad guſtum, ſiue ad olfactum, & ſic porro, pertineant. Quum enim non omnes homines de iisdem rebus easdem habeant perceptiones, difficile eſt, & noſtram perceptionem cum aliis communicare, & aliorum mentem adcurate intelligere. Interim ſolemne eſt ſcriptoribus ſacris, de rebus ſpiritualibus eiusmodi adhibere dictiones, quae certam perceptionem in animis fidelium deſignant, vt Ebr. VI, 4. 5. Pſal. CXIX, 103. In nominibus notionum *compoſitarum* tamdiu haeret obſcuritas, donec omnes partes, quibus illae conſtant, ita peruideamus, vt nulla plane nos fugiat. Ita non poterit explicare, quid ſit βασίλειον ἱεράτευμα, 1 Pet. II, 9. qui non diſtincte ſciat, quid ſit *rex*, & quaenam habeat iura; deinde quid ſit *ſacerdos*, & quaenam habeat officia. *Regium* enim *ſacerdotium* eſt eiusmodi ſtatus, vbi & iura regis, & officia ſacerdotis ſpiritualis exercentur. Sic etiam in ceteris res ſeſe habet.

* Si ſcilicet occurrant I. *vocabula minus vſitata*, & quae iſto quidem tempore, quo auctor ſcripſit, ſatis nota fuerunt, poſtea autem in vſu eſſe deſierunt; vt נפילים Gen. VI, 4. שילה Gen. XLIX, 10.

II. *Vocabula peregrina*, quae nonnumquam neceſſitas & argumenti indoles requirit, vt צפנת פענח Gen. XLI, 45. שעטנז Leu. XIX, 19. ἀγγαρεύειν, Matth. V, 41. ἀβαδδών, Apoc. IX, 11. &c. conf. BARTHOL. MEYERVS, *in philol. ſacr. part.* I. *c.* II. III. IV. V. AVG. PFEIFFERVS, *de locis exoticis N. T.* qui tra-

tractatus *dubiis* eius *vexatis* subiunctus legitur. MARTINVS PETRVS CHEITOMAEVS, *de graecobarbaris N. T. quae orienti originem debent*; quae diss. in *Iac. Rhenferdii* syntagmate *de stilo N. T.* exstat. HADRIAN. RELANDVS, in diss. *de reliquiis veteris linguae persicae*, quae *tomo II. dissertationum miscellanearum* legitur.

III. *Vocabula aequiuoca* & ambigua, quae plures habent significationes, vt vox *spiritus*, de qua conf. MATTH. FLACII *clauis scripturae, part. I. p.* 1186. *mundus*, ibidem, *p.* 706. item quae mox *latiorem*, mox *angustiorem* significationem admittunt, vt φωνή, quilibet sonus, Act. IX, 7. at cap. XXII, 9. sonus articulatus; item quae mox *proprie*, mox *improprie* accipiuntur. Sic *ignis* saepe metaphorice designat iustitiam Dei vindicatiuam; Psal. XVIII, 9. Deut. IV, 24. tentationes; 1 Cor. III, 13. efficaciam verbi diuini; Ier. XXIII, 29. &c.

IV. *Vocabula synonymica*, si scilicet pro synonymis habeantur, quae, adcuratius considerata, non sunt synonyma, vt ברא & עשה, Gen. II, 3. quorum postremum significat *rem creatam vlterius elaborare & perficere*; vel, quae reuera sunt synonyma, pro vocibus rem diuersam significantibus habeantur, vt λατρέυειν, & δουλέυειν; conf. BALTHAS. STOLBERGIVS, in peculiari diss. quae tractatui ipsius *de soloecismis & barbarismis N. T.* subiuncta est.

V. *Vocabula abstracta* pro concretis adhibita, vt Leuit. VI, 14. *coctiones sacrificii frustorum*, hoc est, sacrificium in frusta diuisum, & coctum. Dan. IX, 23. *desideria tu es*, h. e. desideratissimus, ex desideriis (passiuis) totus velut compositus; coll. Cant. V, 16. Sic saepe *circumcisio* designat hominem circumcisum; Rom. III, 30. c. IV, 12.

VI. *Particulae orationis* non recte intellectae, & variis interpretationibus expositae, vt Ezech. IV,

12. Placentam pinſes בגללי צאת האדם vbi commoda interpretatione praefixi ב magna tolli poteſt difficultas, ſi obſeruetur, *cum ſtercoribus*, idem eſſe ac adhibitis, *loco ligni*, excrementis humanis arefactis, coll. v. 15. vt hoc modo ligni penuria, quam iudaei, a chaldaeis obſeſſi, paterentur, ſignificetur; coll. Thren. V, 4.

VII. *Nomina propria*, ſi ſcilicet α) *Idem nomen pluribus perſonis, vel locis tribuatur*, vt nomen *Pharao*, *Abimelech*, *Herodes*, *Caeſarea*, *Ramach*, & alia. β) *Si idem homo, vel locus plura nomina obtineat*, vt *Marcus* euangeliſta, & *Ioannes*, cognomine Marcus, Act. XV, 37. Col. IV, 10. γ) *Si pro nominibus propriis habeantur, quae tamen ſunt adpellatiua, & vice verſa.* vid. Mich. I, 10. 11. 12. vbi LVTHERVS nomina propria vrbium *Betaphra*, *Schaphir*, *Tſaanan*, *Maroth* &c. adpellatiue interpretatus eſt. Adde Gen. XXVIII, 19. apud LXX. it. Deut. I, 1. Dan. III, 1. Actor. XXVII, 13. Contra ex adpellatiuo ערבים *corui*, 1 Reg. XVII, 4. alii nomen proprium effingunt, & incolas vrbis *Orbo*, in limitibus Betſchean, alii alios intelligunt. conf. BRANDANI HENRICI GEBHARDI diſſ. de *Orebbim*, *Eliae nutritoribus*. Ceterum de nominibus propriis videatur SAL. GLASSII *philol. ſacr. libr. IV. tract. III.* & *infra p.* 520-521.

** Ad *conſtructiones ambiguas* maxime pertinet *coniunctio duorum ſubſtantiuorum*, quorum alterum eſt in *genitiuo*, qua pleraeque relationes exprimuntur. Sic Pſal. XXXV, 16. *ſubſannatores placentae* ſunt, qui propter placentam, ſeu exiguum lucrum, ſannis excipiunt innocentes; vbi exprimitur relatio effectus ad cauſſam. 1 Sam. XVI, 20. *aſinus panis*, eſt aſinus pane onuſtus. Gen. XLIX, 15. *aſinus oſſis*, eſt oſſibus & robore valens. 1 Cor. I, 21. μωρίᾳ κηρύγματος, eſt *concio*, quae hominibus *ſtultae* vide-

videtur; in quibus est relatio subiecti ad accidens, & sic porro. Vid. IO. CLERICVS *artis crit. part. II. sect. I. cap. XII.* & SAL. GLASSII *philol. sacr. p. 629. seqq.* Nec desunt *alia exempla constructionum ambiguarum*, quae ex scopo & contextu explicandae sunt, vt Esa. XXVII, 4. *ira non est mihi*; quod IVNIVS & TREMELLIVS *actiue* de Deo; LVTHERVS & alii *passiue* de ecclesia intelligunt. Huc etiam pertinent *idiotismi*, vel *idiomata* linguarum sacrarum, quum consuetudinis potius in loquendo ratio habetur, quam analogiae, aut regularum grammaticarum generalium; quorum ignoratio non potest non obscuritatem adferre. Vt Psal. LXXXVII, 4. איש ואיש *vir & vir* natus est in illa, id est, quam plurimi diuersissimarum nationum homines: Esa. III, 1. Iehoua ablaturus est משען ומשענה *fulcrum & fulturam*, id est, omnis generis fulcra. Ebraei enim praeter genus masculinum & femininum aliud non habent. conf. *infra lib. III. c. I. §. VI p. 392.*

*** Si loquendi formulae inter se connectuntur, ad iudicia mentis nostrae exprimenda, oriuntur *propositiones*; ex his vel amplificatis, vel coniunctis nascuntur *periodi*, ex periodis integra *oratio* componitur: in quibus omnibus ex variis caussis variae difficultates occurrere possunt.

Propositionum maxima est varietas, quarum aliae sunt *simplices*; eaeque rursus vel complexae, vel incomplexae; aliae *compositae*, vbi nonnumquam compositio *exprimitur*, vt fit in copulatiuis, disiunctiuis, conditionalibus, caussalibus, relatiuis, discretiuis; vel *non exprimitur*, vt fit in exclusiuis, exceptiuis, comparatiuis. Vid. IO. FRANC. BVDDEI *elementa philosophiae instrumentalis, p. 186.* † Obscuriores vero euadunt propositiones ac periodi,

† Addatur *ars cogitandi, part. II. c. V. seqq.*

1. *Si ab ordine cogitandi naturali discedatur*, vt si praedicatum praecedat, subiectum sequatur, Exod. XV, 2. *robur meum & canticum* est *dominus*; Prou. XIV, 32. *confidens est in ipsa morte sua iustus*; it. cap. X, 4. 20. cap. XI, 29. cap. XXVI, 6. 17. cap. XXVIII, 22. Ioh. I, 1. Θεὸς ἦν ὁ λόγος. † *Si multae cogitationes intra vnam periodum accumulentur & colligantur*, ita vt propositio principalis multas propositiones, vt vocant, incidentes complectatur. Sic Paulus, cui ob adfectus ac rerum abundantiam id solemne est, Rom. I, 1-7. hoc thema: *Paulus Romanis gratiam & pacem adprecatur*, ita amplificat, vt sex septemue propositionibus incidentibus distendatur; it. Eph. III, 1. seqq. Col. I, 3. seqq.

In integro orationis habitu, seu *stilo* difficultas quaedam & obscuritas oritur. 1. ex *forma* stili, vbi ex ingeniorum diuersitate iam breuis est, iam diffusus; mox planus, mox mediocris, mox sublimis, & sic porro; de qua diuersitate videndus IAC. MASENIVS, *in palaestra stili Romani*. 2. ex *materia*, vbi stilus est vel historicus, vel poeticus, vel dogmaticus &c. vid. IO. SCHEFFERVS *de stilo* p. 13. seq. Nullum autem est inter diuersa stili genera, quod non inexercitatis negotium facessere queat, maxime si auctor ad opiniones, ritus, consuetudines, quas lector ignorat, passim adludit; quod quum frequentissime fiat in stilo sublimi, plurimis prophetarum familiari, qui res, quas plano ac facili sermone tradere poterant, dictione copiosa, figurata, in varias aptata formas, prosequuntur, mirum non est, cum plurima obscuritatis nubecula esse circumfusum. Legantur, quae CAMPEGIVS VITRINGA monet de stilo ac phrasi Esaiae, *comm. in Esa. tom. I. in proleg. p. 10. seq.*

LIBRI

† Plura exempla collegit PHIL. ZEISOLDVS in *logica sacra N. T. part. I. obs. 2.*

LIBRI PRIMI
CAPVT TERTIVM
DE SENSV TEXTVS SACRI.

Σύνοψις.

Sensus scripturae sacrae exponitur
I. *Fundamentum*, quod in fine sermonis quaeritur §. I.
II. *Definitio*
a. generalis §. II.
b. specialis §. III.
III. *Diuisio* §. IV.
a. ratione *obiecti*, vbi sensus occurrit
α) grammaticus, §. V. VI.
β) litteralis §, VII. VIII. IX.
γ) mysticus §. X. XI. XII. XIII.
b. ratione *subiecti* §. XIV.
c. ratione *formae* §. XV.

§. I.

Homo ad societatem conditus, illam a Deo * accepit facultatem, vt mentis suae cogitata per certa signa cum sociis suis communicare possit. Hinc lingua ipsius ita instructa est, vt certos sonos articulatos, qui mentis conceptus exprimunt, formare queat, ** ex quibus, apte inter se iunctis, sermo componitur. Necesse est igitur sermoni siue pronunciato, siue scripto, *** inesse quandam vim, declarandi aliis ea, quae ab ipsis volumus intellecta.

* Reuelatio docet, primis hominibus facultatem loquendi ab ipso Deo fuisse inditam, quod supremo Numini aeque facile fuit, ac linguarum donum apostolis deinceps concedere, vt obseruat ven. IO. FRANC. BVDDEVS, *theol. moral. part. II. cap. III. sect V. §. 2. p. 522.* Iungantur eiusdem *element. philos. instrum. p. 180. seq.*

** Quanta

** Quanta hinc eluceſcat ſapientia diuina, fuſius docet IAC. WILHELMVS FEVERLIN, in diſſ. quae exhibet *argumentum exiſtentiae & prouidentiae diuinae, ex loquela hominis deductum.* Addatur celeberrimi Galli CORDEMOY tract. *de la parole*, & SAM. WERENFELSII doctiſſima diſſ. *de loquela*, quae in eius *opuſculis*, Baſileae iunctim editis, exſtat *p. 741.* †

*** Quia ſcilicet ſermo haberi non poterat, niſi ad praeſentes, & ſtatim, ac emiſſus eſt, in aere euaneſcit; hinc excogitata ſcriptura eſt, quaſi verba miſſilia & permanentia, quibus & cum abſentibus, atque adeo cum poſteritate loqui contingeret, vt monet FRANC. VALESIVS *in philoſ. ſacr. cap. III p 60.* Adde, quae de ſignis, quibus homines ſua ſenſa cum aliis communicant, docte diſſerit AVGVSTINVS, de *doctrina chriſtiana lib. II. cap I. II. III.* ††

§. II.

Per *ſenſum* igitur, quatenus ipſi *orationi* ineſt, deſignatur vis orationis ſignificatiua; quatenus *animo* legentis vel audientis ineſt, intelligitur conceptus, qui per verba * ſcribentis aut loquentis in mente lectoris producitur. Tunc enim alter, quae animi noſtri ſenſa, verbis prodita, ** recte intelligere dicitur, ſi eiusmodi rerum conceptus ex verbis noſtris ſibi formauerit, qui noſtris conceptibus plane ſunt conformes.

* Si verba id praeſtare debent, neceſſe eſt, vt loquens & audiens in verborum ac phraſium ſignificatione conueniant. Si quis enim vocibus eiusmodi ſignificationem adiungat, quam nemo ſciat, aut coniectando

† Plures dabit cl. AVG. GRISCHOVIVS, in *introd. ad philol. gen.* c. 2.

†† Add. SAM. PVFENDORFII *ius naturae & gentium, lib. IV. c. 1.*

iectando adsequi possit, is sermone abuti, aliisque data opera illudere velle merito iudicatur. Quod de scriptoribus sacris, diuino spiritu adflatis, vel nefas esset cogitare.

** Quum vero cogitationibus nostris semper fere certi adfectus, quos rerum indoles ac natura producit, iuncti sint; is demum plene penetrat in dicentis sensum, qui totum eius animum oratione exprimi animaduertit: quod in explicatione auctorum obseruare, res magni momenti est. Videantur HERMANNI VON DER HARDT *elementa exegeseos vniuersalis*, c. V. p. 43.

§. III.

Id si ad sacra transferatur, *sensus scripturae* est ille rerum conceptus, quem spiritus sanctus per verba scripturae, perque res, verbis comprehensas, * hominibus intelligendum exhibet.

* Duplicis scilicet generis signa in scripturis occurrunt, quibus Deus hominibus aliquid significare voluit. Primo enim *verba* sunt signa rerum, deinde *res* nonnumquam signa sunt aliarum rerum analogarum. Quod ex 1 Sam. XX, 20. 21. 22. illustrari solet.

§. IV.

Equidem vnius sermonis vnicus tantum esse potest sensus: * interim sensus ille, ab auctore intentus, vario respectu varie diuidi potest; ** quamuis hic alii excessu, alii defectu peccare soleant. ***

* Vt ad §. VIII. pluribus demonstrabitur.

** Ratione *obiecti* sensus dici potest vel grammaticus, vel litteralis, vel mysticus. Conf. not. p. 58. Ratione *subiecti* vel naturalis, vel spiritualis. Ratione *formae* vel genuinus, vel spurius.

*** *Exceſſu* ſcilicet peccant, I. *Veteres Iudaei*, qui in ſenſibus allegoricis multiplicandis mirum in modum luxuriantur, ac certum exploratumque habent, כי שבעים פנים לתורה *legem ſeptuaginta habere facies*, hoc eſt multis modis explicari, adplicarique poſſe; *vbi tamen ſaepe in cenſum venit, quidquid ipſorum cerebella nugaciter & ſuperſtitioſe ſuppeditant*, vt ait SALOMO GLASSIVS *philol. ſacr. lib.* II. *part.* I *tract* I. *p* 363. qui etiam hanc cauſſam eſſe exiſtimat, cur magis illi homines ament codices, punctis vocalibus deſtitutos, quia hoc modo largior ſenſuum prouentus naſcitur. Obſeruauit tamen IO. HENRICVS HOTTINGERVS, *theſauri philol. lib.* I. *cap.* II. *ſect.* VII. *p.* 234. recentiores Iudaeos *vnum* ſenſum ſimplicem ac *litteralem* agnoſcere, ac fundamenti loco reliquis adplicationibus ſubſternere.

II. *Patres*, (qui ſuam interpretandi methodum partim a Iudaeis, maxime Alexandrinis, partim a Platonicis acceperunt) quorum nonnulli cuiuis loco duplicem ſenſum, litteralem & myſticum, huncque rurſus multiplicem, tribuerunt, quamuis alii rectius ſenſerint. Vide SALOM. GLASSII *phil. lib.* II. *part.* II. *tract.* I. *p.* 358.

III. *Pontificii*, quorum interpretes non ſolum ſenſum myſticum diſpeſcunt in allegoricum, tropologicum & anagogicum; conf. ROB. BELLARMINVS *de verbo Dei, lib.* III. *cap.* III. SIXT. SENENSIS *biblioth. ſanctae lib.* III. *p.* 138. ſed nonnulli etiam multos litterales ſenſus immediatos eidem loco adfingunt, quos inter eſt IACOBVS BONFRERIVS *praeloqu. in totam ſcripturam, cap. XX. ſect. V.* IO. MORINVS, *in exercit. bibl. lib. I. exerc. VI. p.* 107. Qua quidem in re, dum ſcripturae foecunditatem commendare velle videntur, id agunt, vt ſcripturam reddant ambiguam & incertam, adeoque traditionum neceſſitatem nobis obtrudant.

IV.

IV. COCCEII *sectatores*, ex quorum hypothesi *verba scripturae tantum significant vbique, quantum significare possunt.* Solent quidem isti intellectus diuini foecunditatem praetexere, qui tamen ad certum aliquem conceptum determinatur, dum in eo est, vt suam nobiscum sententiam communicet. Nec inepte SAMVEL WERENFELSIVS, *in opusculis p.* 376. obseruauit, suam saepe, ac gloriae suae caussam agere, qui hac ratione caussam verbi Dei se acturos pollicentur. Quo enim latior creditur cuiuslibet dicti sensus, eo latiorem campum sibi obtinuisse laetantur, luxurianti ingenio fraena laxandi, & quidlibet in quolibet loco inueniendi. COCCEIVM tamen ipsum excusat filius † in *praefat. operum f.* 24. & ostendit, quod istum canonem suis limitibus circumscripserit.

Defectu peccare videntur, qui sensum mysticum prorsus excludunt, †† & pro nuda adcommodatione habent, de quo ad §. XI. pluribus erit dicendi locus

§. V.

Si verba in propria sua ac grammatica significatione accipiantur, exsistit inde sensus *grammaticus*, qui & sensus *litterae* dicitur, estque ille conceptus, quem verba ipsa, non nisi grammatice intellecta, in animo legentis gignunt. * Hunc quilibet equidem, linguae sacrae peritia satis instructus, adsequi potest, licet interim rem, verbis expressam, parum fortassis habeat perspectam. †

† Item ven. MVHLIVS, in praef. ad KRATONIS *gerettete Unschuld*, Egno c. 5.

†† Inter quos haud postremus est GVIL. VVHISTON in *collectione vaticiniorum scripturae*

* Ven. IO. CHRISTIAN. LANGIVS in nucleo logicae VVeisianae p. 786. vocat sensum *verbalem* vel *potentialem*, putatque

* Vt Exod. XX, 13. לא תגנב. Qui linguam ebraeam callet, facile intelligit, לא h. l. futuro praepositum, esse particulam prohibendi, coll. ven. DANZII *interprete* p. 96. תגנב esse a radice גנב quae notionem *furandi* habet, vnde vertendum: *non furaberis*, h. e. caue, ne alienas opes possessoribus inuitis eripias. Sic Esa XXI, 11. vox auditur ex Seir: *custos quid de nocte*, scil. effluxit, vel restat? Sistitur nimirum hic vates, vt vigil nocturnus, ad quem quaesitum veniunt nonnulli Idumaei, quasi dicerent: *Quid habes, quod de statu noctis explorati nuncies? ecquid nox profecit? quantum eius praeteriit? nihilne hactenus obseruas aurorae, molestas noctis tenebras pulsurae?* Haec qui adsequitur interpres, sensum grammaticum huius loci tenet; licet hactenus totam rem parum fortassis intelligat, & prorsus adhuc ignoret, quid per *noctem* h. l. intelligendum sit, num nox vmbrarum veteris oeconomiae, vt perperam COCCEIVS & alii? an nox ignorantiae & errorum? an nox calamitatum, quae Idumaeis sub iugo Babyloniorum incumbebant, quarumque finem cum finito Iudaeorum exilio praestolabantur; quod nexus postulat.

§. VI.

Quamuis iste conceptus, quem verba grammatice intellecta fundunt, non semper * sententiam spiritus sancti exhibeat; tamen a sensu litterae non est temere recedendum, ** atque deueniendum ad tropicam significationem, nisi euidens, & summa hoc postulet necessitas. *** * Vnde

esse *sensum sermonis in se spectati*, quo cognoscitur, quid verba significent ex sese; vti sensus *literalis*, *mentalis* vel *actualis* ipsi est *sensus sermonis spectati ex intentione loquentis*; qui porro est vel directe, immediate & *proxime intentus*, qui potest dici sensus literalis *patens*; vel indirecte, mediate & *remote intentus*, qui potest dici sensus literalis *latens* vel *mysticus*.

* Vnde etiam sensus non nisi improprie dicitur, propter quamdam similitudinem, quia scilicet verba sententiam quamdam exprimunt, licet auctoris menti haud semper conformem. Proprie enim *sensus* dicitur id, *quod sentit auctor*. Maxime vero id contingit, si sermo sit figuratus. Sic discipuli Christi non adsequebantur mentem magistri Io. XI, 11. 12. 13. quum de *somno* proprio ac naturali intelligerent, quae ille de morte Lazari intellecta volebat. Adde Matth. XVI, 6. 7. 12. Luc. XXII, 36. 38. Exod. XIII, 16. Cant. V, 1. Eiusmodi loca proprie & ad litteram accipere velle, multos parit errores, vt ostendit AVGVSTINVS de *doctr. christ. lib. III. p. 165.* & WILH. SCHIKARDVS in *bechinath happeruschim, p. 116.*

** Ratio scilicet docet, sine vrgente necessitate a propria verborum significatione non esse discedendum. Quum enim haec natura prior sit significatione figurata, quam partim ornatus orationis, partim necessitas inuexit; merito praesumitur, dicentem proprie potius, quam figurate loqui voluisse. Accedit, quod phrases tropicae orationem reddant obscuriorem; quum scriptor prudens id potius operam dedisse putandus sit, vt mentem suam clarissime proponat. Atque hinc etiam patet, cur in iis locis, *vbi fidei articulus ex instituto traditur*, propria significatio, quod ad rei substantiam attinet, quam maxime sit retinenda. Par enim est credere, auctorem, in rebus tanti momenti, ex quibus hominum salus aeterna pendet, adhibere voluisse verba intellectu facilia, nullisque tenebris inuoluta, ne lector incautus in errorum praecipitia ducatur. Hinc quilibet perspicere potest, minus recte agere, qui in verbis institutiones Matth. XXVI, 28. tropum admittunt; item qui historiam creationis ac lapsus Gen. I, II, III, allegorice interpretantur; quod tamen inter veteres

res pariter ac recentiores nonnulli fecerunt, vt docet ven. IO FRANCISCVS BVDDEVS in *parergis historico-theologicis, p. 161 seq.* Addatur LVTHERVS *tom. III Ien. lat. f 195* b

*** Ista *necessitas*, quae interpretem vrget, vt litterae proprietatem relinquat, *non* est

I. *Maior vtilitas*, & spes aedificationis vberioris, quam verba, tropice mysticeque accepta, promittere videntur. Quae res haud raro ORIGENEM a sensu litterali abstraxit. *Sic homil. VI in Genesin* scribit: *Quae nobis aedificatio erit legentibus, Abrahamum, tantum patriarcham, non solum mentitum esse, sed & pudicitiam coniugis prodidisse? Quid nos aedificat tanti patriarchae vxor, si putetur contaminationibus expositа per conniuentiam maritalem? Haec Iudaei putent, & si qui cum iis sunt litterae amici, non spiritus.*

II. *Nuda collatio aliorum locorum*, vbi vox similiter impropriam habet significationem, vt Marc. IX, 43. 44. πῦρ ἄσβεστον, col. Ier. XVII, 27.

III. *Quaeuis adparens difficultas*, aut *absurditas*, quam ratio fingit. Sic HILARIVS, AVGVSTINVS, & alii partes, absurdum putant, statuere, animantia, humanae rationis expertia, ad Deum clamare. Hinc Psal. CXLVII, 9. per *coruos* intelligunt gentes; per *pullos coruorum* christianos: sine necessitate! Quamuis enim modus illius rei nos lateat, possumus tamen hic, in euidentibus scripturae testimoniis adquiescere. Conf. tamen HERM. WITSII *exercit. in orationem dominicam, p. 11.*

Sed illa demum vera est necessitas,

I. *Si verba, proprie accepta, aliquid contineant, quod in doctrinam fidei, aut morum praecepta, alibi in scripturis tradita, impingat.* Spiritum sanctum enim sibimet ipsi contradicere, absurdum esset adfirmare. Sic conf. Ier. XXXI, 26. ebr. cum Psal. CXXI.

CXXI, 3. 4. it. Matth. XVIII, 8. *oculos eruere, corpus mutilare*, cum praecepto quinto, Exod. XX, 13. *non occides*, & adde AVGVSTINVM *de doctrina christiana, lib. III. c. X.*

II. *Si spiritus sanctus, optimus verborum suorum interpres, alibi de eadem re verbis propriis & clarioribus mentem suam exponat;* vt Matth. XIII, 15. coll. Marc. IV, 12. Luc. XI, 20. coll. Matth. XII, 28. Vbi saepe contingit, vt *in eodem sermone*, quae prius dicta fuerant tropice, mox propria oratione exprimantur; vt Ezech. XX, 37. 38. Esa. I, 22. 23. cap. XLIII, 20. 21. cap. XLIV, 3. 4. 5. cap. XLIX, 2. 6. cap. LI, 1. 2. Dudum id obseruauit HIERONYMVS ad *Esa. XIX. Moris est scripturarum, obscuris manifesta subnectere, & quod prius sub aenigmatibus dixerant, aperta voce proferre.*

III. *Si quid ex propria significatione resultet, quod plane ineptum sit, ac veritati aperte contrarium*, vt α) *si praedicatum aliquid contineat; quod subiecto, proprie accepto, nullo modo competit;* e. c. Matth. VIII, 22. alios mortuos sepelire, non potest dici de iis, qui vere ac naturaliter mortui sunt; it. Apoc. VI, 13. Luc. XIII, 32. Es. LXVI, 23. β) Si *euentus non respondeat praedictioni:* vt quando de repurgatione ecclesiae iudaicae, per calamitates exilii Babylonici, Esa. I, 25. dicitur: אסירה כל בדיליך *remouebo omnia stanna tua*, vbi ratio docet, haec non secundum sensum grammaticum accipi posse, quia alioquin euentus cum praedictione non conueniret, coll. Zach IV, 10. sed vti per *argentum* significari possunt pii, candidi, atque sinceri Dei cultores, ita *stanni* emblema aptum est ad designandos hypocritas, qui colorem argenti mentiuntur; pretio distant. Horum praedicitur remotio, quatenus humana imbecillitas, & ecclesiae illius temporis oeconomia id patiebatur. Sic etiam Esa. XIII,

10. 13. Ioel. III, 4. Cauendum tamen hic est, ne falsum praedictionis alicuius implementum fingatur, neue ob defectum implementi, futuro adhuc tempore exspectandi, propriis vaticinii verbis vis inferatur. Multa procul dubio in veteribus de Christo vaticiniis, ante implementum, figuratis verbis concepta multis visa sunt, quae tamen secundum litteram impleri DEVS voluit, vt C. VITRINGA *comm. in Esa. tom. II. p. 713.* & MOSES AMYRALDVS *praef. in paraphrasin psalmorum*, docte obseruant. Conf. ad hactenus dicta IO. CONRADI DANHAVERI *hermen. sacr. p. 259.* & SAL. TILLII *methodum concion. p. 51.*

§. VII.

Sensus *litteralis*, qui & *logicus* atque *realis* * ab aliis dici solet, est ille conceptus, qui ex spiritus sancti intentione immediate, per ipsa scripturae verba, siue proprie, siue figurate accepta, lectoribus insinuatur. **

* Quia non in nuda significatione grammatica vocabulorum haeret, sed rem ipsam vocabulis significatam complectitur. Ebraeis dicitur משמע *Maschma*, & פשוט *paschut*; graecis νῦς ac διάνοια. *Litteralis* vocatur a *littera*, synecdochice accepta, pro integra oratione, quae ex litteris ac vocibus apte componitur. *Istud* igitur, *quod in eiusmodi oratione a dicente, vel scribente proxime per verba intenditur*, sensus litteralis adpellatur. Vnde adparet, hunc sensum magni aestimandum, omnique opera ab interprete inuestigandum, minime autem contemnendum esse, vt multi faciunt, ex male intellecto Pauli effato 2 Cor. III, 6. *littera occidit*. Ibi enim per *litteram* minime sensus scripturae litteralis, sed *lex* intelligitur, vt tota orationis series osten-

ostendit. Bene igitur HERMANNVS VON DER HARDT de appellatione sensus litteralis: *Vile nomen litterae rem pretiosissimam notat, ad quam vix centesimus rite penetrat. Est enim id, quod reuera sentit auctor. Vnde omnis eius neruus ex mente scriptoris metiendus. Celsa mens, rem celsam voluens, adfectu celso, celsam gignit & grandem sententiam*; in *element. exeg. p.* 37. *seq.*

** Vt haec definitio recte intelligatur, sequentia obseruanda sunt. Dum hunc sensum ex *intentione spiritus sancti* deriuamus, eo ipso illum distinguimus a sensu litterae, qui etiam per verba scripturae *immediate* repraesentatur, sed, vt paragrapho antecedenti dictum est, intentioni spiritus sancti non semper respondet, vt Psal. XCI, 13. Esa. XXVII, 1. Huc quadrat dictum illud iure consultorum, qui intentionem legislatoris spiritum & animam legis esse dicunt. Per aduerbium *immediate*, discernitur hic sensus a sensu mystico, qui demum *mediante re*, vel *persona*, verbis expressa, significatur, vt §. X. pluribus dicetur. Quod denique diximus, hunc sensum per verba, *siue proprie, siue figurate* accepta, insinuari, probe obseruandum est. Si enim verba figurata sunt, ac tropum inuoluunt; tum is demum est sensus, a spiritu sancto intentus, quem verba fundunt, postquam tropus euolutus, & ad sermonem proprium reductus fuit. Ita, dum Ioannes Pharisaeorum turbam, quae se pro genuinis Abrahami filiis venditabat, (Io. VIII, 39.) *progeniem viperarum* adpellitat, Matth. III, 7. perinde est, ac si eos *filios diaboli* nominaret, Ioh. VIII, 44. coll. Luc. X, 19. Sic res etiam se habet Cant. IV, 4. 5. Psal. XLV, 6. &c.

§. VIII.

Sensus ille litteralis vnius loci non nisi *vnicus* esse potest, vt pronum est colligere, tum

tum ex indole mentis humanae, cuius conceptus inter loquendum in rem aliquam certam defiguntur; tum ex fine sermonis, ad docendum comparati, qui minime anceps ac dubius esse debet, qualis non potest non fieri, si plures sensus a docente simul intendantur; tum ex necessaria scripturae sacrae perspicuitate & certitudine, quae per multiplicem sensuum varietatem impeditur. *

* Recte tamen id capiendum est. Concedimus enim,

I. *Vnam saepe propositionem varias pati explicationes*, quae sensus diuersos fundunt, inter quos tamen vnus tantum a spiritu sancto potuit esse intentus. e. c. verba Iob. XIX, 25. ואחרון על עפר יקום ita plerumque vertuntur: & Goel ille *postremus super puluere stabit*, caesis ac prostratis hostibus. IO. COCCEIVS ita reddit: *postremus contra puluerem stabit*, atque mortua cadauera ipsi eripiet. IO. FRANCKIVS: *postremus pro puluere stabit*, mortuorum curam gesturus. SEB. SCHMIDIVS: & noui *postremum* hominem, h. e. in postremos dies promissum, *quod super puluerem resurget*. Alius: *quamuis* mors, *postremus* hostium, *contra puluerem*, siue corpusculum meum puluereum, *insurrexerit &c.* En varios sensus, ab interpretibus vni commati tributos. Quis autem diceret, omnes reuera esse a pronunciante intentos?

II. Concedimus *vnius dicti varios esse posse vsus, nonnumquam etiam lusus ingenii.* Sic verba Psal. XXIV, 1. *terra est domini*, hunc vnicum habent sensum, diuinitus intentum: Messiam esse dominum vniuersi terrarum orbis, cunctisque gentibus tempore noui foederis imperaturum; vnde illum ad

Palaesti-

Palaestinam, eiusque ciues, minime esse adstrictum. Interim ex hoc vnico sensu variae conclusiones deriuantur, 1 Cor. X, 26. 28. Quo etiam referri potest, quum nonnullis locis sensus *moralis* & *propheticus* a viris doctis tribuitur, quorum postremus tantum est determinatio eiusdem vnici sensus litteralis ad certa subiecta; quum moralis ad omnia subiecta pertineat, & quasi locum aliquem communem complectatur. Vide, quae ad Esa. XL, 29. 30. 31. CAMP. VITRINGA adnotauit.

III. Concedimus, quod probe notandum est, *vnicum illum sensum nonnumquam ex pluribus partibus, sibi inuicem subordinatis, esse compositum*, quem recte sensum *plenum* dixeris, hoc est, qui plenam Dei reuelantis exhibet intentionem, vt Ioh. XII, 32. *Quum exaltatus fuero a terra*, α) modo ignominioso, in crucem, β) modo glorioso, ad dextram patris, *omnes ad me traham.* Sic Esa. LIII, 4. per *morbos* intelliguntur morbi *animae* pariter ac *corporis.* Vtrosque Christus tulisse dicitur. Morbos animae ita, vt pro illis, per imputationem in se translatis, satisfecerit; morbos corporis ita, vt eos ab aegrotis abstulerit: quo posteriori respectu dictum adlegatur Matth VIII, 17. Huc etiam nonnulli referunt eiusmodi loca, *quibus inest sensus & litteralis*, per verba proxime intentus, *& mysticus*, per rem ipsam significatus, vt Exod. XII, 46. de osse agni paschalis non confringendo; it. Esa. XVI, 5. vbi vati duo obiecta obuersantur, thronus vmbratilis ac typicus Hiskiae, post cladem hostis Assyrii stabiliendus; ac thronus veri filii Dauidis, Messiae, θρόνος χάριτος, Ebr. IV, 16. Luc. I, 32. Ista certe combinatio duplicis respectus ad typum & antitypum, non magis duos sensus producit, ac combinatio corporis & animae duos homines efficit; sed

vnicus est sensus *plenus*, *praegnans* & *compositus*, qui se in duos veluti ramos ac partes, ex intentione spiritus sancti, in intellectu auditorum extendere debet. Conf. cel. CHRISTOPH. MATTH. PFAFFII *institut. theol. dogm. & moralis*, *p.* 84. 85. & HENR. MVHLII *discussio controuersiae inter Limborchium & Vitringa, de sensu scripturae mystico. cap. III. §. V.* †

§. IX.

Ceterum vti iste sensus in quolibet scripturae loco * summa cum cura inuestigandus est: ita religiosissime cauendum, ne illum in verba auctoris inferamus, sed potius inde feliciter efferamus. **

* Etiam in illis locis, *vbi* 1. *sensus mysticus latet.* Hic enim sensum litteralem, verbis proxime intentum, pro fulcro habet, cui innititur. 2. *vbi oratio tropica inuenitur.* Hic enim sensus litteralis est is, qui ex verbis, tropo liberatis, emergit, vt ad §. VII. obseruauimus.

** *Inferre* scilicet *sensum* dicitur, qui certum aliquem conceptum, mente anticipatum, explicationi alicuius dicti substernit, ac deinde verba ita torquet, vt cum illo conceptu consentiant. Ita qui hypothesin de Christo, pro solis electis dato, ad locum Ioh. III, 16. adferunt, coguntur *mundi* vocabulum ita interpretari, vt per synecdochen totius pro parte, nobiliorem mundi portionem, hoc est, electos, significet. Ex hoc fonte innumeri fluunt prauarum interpretationum riuuli, vt non inepte de sacra scriptura cecinerit SAMVEL WERENFELSIVS, in *fasciculo epigrammatum*, *num.* LX. *p.* 859.

Hic

† Add. CHRISTIANI BIBLIOPHILI, h. e. IO. GE. VNKAVFII, libellus *de foecunditate sensus in scriptura sacra* & ven. MVHLIVS *de Zelo* ὑ κατ' ἐπίγνωσιν, *p.* 178. *seqq.* it. in *praefat.* ad KRATONIS, *gerettete Unschuld.*

Hic liber est, in quo sua quaerit dogmata quisque; Inuenit & pariter dogmata quisque sua.

Quod nemo mirabitur, qui audiuerit, ipsum etiam BENED. SPINOZAM dogma suum de numine, rerum omnium caussa immanente, deque rerum omnium ex DEO emanatione, in verbis Ioannis I. epist. IV, 13. inuenisse, quae proinde fronti *tractatus* sui *theologico-politici* profanus homo inscripsit, refutatus a IACOBO STAALKOPFIO in *biblioth. Bremensi, class. IV fascic. IV. p. 663.*

Efferre autem *sensum* dicitur, qui conceptus scriptoris sacri, verbis impressos, ita eruit, vt suos conceptus, quam proxime fieri potest, illis conformet. Quo pertinent pulchra verba HILARII, *lib. I. de trinitate, p. 11.* Ed. Paris. MDCLII. *Optimus ille scripturae sacrae lector est, qui dictorum intelligentiam exspectet potius ex dictis, quam imponat, & retulerit magis, quam attulerit: neque hoc cogit videri dictis contineri, quod ante lectionem praesumserat intelligendum.*

§. X.

Supereſt ſenſus *myſticus*,* per quem intelligitur conceptus, qui non proxime per verba, ſed per res, vel perſonas, verbis deſignatas, a ſpiritu ſancto intenditur. **

* *Myſticus* hic ſenſus dicitur a *μύω claudo*, non quaſi ſemper myſteria fidei comprehendat; contrarium enim e. g. adparet ex 1 Cor. IX, 9. 10. coll. cum Deut. XXV, 4. Sed quia *magis occultus & clauſus* eſt, quam litteralis, qui ſtatim per verba, recte intellecta, menti ingeritur.

** Quisque facili negotio obſeruat, qua in re ſenſus myſticus cum litterali conueniat, qua in re discrepet. *Discrepat* in eo, quod literalis immediate ac proxime; myſticus mediate: litteralis per verba;

ba; mysticus per res, vel personas, verbis designatas, significetur. In scripturis enim non solum verba esse signa rerum, sed nonnunquam etiam res esse signa aliarum rerum analogarum, supra ad §. III. iam obseruatum est. Ita triduana *Ionae* in ventre piscis commoratio signum erat triduanae *Christi*, in sepulchro commorationis, coll. Matth. XII, 40. Ita *sacerdos* veteris oeconomiae Christi typus erat, qui in sola Pauli ad Ebraeos epistola decies ἀρχιερεὺς dicitur. *Conuenit* tamen vterque sensus in eo, quod mysticus a spiritu sancto, summo scripturae auctore, non minus intendatur, quam litteralis. Licet enim forte instrumenta, quibus ille in verbis suis consignandis vsus est, non semper sensum illum sublimiorem omni ex parte intellexisse videantur: minime tamen putandum est spiritui sancto quasi fortuito eiusmodi verba excidisse, quae duplicem illum respectum, litteralem & mysticum, sustinere possunt. Quin potius praescius ille spiritus, cui omnia opera Dei nota fuerunt a seculo, Act. XV, 18. pernoscens & clarissime praeuidens ἀναλογίαν, quae inter opera DEI, tamquam effecta consilii & prouidentiae eius, intercedit: crebro sic instituit & direxit suam orationem, vt nos admonuerit, de duabus rebus simul cogitare, quarum alteram respiceremus vt alterius umbram atque imaginem, vti monet cl. CAMP. VITRINGA *comm. in Esa. tom. II. p. 1051. a.* Ceterum sensus mysticus rursus dispesci solet in *allegoricum*, *typicum*, & *parabolicum*. Verum quum omnes istae species commune habeant fundamentum, quod scilicet res sint signa aliarum rerum, superuacaneum est, de illis multa disputare. Interim conferri potest SALGLASSII *philol. sacr. lib. II. part. I. tract. II. sect. II. p. 406. seqq.*

§. XI.

Equidem litigatum fuit inter eruditos, num

num ille conceptus, rerum analogia insinuatus, *sensus* scripturae adpellari queat:* Verum, si aequa iudicii lance res ponderetur,** adparebit, conceptum illum mysticum non modo verum esse sensum,*** sed etiam, vbi a spiritu sancto intentus est, litterali multo digniorem;* vnde omnino etiam vim probandi habet.**

* Fuerunt scilicet inter nostrates etiam theologos, qui non nisi vnicum scripturae sacrae sensum, eumque litteralem, admittere voluerunt. Vnde negare quidem non ausi sunt, dari in scripturis plurima loca, in quibus res, verbis expressae, diuinitus ad id destinatae sunt, vt sint symbola rerum aliarum: verum maluerunt, sensus litteralis ad aliam rem spiritualem adcommodationem vocare, quam sensum mysticum; sed talem tamen adcommodationem, *quam spiritus sanctus reuera intenderit*. Sic ABR. CALOVIVS *syst. theol. tom. I. p. 663.* & AVG. PFEIFFERVS *thesauri hermeneut. cap. III. can. X. p. 168.* Alii vlterius progrediuntur, & hunc sensum pro *nuda adcommodatione*, † praeter intentionem spiritus sancti facta, agnoscunt. Hinc euidentissima ebraei codicis oracula, quae ex intentione spiritus sancti litteraliter de Christo agunt, ad alias personas obtorto saepe collo rapiunt, & non nisi adcommodationem quandam ad Christum, omni probationis vi destitutam, admittunt. Quem errorem inter veteres iam erasse dicitur THEODORVS MOPSVESTENVS, qui seculo sexto docuit, per solam adcommodationem omnia de Christo in scripturis dici; merito proinde synodo Constantinopolitana secunda ob haec & alia somnia condemnatus. In-

E 3 ter

† Conf. de hac cel. PFAFFIVM *de recta theologiae typicae conformatione*, c. I. §. V. p. 11.

ter recentiores SOCINIANIS illa hypotheſis arridet, quorum veſtigia multi ex ARMINII & CALVINI ſchola, HVGO GROTIVS, PHIL. LIMBORCHIVS, IO. CLERICVS, IVSTVS HENR. IVNGMANNVS, † ac pauci alii, preſſerunt. Quantum vero damni iſta ſententia rei chriſtianae inferat, quiuis ad rem attentus animaduerſit, quum hoc modo plerisque veteris teſtamenti oraculis, quae apoſtoli, tamquam in Chriſto impleta, paſſim citant, vis ac neruus probandi omnis incidatur, illique nobis prorſus illuſiſſe dicendi ſint, vtpote qui ad teſtes prouocauerint, qui, ſi adiurentur, altum ſileant, aliaque potius omnia dicant, quam ad quae dicenda erant producti; vt pluribus oſtendit auctor libri: *Regles pour l'intelligence de ſaintes Ecritures, p. 2. ſeq.* Addatur THEODORICI HACKSPANII docta diſſ. *de accommodatione*, in *ſylloge diſp. p 417.* nec non HENR. MVHLII *discuſſio controuerſiae de ſenſu myſtico, Cap. II. p. 25. ſeq.* Iungantur infra dicenda *p. 156 & 789.*

** Lis ſcilicet inter noſtrates theologos non rem ipſam, ſed modum loquendi tangit. Nam GLASSIVS, BECHMANNVS, BAIERVS, CARPZOVIVS, & qui illos ſequuntur, vocem *ſenſus* in *latiore* ſignificatione accipiunt, vt denotet integrum conceptum, quem ſpiritus ſanctus non ſolum *per verba*, ſed etiam *per res*, verbis expreſſis, ſignificare voluit. Hoc modo nihil obſtat, quo minus in quibusdam locis duplex ſenſus, litteralis & myſticus, admittatur. Ex altera parte CALOVIVS, PFEIFFERVS, & qui eorum ſententiam tuentur, vocem ſenſus *ſtrictiore* modo acci-

† Huc etiam in prioribus editionibus retuleramus virum doct. RENATVM ANDR. KORTVM; qua in re nobis praeiuerat ven. MVHLIVS in *diſcuſſione controu. de ſenſu myſtico p. 37.* Sed quum V. Cl. iniuriam ſibi hac accuſatione fieri, datis ad nos litteris affirmauerit, ſeque ſententiam ſuam clarius explicaturum eſſe promiſerit, malumus interim iudicium noſtrum de eius hypotheſi ſuſpendere.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0088
DFG

accipiunt, pro illo conceptu, quem spiritus sanctus *per sola verba* intelligendum exhibet. Hinc sensum mysticum, quia non per verba, sed per res exhibetur, malunt adcommodationem sensus litteralis ad obiecta magis spiritualia adpellare, quam tamen a spiritu sancto simul intentam esse concedunt. Ita in re ipsa consentitur. Sic ipse AVG. PFEIFFERVS, in *critica sacra cap. V. sect. II. quaest. I. p.* 168. distinguit inter vocabulum sensus acceptum *rigorose*, pro forma adaequata verborum, & acceptum *latius*, pro omni eo, quod a spiritu in scriptura sacra intenditur, siue per verba, siue per res, siue immediate, siue mediate. *Posteriori*, inquit, *modo sensus mysticus, litterali contradistinctus, concedi quodammodo potest.* Sic item pariter decidit IO. FRANC. BVDDEVS, in *instit. theol. dogmat. lib. I. cap. II. p.* 162. Conferri etiam possunt IO. VELTHEMII & IO. TAVLI HEBENSTREITII dissertationes *de sensu scripturae litterali & mystico.*

*** Sensum mysticum, in significatione latiori acceptum, *verum esse sensum*, non nudam & arbitrariam vel *ad hominem* factam adcommodationem, inde patet, quia ille in multis scripturae locis, praeter sensum litteralem, hominibus a Deo cognoscendus exhibetur. Saepe enim contingit, vt scriptores noui testamenti loca veteris instrumenti de Christo adlegent, inque eo impleta esse doceant, quae secundum sensum proximum & litteralem de ipso non loquuntur. Conf. Exod. XII, 46. cum Ioh. XIX, 36. it. Esa. XXII, 22. cum Apocal. III, 8. &c. Prior enim locus secundum sensum litteralem de agno paschali; posterior de Eliakimo agit. Quum vero nihilo minus in Christo implementum suum consequuta esse dicantur, necesse est, vt praeter sensum litteralem alius sensus illis locis insit, quem mysti-

cum adpellamus; nisi ad suspectum adcommodationis nomen confugere velimus. Conf. IO. MAIORIS diss. *de dictorum V. T. in N. allegatione*, *cap. VI.* §. XXXIX. & XLV. Vnde etiam diiudicanda sunt, quae vir doctus, PETRVS ALLIX, in *argumentis Psalmorum*, a se anglice editis, ac deinde MDCCXIV in linguam germanicam conuersis, p. 115. contra sensum mysticum disputat; ab auctore versionis germanicae *in praef. p.* 85. *seq.* propterea merito emendatus.

* Sensus quidem litteralis, *natura* & ordine significationis prior est, quam mysticus; vnde etiam in quouis scripturae loco opera primum danda est, vt hic prius euoluatur, antequam ad indagandum sensum mysticum progrediamur; interim tamen sensus mysticus verus ac genuinus litteralem antecedit *dignitate* Litteralis enim est propter mysticum, a spiritu sancto magis intentum Sic e. c. Num. XXI, 8. 9. aeneus serpens ideo erectus legitur, vt exaltatio Christi in cruce, humano generi salutaris, significetur, sicque typus antitypo designando inseruiat.

** Est regula theologorum, *sensum mysticum non esse argumentatiuum*, h. e. non suppeditare firma ac solida argumenta, quibus dogmata fidei inaedificentur, vt praeter alios monet AVG. PFEIFFERVS, *thes. herm. cap.* III. *can.* XI. *p.* 170. Sed idem tamen recte addit, id tum demum locum habere, si res illa arcana tantum ab interprete probabiliter inferatur, & non ab ipso spiritu sancto, vel in eodem loco, vel alibi, siue explicite siue implicite designetur. Spiritus enim ille diuinus est optimus verborum suorum interpres, vnde ex dictis eius nihil potest apodictice inferri, nisi id vel verbis manifeste contineatur, vel ex verbis prone sequatur, vel alibi ab ipso doceatur. Ita nos per fidem in Christum, cruci adfixum, aeternae vitae compotes fieri, ex

typo

typo serpentis aenei, Christo praeeunte, Ioh. III, 14. solide demonstrari potest. Porro Iesum maiorem esse sacerdotem, quam Aaron; habere sacerdotium aeternum, in successorem nullum transferendum; munere regio ac sacerdotali simul fungi: vide quomodo Paulus ex sensu mystico historiae Melchisedecianae adstruat, Ebr. VII.

§. XII.

Quamuis vero genuinus sensus mysticus magni omnino sit aestimandus; minime tamen putandum est, in quolibet scripturae loco illum esse quaerendum: * Sed ibi tantum indagandus atque amplectendus est, vbi illum a spiritu sancto intendi, ex certis criteriis constat. **

* Equidem quilibet scripturae locus ad vsum spiritualem, deductis inde per legitimam consequentiam porismatibus, transferri potest ac debet. Sensus autem mysticus non vbique locum inuenit, siquidem spiritui diuino non placuit, res vbique aliarum rerum symbola constituisse.

** Quaeritur hic, quaenam sint illa *criteria*, *ex quibus colligere queamus*, *sensum mysticum alicubi latere?* † Sunt equidem, qui sensum mysticum non dicunt esse sectandum, nisi in illis locis, quae scriptores N. T. nobis demonstrarunt; quique requirunt, vt is, qui illum sensum aliis ostendere velit, ab eodem spiritu extra ordinem sit adfectus, quem prophetae ac apostoli habuerunt. Recte tamen huic sententiae contradicit HERM. WITSIVS, *oecon. foed. lib. IV. cap. VI. p.* 638. vbi *Non existimandum est*, inquit, *infallibili auctoritate ad expositionem ty-*

† Pluribus hanc rem excussimus, in commentatione hermeneutica *de genuinis sensus mystici criteriis*, lenae 1728. vulgata; quae cum iis, quae hic diximus, conferenda est.

porum (qui ad sensum mysticum pertinent) *opus esse, vel omnes V. T. typos in nouo esse expositos. Non prius. Cur enim magis infallibilis auctoritas in typorum, quam in prophetiarum, aliorumque scripturae aenigmatum, interpretatione exigitur? quum constet, Deum etiam per typos ecclesiam docere voluisse, & typorum explicatio saepe nunc longe facilior sit ob distinctam cognitionem antitypi, quam multarum prophetiarum. Non posterius Cur enim malumus credere, omnes typos Christi explicatos esse, quam omnes prophetias de Christo. Tenendum igitur, doctores Θεοπνευστους viam nobis methodumque demonstrasse, qua in typorum elucidatione procedere debeamus, & clauem tradidisse ad abdita illa reseranda.* Addantur quae hac de re monet, CAMP. VITRINGA *comm. in Esaiam, tom. I. praefat. p.* 18.

Ista autem *criteria*, ex quibus cognoscere licet, sensum mysticum alicubi latere, sunt vel *insita* ipsi textui, vel *aliunde accersenda. Intra ipsum textum* vestigia sensus mystici conspiciuntur, *quando rei, vel personae, de qua verba proxime agunt, adeo augusta atque illustria praedicata tribuuntur, quae ei secundum omnem verborum emphasin non conueniunt.* Tum enim praedicata illa tenuiore quadam ratione in sensu litterali; excellentiore autem modo in alia re, vel persona, mystice significata, quaerenda sunt. Sic Esa. XXII, 15. 20. de *Sebna & Eliakimo* agitur, quorum illi probrosum exilium, huic gloriosam exaltationem vates praedicit, idque tanta phrasium emphasi, cui in omni sua vi & amplitudine satisfactum non videtur, si in subiectis Sebnae & Eliakimi tantum subsistamus. Iam vero in scripturis nullum verbum otiosum est, & nihil vsquam tam auguste dictum, cui rei veritas non exacte respondeat. De aliis igitur obiectis circumspiciendum

dum est, quarum figuram Sebna & Eliakimus sustinere poterunt. En igitur, vbi ad nouam oeconomiam oculos conuertimus, *Sebnae*, hominis profani, & verbi prophetici contemtoris, imaginem referunt proceres rei publicae iudaicae, Pharisaei, legis periti, ac reliqui magni synedrii adsessores, homines carnales, epicuraei, turgidi; in *Eliakimo* pingitur Christus, principibus illis & praefectis populi Dei substituendus, & in summam dignitatem praefecturae domus Dei euehendus; coll. Apoc. III, 8. Col II, 15. Ebr. III, 6. dum reliqui a gradu deiiciendi, &, subuersa per Romanos re publica, ac diruto templo, interituri, & in turpe exilium expellendi erant: vt pluribus docet CAMP. VITRINGA *comm. in Esa tom. I. p. 885.* & in *anacrisi apocalypseos, p. 134.* Sic etiam res sese habet Gen. XLIX, 9. coll. Apoc. V, 5. Dan. XI, 36. coll. 2 Thess. II, 4. &c.

Nonnumquam criteria sensus mystici *aliunde* accersenda sunt, quando spiritus sanctus in alio loco siue *expresse*, siue *implicite* nos de sensu mystico alicuius loci reddit certiores.

I. *Expresse* id contingit, *quando alibi clarissime docetur, rem, vel personam aliquam in alterius symbolum fuisse destinatam. Melchisedecum* fuisse typum Christi, summi sacerdotis ac regis, ex Psal. CX, 4. & Ebr. VII, 1. sole clarius adparet. Duas Abrahami vxores, *Hagarem* & *Saram*, fuisse typos ecclesiae seruae ac liberae, ex Gal. IV, 22. 23. 24. certum est. Christi eblema fuisse *serpentem aeneum*, ex Ioh. III, 14. 15. patet. Idem docetur de *manna*, Ioh. VI, 32. de *petra deserti*, 1 Cor. X, 4. de *Iona*, Matth. XII, 40. de *scala Iacobi*, Ioh. I, 51. &c.

II. *Implicite* hoc fit

1. *Quando antitypus proponitur sub nominibus figuratis, ex veteri oeconomia desumtis.* Sic Christus dicitur 1 Cor. XV, 45. secundus *Adam*; ergo primu

mus certo respectu Christi figuram gessit, vt per varia comparationis membra ostendit ven. IOACH. LANGIVS, *hist. eccles. vet. test. p. 28.* Idem vocatur *agnus paschalis*, 1 Cor. V, 7. *Dauides*, Ezech. XXXIV, 23. Hos III, 5. Sic regnum anti-Christi sub nomine *Sodomae*, *Aegypti*, *Babylonis* commemoratur, Apoc. XI, 8. cap. XVI, 19.

2. *Quando manifesta verborum ac phrasium adlusione alterum ad alterum refertur.* Ita ex Psal. LI, 9. 17. discimus *lepram* fuisse emblema corruptionis naturalis. Dum Esa. IX, 4. respicitur ad *victoriam Gideonis*, Iud. VII, 22. discimus, illa fuisse repraesentatam victoriam Christi, de hostibus per verbum euangelii reportandam, vt pluribus docet CAMP. VITRINGA ad illum locum Esaiae. Sic etiam conf. Ioh. XX, 22. cum LXX. Gen. II, 7. Matth. XXI, 38. cum Gen. XXXVII, 19. 20.

3. *Quando scriptura de aliquo rerum genere declarat, illud respectum mysticum habuisse:* tum enim ad *species* sub illo genere comprehensas, caute quidem sed recte tamen, argumentari licet. Ita quum de *caerimoniis mosaicis* in genere constet, illas fuisse vmbras bonorum futurorum, Ebr. X, 1. iure descendere licet ad diuersas caerimoniarum species, quamlibet in nouo testamento non expresse ad Christum adplicatas, scilicet ad sacrificia, ad lotiones ac purificationes leuiticas; porro ad res, quae his caerimoniis inseruiebant, vestes, vasa, sacerdotes, ad loca denique ac tempore sacra; quaerendaque est in Christo & corpore eius mystico veritas, quae istis vmbris adcurata analogia respondeat.

4. *Quando de toto certum est, significationem typicam illi inesse, tum de partibus, quae totum constituunt, idem merito est praesumendum.* Ita tabernaculum & templum emblema fuisse ecclesiae, in qua Deus gratiosa sua praesentia habitat, constat ex Zach. VI,

VI, 15. Ebr. III, 2. 7. Idem igitur de partibus templi dicendum erit. *Exterius* scilicet *atrium* repraesentauit ecclesiam ante legem, vbi libertas a iugo caerimoniarum, quae in atrio interiore exercebantur. *Atrium interius*, theatrum illud victimarum cruentarum, diuersarumque lotionum, imago erat ecclesiae sub lege. *Pars sancta* pingebat ecclesiam sub gratia, quae domus, seu habitaculum Dei dicitur Eph. II, 22. vbi mensa instructa est pane bonorum spiritualium, & maior lux cognitionis Christi conspicitur, & suffitus precum iugiter adscendit. *Pars sanctissima*, obscurior & fenestrarum luce destituta, sistebat ecclesiam in gloria caelesti, quae nobis adhuc obscondita est; coll. Ebr. IX, 24. Sic CAMP. VITRINGA in *Aanleydinge tot het rechte verstand, van den tempel, die de prophet Ezechiel gesien, en beschreven heeft, part. II. p. 504 seqq.*

5. *Quando id spiritus sanctus argumentationis suae modo ac methodo innuit, & tacite saltem insinuat.* Quando scilicet apostolus ex typis Sarae, Hagaris, Melchisedeci, &c. aduersus Iudaeos disputat, disputationi isti hanc hypothesin, vt vtrimque concessam, supponit: *Deum in memorabilibus V. T. personis, quibus notabilia nonnulla extra ordinem acciderunt, nec non in vniuerso cultu, a se instituto, picturam elegantem, tantoque artifice dignam, exhibere voluisse, qua Christus vna cum corpore suo mystico delinearetur.* Huic fundamento superstructae sunt argumentationes Christi & apostolorum, quas ex typis, siue personalibus, siue realibus, V. T. deducunt, vt Matth. XII, 40. Gal. IV, 22. Ex ista autem argumentandi methodo prona consequentia concluditur, eas quoque memorabiles personas, quarum typica significatio nusquam disertis verbis exponitur, vt *Abelem, Enochum, Noachum, Isaacum, Iosephum, Gideonem, Simsonem*, cet. in multis rebus, quae

quae iis acciderunt, vel ab ipsis peractae sunt, typos Christi fuisse. Similium enim similis est ratio. Ita ante diluuium duas in historia sacra deprehendimus singulares personas, *Abelem* & *Henochum*, in quorum priore *status exinanitionis*; in posteriore status *exaltationis* Christi, haud obscuris lineamentis pingitur, vt sigillatim ostendit IO. BIERMANNVS in opere, quod inscripsit, *Moses* & *Christus*, *lib I. cap. II.* Addatur HERM. WITSIVS in *miscell. sacr. tom. I. p. 673.* & CAMP. VITRINGA *obseru. sactar. lib. VI. c. XXI. XXII.* vbi typum Simsonis & Iosephi docte euoluit. Ita postquam Paulus, sensum allegoricum legis, de ore bouis triturantis non obligando, ostendit, 1 Cor. IX, 10. ac docuit, esse legem symbolicam, in qua Deus sub litterae cortice sublimius quid intendit; id recte etiam ad similes alias leges symbolicas extenditur, vt Deut. XXII, 4. 6. 10. 11.

§ XIII.

Duo autem *extrema* circa sensum scripturae mysticum euitanda sunt. Ab vna scilicet parte cauendum est, ne vbique locorum sensum mysticum venemur, reliqua veluti vulgaria ac facilia fastidientes;* ab altera parte videndum, ne sensui mystico terminos nimis angustos constituamus, hoc modo sapientiam Dei, in verbo Dei conspicuam, imminuentes.**

* Obseruetur illud cacoethes

I. In antiquissimis *Iudaeorum doctoribus*, qui totam fere legem in frigida saepe mysteria transformarunt. Quis enim PHILONIS aliorumque adfectatas allegorias ignorat? Quorsum etiam pertinent, quae EVSEBIVS *hist. eccles. lib II. c. XVII.* PHILONEM de therapeutarum allegoriis commemorat, quibus ἅπασα νομοθεσία δοκεῖ οἰκεῖα μὲν ζῴα. καὶ σῶμα μὲν ἔχειν τὰς ῥητὰς λέξεις, ψυχὴν δὲ τὸν ἐνκρυπτόμενον τοῖς λέξεσιν ἀόρατον

ἀόρατον νῦν, h. e. *totam legem similem esse existimant animali. Et verba quidem ipsa instar corporis esse; occultum autem sensum, qui sub verbis latet, animae speciem quandam habere.*

II. In quibusdam *Patribus ecclesiae* christianae, qui quaerendis in omni fere scriptura allegoricis argutiis, a captu vulgi remotis, nimium incumbunt, indeque saepe nubes & inania captant, vt CYPRIANI, HIERONYMI, AVGVSTINI, GREGORII scripta passim testantur: quos tamen omnes superat ORIGENES, qui hanc interpretandi methodum ex schola Platonis hausisse videtur, vtpote cui etiam DIONYSIVS Halicarnassensis ἀλληγορίας μακρὰς καὶ πολλὰς, οὔτε μέτρον ἐχούσας, οὔτε καιρὸν exprobrauit, in *epistola ad Cn. Pompeium. p.* 125. conf. PETRVS DANIEL HVETIVS, in *Origenianis lib. II. cap. II. quaest. XIII. p.* 170. & IO. FRANC. BVDDEI doctissima diss. *de allegoriis Origenis*, quae in *parergis historico-theologicis* exstat. *p.* 139

III. In *pontificiis interpretibus*, medii maxime aeui. Legatur HVGONIS DE VICTORE liber *de allegoriis veteris & noui testamenti*, febriculosis absurditatibus refertissimus. Beatus LVTHERVS *comm. in Gen. cap. III* de sui seculi labe ita conqueritur: *Qui vel ingenio, vel facundia valebant, in eo omnes neruos contendebant, vt persuaderent auditoribus, historias res esse mortuas, nec valere ad aedificationem ecclesiarum:* (conf. supra *p.* 60.) *ideo factum est, vt rueremus communi studio ad allegorias, ac mihi iuueni pulchre succedebat conatus. Nam etiam absurda licebat fingere, - - - & qui allegoriis fingendis aptior erat, is etiam doctior theologus habebatur.*

IV. In *fanaticis* mysticisque impurioribus, qui remoto sensu litterali, aut leuiter considerato, non nisi mysticum vbique crepant; qua in re eo vsque nonnulli progressi sunt audaciae, vt ipsam Christi

mor-

mortem, resurrectionem, adscensum, negata historiae veritate, in meras transformauerint imagines, reique in nobis tantum praestandae adumbrationes, ne litterae scilicet occidenti nimis addicti viderentur. Vid. ABRAHAM HEYDANVS *de origine errorum, lib.* II. *c.* IV. *p.* 101. & HENRICI MORI *opera theol. p.* 229. *seq.* Erudite vero ven. MICH. FÖRTSCHIVS in *selectorum theologicorum breuiario, part* II. §. XXII. *p.* 27. *seqq.* originem istiusmodi explicationum mysticarum deriuat partim *ex ingenii humani arrogantia & luxuria.* Quod enim cuiuis patet, facile vilescit; abscondita vero & latentia sapientiae praesumtionem conciliant, & aestimantur: partim *ex peruersa opinione*, naturam diuinam se velle celari, & abditam eius substantiam non pati, se nudis verbis in aures introire pollutas; quae opinio multa olim monstra in theologia gentilium exclusit.

V. In *aliis viris*, cetera non indoctis. Ita IACOBVS BROCARDVS, Italus, sed reformatam religionem amplexus, *in mystica & prophetica Geneseos interpretatione* id egit, vt Mosaicam rerum gestarum narrationem in futurorum euentuum praedictiones commutaret, adeo vt de *bello Hispanico*, de *Antwerpia*, de *Philippo rege Hispaniae*, de *principe Auriaco* cet. vestigia in Genesi mira sagacitate sibi detexisse videretur. Notus est THOMAE BVRNETII conatus, qui in sua *theoria telluris*, & *archaeologiis philosophicis* ipsam creationis historiam, repudiato propemodum sensu litterali, in allegoriam transformauit, merito proinde refutatus ab auctore libri: *Moses vindicatus*, qui Amstelodami MDCXCIV. prodiit. Immo HERM. DEVSINGIVS in *demonstrationibus historiae allegoricae veteris & noui testamenti* ipsum sacrosanctum mysterium trinitatis allegorice interpretari adortus est. Et quoties a Cocceianis interpretibus finguntur typi, vbi non sunt, si modo

leuis

leuis quaedam rerum similitudo praebeat occasionem; vt multis exemplis docet auctor anonymus libri: *Entretiens sur les differentes methodes d' expliquer l' Ecriture de ceux, qu' on appelle Cocceiens & Voetiens*, Amstelodami MDCCVII editi; conf. GVIL. SALDENVS in *otiis theologicis, lib.* II. *exerc.* III. *p.* 235. it. BERNH. SEBAST. CREMERVS in *prodromo typico*, vbi diss. I. *de vsu & abusu typorum* agitur; Add. quae de historia sensus mystici erudite disserit vener. IO. FRANCISCVS BVDDEVS, in *institut. theol. dogm. lib.* I. *c.* II. *p.* 240. & ven. CHRIST. MATTHAEI PFAFFII diss. *de recta theologiae typicae conformatione.*

** Scilicet I. *ritus & instituta cultus mosaici* adeo aperta vestigia mysticae alicuius & sublimioris significationis continent, vt pleraque eorum prorsus ludicra, ac Deo indigna sint, nisi arcaniorem sensum complectantur, quem ab ipsis fidelibus V. T. pro mensura luminis illorum temporum, indagatum fuisse, haud obscure colligas ex Psal. XXVII, 4. & LXIII, 3. &c. vt pluribus docet FRANC. BVRMANNVS *praef. generali in opera biblica*, & HERM. WITSIVS, *oecon. foed. lib.* IV. *cap* VI. *de typis p.* 637. it. *miscell sacror. tom* I. *p* 395.

II. Plurimae veteris testamenti *historiae*, inprimis quae insolitos quosdam & inexspectatos complectuntur casus, quasi Paulinum illud in fronte gerunt Gal. IV, 24. ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα, conf. CAMP. VITRINGA *obseru. sacr. lib.* VI. *c.* XX. *p.* 481.

III. Permulta V. T. *vaticinia* res noui testamenti (de quo prophetas quam maxime sollicitos fuisse Petrus testatur, 1. epist. I, 10.) vel sub ipsa littera, vel sub schemate ac vmbra exhibuerunt. Vnde peritiores verbi prophetici interpretes monere solent, in explicatione vaticiniorum de rebus ac personis pristini temporis, de Zorobabele, Cyro, Antiocho,

de Hierosolymis, Aegypto, Tyro, Babylone &c. subinde altius esse enitendum, perquirendumque, an non illa simul sublimiora pandant, ad regnum Dei sub nova oeconomia spectantia, inprimis si significantiora quaedam occurrant praedicata, quorum implementum in istis rebus, vel personis clare aut probabiliter monstrari non potest.

IV. Neque illud praetermittendum, praecipua ecclesiae veteris ac nouae oeconomiae *fata* per admirandam sapientiam ita ad se mutuo esse ordinata, vt se inuicem respiciant, velut τύπος & ἀντίτυπα; siquidem vniuersa illa antiqua oeconomia propter aliam meliorem a Deo erat instituta, vt scilicet per veterem illam noua apte ac luculenter praefiguraretur. *Sic res gestae in populo Israel sunt exempla eorum, quae in ecclesia futura fuerunt;* vt aiunt *libri symbol. p.* 142. conf. HENR. MVHLII *discussio de sensu scripturae mystico. cap.* III. §. XIX. *p.* 68. it. eiusdem schediasma, *de eo, quod iustum est circa puram doctrinam conseruandam, p.* 147. & SAL. TILLII *methodus concion. part.* II. *cap.* III. *p* 402. *seqq.* †

§. XIV.

Haec de diuisione sensus ratione obiecti. Iam porro ratione *subiecti*, siue hominis, qui illum mente concepit, dispesci potest in *naturalem*, qui e scripturae lectione ac meditatione naturalibus tantum ingenii viribus hauritur, non admissa intra pectus efficacia spiritus sancti, quae subinde cum illo sensu coniuncta est; * & *spiritualem*, ipsoque actu *salutarem*, qui non cadit, nisi in illos, qui veritati agnitae locum relinquunt, vt

† Conf. comm. nostram *de genuinis sensus mystici criteriis*, §. V. vbi XII. sedes insigniores sensus mystici indicauimus.

vt fides in ipsis vel producatur, vel confirmetur atque augeatur.

* Solet hic sensus, ab homine irregenito comprehensus, a nonnullis etiam *carnalis* dici: quam tamen adpellationem, si sensus, in se spectatus, cum conceptu mentis diuinae conueniat, ideo accipit, *quia per dominium corruptae carnis effectus veri sensus impeditur, quo minus fiat salutaris.* Sic celeb. IO. FECHTIVS, in diss. de *sensu sacrarum litterarum carnali, thes. XI.* vbi tertiam sensus carnalis speciem illum facit, *qui spiritus sancti sensum quidem, ex littera & contextu hauſtum, vere & verbis circumstantiisque conformem plane exprimit; sed in sola notitia subsistens, eandem non ad praxin salutaris fidei & operum, a spiritu sancto in omni verbo intentam, dirigit,* quem sensum reperiri dicit *in mente inprimis doctoris irregeniti.* Et paucis interiectis: *Quicumque sacrarum litterarum sensus vitio carnis, obicem actioni spiritus sancti ponentis, fine spoliatur, quem sensus intendit, is merito vocatur carnalis.* Sensum autem falsum ad praua carnis ratiocinia, aut praeconceptas opiniones, conformatum, vere ac proprie carnalem dici posse, extra dubium positum est; vt auctor ibidem pluribus monet, *thes.* VIII. IX. Confer vener. IO. FRANCISCI BVDDEI *instit. theol. dogm. lib.* I. *cap.* II. *§ XXV. p 164. seqq.* & vener. AVG. HERM. FRANCKII *positiones hermeneuticas pos.* I. *p. 22. seqq.*

§. XV.

Denique ratione *formae* sensus est vel verus ac *genuinus*, qualis supra descriptus est; vel *adulterinus* ac spurius, qui conceptibus spiritus sancti non est conformis, & tamen ita adprehenditur, atque obtruditur aliis, quasi illis per omnia responderet.*

 * Facile

* Facile id per singulas sensus species ostendi potest. Nimirum

I. *Sensus grammaticus spurius* is dicitur, qui a grammatica vocum & phrasium significatione aberrat. Vt quando HVGO GROTIVS verba Esa. IX, 4. יועץ אל גבור de Hiskia intellecta, vertit: *consultator Dei fortis*, quod ille in omni casu consilia a Deo posceret per prophetas. Quae explicatio vocis significationi, vt alia taceamus, prorsus repugnat. Radix enim יעץ non significat apud Ebraeos aliquem *consulere*, sed *consilia aliis suppeditare*; vid. 2 Sam. XVI, 23. Prou. XI, 14. &c.

II. *Sensus litteralis adulterinus* est, qui a conceptu & intentione scribentis est alienus. Vt quando verbis 2 Thess. III, 2. οὐ γὰρ πάντων ἡ πίστις, hic sensus adfingitur, fidem beatificam esse donum, quod Deus non omnibus hominibus largiri decreuerit. Iste enim sensus Paulo (qui longe aliud docet Act. XVII, 31. 1 Tim. II, 4.) nunquam in mentem venire potuit. Vide plura loca, in sensum peruersum detorta, sed vindicata, in PHILIPPI IACOBI SPENERI tract. germ. quo exhibet centuriam *dictorum, a profanis hominibus male habitorum.*

III. *Sensus mysticus spurius*, siue *illatus*, (ab *innato* probe discernendus) is dicitur, quem a spiritu sancto intentum fuisse, nullo certo indicio probari potest. Multae nimirum apud interpretes passim occurrunt interpretationes allegoricae & mysticae, humano ingenio excogitatae, quas ad duas classes referre licet. Nonnullae enim sunt

1) *Satis tolerabiles*, & ad aedificationem adcommodatae, si scilicet, sensu litterali rite substrato, res sobrie & cum iudicio tractetur, neque dogmatum fidei probationes illis adplicationibus superstruantur: vt quum *arcam* Gen. VI, 14. symbolum ecclesiae esse dicas, vbi *ligna cupressina* sunt

fideles

fideles, ex semine verbi, corruptionis experte, nati; varii *nidi* varios sistunt credentium status; *bitumen* charitatem & concordiam pingit, qua cuncta, ne diffluant, continentur. Plura talia occurrunt, in LVTHERI *comm. in Deuteron. tom. III. Ien. lat.* c. c. p. 104. seqq. IO. ARNDII *lib I. de vero christ. cap. VI.* SALOM. GRASSII *philol. sacr. lib. II. part. I. tr. II. sect. III. p. 413* adde CAMP. VITRINGA *obseru. sacr. lib. VI. c. XX p 479.* & *animaduersiones ad methodum homiliarum eccles. part II. c.* XII *§. 8.* vbi historiam *Elisaei, a pueris derisi*, eleganter hoc modo interpretatur. Sed pertinent huc quam maxime monita, de excessibus mysticarum interpretationum, antea §. XIII. tradita. Est modus in rebus. Recte enim LVTHERVS *in Genes. XXX. Allegoria*, inquit, *est tamquam formosa meretrix*, absit comparationi inuidia) *quae ita blanditur hominibus, vt non possit non amari, praesertim ab hominibus otiosis, qui sunt extra tentationem. Ego odi allegorias. Si quis tamen illis vti velit, videat, vt cum iudicio illas tractet.* Legatur etiam WOLFG. FRANZIVS, de *interpretatione p. 764.* &, qui necessarias ea de re cautelas suppeditat, ven. GEORGIVS NITSHIVS, in libro: *mysta in pulpito simplex, p. 154.* Alias allegorias merito vocaueris

2. *Intolerabiles*, quarum mater litteralis sensus ignoratio, nutrix autem clericorum fuit pigritia, vt dicit SIXT. AMAMA *antibarb. biblic. lib. I. p. 160.* Sunt vero tales

α) Vbi *sensus litteralis prorsus proscribitur*, vt PHILO fecit in allegorica explicatione historiae creationis, qui rusticanae ait esse simplicitatis, existimare, haec ita gesta esse, vt a Mose describuntur. Idem ORIGENI imputatur, quem tamen hac in parte excusat VEN. IO. FRANC. BVDDEVS, *in parergis historico-theolog p 164. 176. 183.*

β) Vbi *sensus litteralis falsus substernitur*, vt si per *cornua Mosis*, quae vulgata versio Exod. XXXIV, 29. falso illi adfingit, adumbratam fuisse dicas indolem legis, quae peccatorem humi prosternit, ac maledictionis adnunciatione grauiter laedit.

γ) Vbi quid *sanae rationi*, *aut caelesti veritati contrarium complectuntur.* Vt quando per *tres panes*, ab amico rogatos Luc. XI, 5. intelligas tres diuinitatis personas, vti IO. HENR. VON SEELEN in *selectis litterariis p. 243.* testatur, antiquo codici bibliorum glossatorum, Lubecae anno MCCCCXCIV. lingua Saxoniae inferioris excuso, ad illum locum adscripta legi haec verba: *bekanteniſſe der hillichen Drevoldigkeit*, h. e. *confessio sanctae Trinitatis:* quasi vero tres illi panes tres diuinitatis personas designarent. Item quum ANTONIVS, episcopus Florentinus, per *pisces maris* Ps. VIII, 9. Christo eiusque vicario subditos, intelligit animas in purgatorio; aut quum BENED. PERERIVS, *comm. in Daniel. lib. V. f. 260.* per *arboris*, Nebucadnezari in visione oblatae, *radicem* illaesam, virginem Mariam designari putat, peccato Adami nullo modo contaminatam; aut quum INNOCENTIVS III. papa per *duo magna luminaria*, Gen. I, 16. duas dignitates denotari ait, pontificalem per solem, regalem per lunam, de quibus omnibus merito vsurpes illud poetae; *spectatum admissi risum teneatis amici.* Vnde quilibet iudicare potest, quo iure SALMERON Iesuita in commentario ad 2 Cor. III. de euangelicis conqueratur, dicens: *argumenta nostra, ab allegoriis sumta, protestantes parui faciunt, a quibus vel hoc signo intelligitur abesse spiritum, quo medullas scripturarum penetrare possint.* Eiusmodi enim ineptas interpretationes qui scripturae *medullam* vocauerit, nae eum gustum prorsus corruptum habere oportet.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

DE MEDIIS HERMENEVTICAE SACRAE DOMESTICIS.

CAPVT PRIMVM

DE

ANALOGIA FIDEI GENVINAE INTERPRETATIONIS PRINCIPIO.

Σύνοψις.

Connexio cum libro superiore ostenditur, ac tractatio de mediis, in scripturae interpretatione adhibendis, promittitur §. I. inter quae eminet ANALOGIA FIDEI, cuius traditur

I. *Definitio*, §. II.

II. *Fundamentum*, §. III.

III. *Auctoritas* in re exegetica, vbi est principium interpretandi, §. IV. excluſa

1) ratione, §. V.

2) traditione, §. VI.

IV. *Fons*, vnde haurienda, §. VII.

V. *Vſus* huius principii, §. VIII.

VI. *Abuſus* eiusdem, §. IX.

§. I.

Post iacta superiore libro studii exegetici fundamenta, expositamque sacri interpretis dispositionem, ac finem: ordo * nunc postulat, vt de mediis, quae ad finem illum impetrandum, eruendumque scripturae sensum, faciunt, diligenter agamus.

* Quum disciplina hermeneutica ad habitus practicos referatur, a plerisque solet methodo analytica tractari, ita vt primum de *fine*, tum *obiectiuo*, hoc est, textu interpretando, tum *formali*, hoc est, vero illius textus sensu agatur; deinde de *ſubiecto*,

recto, in quod ille finis introducendus est; denique de *mediis* & subsidiis, per quae finis in subiectum introduci potest; conf. e. c. AVG. PFEIFFERI *thesaurum hermen. cap.* I. §. III. *p.* 11. Nos, vti cuilibet in formanda methodo libertatem relinquimus; ita nobis eamdem petimus concedi. Sufficit, quod a fine hermeneutices ad media progrediamur, quia consideratio mediorum a finis consideratione pendet, vt recte monet celeb. IO. IACOB. SYRBIVS, *in philos. ration. part.* II. *c.* III. *p.* 299. 301.

§. II.

Ista vero media quum a communi quodam principio dirigantur, ratio iubet, vt primo loco illius naturam explicemus. ANALOGIAM FIDEI intelligimus, quae nomen e mathematicorum scholis* accepit, quod in sacram disciplinam translatum, nihil aliud designat, quam mutuum perpetuumque veritatum caelestium consensum, e planissimis sacrarum litterarum testimoniis collectum.

* Analogia, † quam CICERO, *Tuscul. quaest. lib.* I *cap* XXXII. *similitudinem;* FABIVS QVINTILIANVS, *institut. orat. lib.* I. *cap.* VI. *proportionem* vocat, apud EVCLIDEM, *lib.* V. *defin.* III. est *similitudo rationum, qua numeri ipsaeque magnitudines inter se comparantur.* Vt si dicas: quae ratio est numeri binarii ad quaternarium, eadem quoque est quaternarii ad octonarium. Vsus est illo termino diuus Paulus, normam interpretandae scripturae definiturus, Rom. XII, 6. vbi ait: εἴτε προφητείαν, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, *siue prophetiam* habeamus, *secundum analogiam fidei* eam *habeamus* atque exer-

† De vocabulo *analogiae* pluribus videatur diss. *de analogia fidei*, praeside ven. ANTONIO habita p. 7. sqq.

exerceamus, vt supplendum iudicat MATTH. FLACIVS, in *glossa compend. N. T. p.* 733. vel, vt ERASMVS SCHMIDIVS, in *adnotat. ad N. T. f.* 1028. subintelligit προφητεύσωμεν, *prophetemus*. Circa quem locum duo expedienda sunt, a quibus vera eius intelligentia pendet; scilicet, quid per προφητείαν, quidque per πίστιν designetur.

Per προφητείαν hoc loco non intelligi potest donum, futura ex Dei reuelatione praedicendi. Hoc modo enim προφητεύων ingenium tantum ac linguam praebet sancto spiritui, quo agitatur. Vnde istud negotium regulis, ab homine adplicandis, dirigi nequit, verum a solo Numinis dictamine ac voluntate τὶ καὶ πῶς dependet. Sed significatur *donum illud ordinarium, scripturas sacras interpretandi*, vt in *prolegomenis ad* §. IV. monuimus. Addatur 10. FISCHERI *ethica christiana*, siue commentarius in cap. XII. epistolae ad Romanos, *medit.* VII. *p.* 162.

Vox πίστις modo ipsum *fidei habitum* designat, modo *doctrinam*, quae creditur, vti dictis & propositionibus scripturae continetur. Vt Act. XIII. vbi, quod v. 8. dicitur πίστις, v. 7. λόγος θεοῦ, v. 10. ὁδὸς κυρίου, v. 12. διδαχὴ τοῦ κυρίου adpellatur. it. Gal. I, 23. cap. III, 2. 5. Phil I, 27. Iud. vers. 3. 20. Quaeritur igitur, quo sensu h. l. vocabulum accipiendum sit? Sunt, qui de *habitu* credentis intelligunt, & per analogiam fidei indicari putant *congruentiam interpretationis cum fide iustificante, cuius fiducia tam viua sit & efficax, vt de veritate sententiarum promtum certumque iudicium ferre possit.* Ita FERDINAND HELFREICH LICHTSCHEID † cum paucis aliis verba interpretatus est, quem peculiari dissertatione de *analogia fidei* sibi refutandum sumsit cel. GOTTLIEB WERNSDORFIVS. Et sane

† In *christlichen Gedancken über das Büchlein vom Euangelio*, p. 60. *seqq.*

ne, qui rem adcuratius consideraverit, facile deprehendet, istam expositionem locum commode habere non posse. Nam 1) habitus fidei per doctrinam fidei demum producitur, adeoque ipsius doctrinae norma esse non potest. Norma enim prior est suo normato. 2) Fidei habitus variis infirmitatibus expositus est. Nunc erroribus, quamuis non fundamentalibus, qua notitiam; nunc scrupulis, qua adsensum; nunc titubationibus, qua fiduciam laborat: adeoque in scripturae interpretatione normae loco adhiberi non potest. Norma enim debet esse infallibilis ac certa. 3) Fides ipsa ad scripturae recte intellectae regulam, num genuina sit, examinanda est, secundum 2 Cor. XIII, 5. Quod autem ipsum examinari atque explorari opus habet, hactenus norma examinis esse non potest. Relinquitur igitur, vt vocabulum πίστεως *obiective* sumatur, pro ipsis dictis & propositionibus, quas scriptura ad credendum praescribit. Vt adeo ἀναλογία πίστεως sit summa praecipuorum doctrinae sacrae capitum, quae arctissimo inter se vinculo connexa, normam velut ac regulam constituunt, ad quam cuncta sunt exigenda. † Dum igitur apostolus iubet, vt κατὰ, *secundum* hanc fidei analogiam scripturas explicemus, hoc vult dicere: *Si quis docendi & explicandi scripturam facultate pollet, illi opera nauanda est, ne quid contra veritatum fundamentalium, quibus verae religionis doctrina constat, & quae arctissimo vin-*

† Plenius in *diss. cit.* ita describitur *p.* 25. Est analogia fidei veritatum caelestium, vniuscuiusque ad singulas alias & ad totum earumdem salutare systema, exquisitissima & continua proportione ducta relatio, qua inter se ita sunt colligatae, vt vnaquaeque in eo habeat suum proprium locum, propriam mensuram, proprium ad vicinas & reliquas omnes respectum: vt totius doctrinae fidei, intima in maximis minimis consensione, inde symmetria consurgat. Complectitur igitur analogia fidei 1. *nexum*, 2. *ordinem*, 3. *relationem*, 4. *symmetriam* veritatum caelestium.

vinculo connexae sunt, consensum proferat, vti PHILIAC. SPENERVS, in *paraphrasi epistolae ad Romanos*, ab ill. SECKENDORFIO latine reddita, sensum illorum verborum exponit.

§. III.

Fundamentum istius analogiae est commune omnibus scriptoribus sacris donum diuinae inspirationis: vnde os omnium vnum & summus in praecipuis doctrinae capitibus consensus. * Accedit, quod ob communem omni tempore modum, perueniendi ad salutem, ** vna etiam semper fuerit veritatis doctrina, quae illum modum commonstrauit.

* Scilicet totum verbum Dei est veritas, Ioh. XVII, 17. Verum autem vero semper est conforme, *veritatisque*, vt SENECA ait, *vna vis, vna facies est*; neque fieri potest, vt secum pugnet, quod ab vno & eodem spiritu, fallere nescio, profectum est, 2 Timoth. III, 17.

** Teste nimirum Paulo, Eph. IV, 5. vna est fides, neque aliud datur euangelium, Gal. I, 7. Promissa enim fuit cunctis fidelibus, quocumque tempore viuentibus, vna eademque *vita aeterna*; propositus omnibus vnus idemque *salutis auctor & largitor*, Christus; neque alia via potuerunt eius fieri participes, nisi vera in ipsum *fide*, Act. XV, 11. Si igitur ipsam foederis gratiae *substantiam* spectemus, non nisi vnum illud est; sin ad *circumstantias* attendamus, variis illud seculorum oeconomiis dispensatum fuit, vti pluribus docet HERM. WITSIVS, *oecon. foederum, lib.* III. *cap.* II. *p.* 260. *seq.* & IOACH. LANGIVS, *cauſſae Dei tom.* III *p.* 895.

§. IV.

§. IV.

Auctoritas, quam haec analogia fidei in re exegetica habet, in eo consistit, vt sit fundamentum ac principium generale, ad cuius normam omnes scripturae expositiones, tamquam ad lapidem lydium, exigendae sunt. * Quam auctoritatem non nuper demum adepta est, sed a multis retro seculis, ** ipsa ratione iudice, *** merito sibi vindicauit.

* Quum scilicet, in difficilioribus maxime sacrarum litterarum locis, non raro magna sit explicationum varietas, opus est generali quadam regula, ad quam dissonae interpretum sententiae, maxime in rebus ad salutem pertinentibus, exigantur.

** Vt nihil amplius dicam de PAVLI monito, Rom. XII, 6. scripturam esse interpretandam secundum analogiam fidei; quod & se ipsum obseruasse testatur, Act. XXVI, 22. eamdem normam, in diuinis oraculis exponendis, patres agnouerunt. Ita IRENAEVS, *aduersus haeres. lib. I. cap. I. p. 44.* ed. GRABII, post effusas querelas de haereticis, multa scripturae loca ad suos errores detorquentibus, subiungit: *ὁ τὸν κανόνα τῆς ἀληθείας ἀκλινῆ ἐν ἑαυτῷ κατέχων, qui* REGVLAM VERITATIS *immobilem apud se habet, quam per baptismum accepit, haec quidem, quae sunt ex scripturis nomina & dictiones & parabolas cognoscet: blasphemam autem illorum hypothesin non cognoscet.* AVGVSTINVS, *de doctrina christian. lib. III. cap. II. Quum adhibita intentio incertum esse prouiderit, quomodo distinguendum, aut quomodo pronuntiandum sit, consulat* REGVLAM FIDEI, *quam de scripturarum planioribus locis, & ecclesiae auctoritate, percepit.* Eamdem rationem interpretandae scripturae beatus MART. LVTHERVS

RVS etiam sectatus est, vt testatur ipse *comment. in Cen. XLI, f. 77. b. Id imprimis considerare soleo, an congruat expositio aliqua cum analogia & sensu fidei.* Hinc in certamine cum ECCIO, qui pontificem romanum caput ecclesiae esse contendebat, sententiam tuebatur, scripturae concentui conformem, Christum vnicum ecclesiae caput esse; Eph. I, 22. cap. V, 23. futuram autem monstro similem ecclesiam, quae duobus in vno corpore capitibus emineat; *tom. I. Ien. lat. f. 230. a.*

*** Nullus scilicet prudens scriptor praesumitur aliquid proferre voluisse contra systema illius, quam profitetur, doctrinae. Ita si quid obscuri in LVCRETIO, alioue philosophiae Epicuraeae sectatore occurrat, operam dare solent critici, vt eiusmodi sensum producant, qui cum principiis systematis Epicuraei stare possit. Quodsi profanis scriptoribus hoc aequitatis genus exhibemus, qui tamen errare, & cum proprio systemate pugnantia docere potuerunt; multo magis concedendum est, sacros scriptores, qui ex impulsu diuini spiritus scripserunt, nihil scribere potuisse, quod consensui caelestium veritatum, quae fundamentum verae religionis constituunt, quaeque indissolubili vinculo inter se cohaerent, vllo modo contradicat.

§. V.

Minime igitur audiendi sunt, qui humanam *rationem* scripturae tamquam iudicem obtrudunt, nihil in diuinis tamquam verum admissuri, quod ratio capere non possit. * Nam licet vsus eius instrumentalis in negotio exegetico neutiquam repudietur;** pro norma tamen atque principio interpretationis agnosci nequit.*** Leges enim legitimae interpretationis poscunt, vt quaeramus, quid auctor

auctor dicere voluerit; non quid ex noſtra mente dicere debuerit.

* Aperte hoc principium profitentur SOCINI aſſeclae, de quibus CASPAR NEVMANNVS, in *trutina relig. cap.* VI. §. XVI. *p. 262. Religionem poſtulant rationi per omnia euidentem, & naturae vires nihil ſuperantem; hinc ſcripturam ſacram ſibi fingunt ſine auxilio ſpiritus intelligibilem, &* TANTVM RATIONI CONVENIENTER EXPLICANDAM. Vnde paſſim in illorum hominum ſcriptis legas: *Quidquid ratio falſum eſſe pronuntiat, illud nec in theologia verum eſſe poteſt, nec in ſacris litteris doceri credendum eſt.* Et rurſus: *Nihil credendum proponitur a Deo, quod ratione capi nequeat.* Quid inde monſtri naſcatur, exempla docent. Ita VAL. SMALZIVS, *homil.* VIII. *in Ioh.* I, *p. 89.* ed. Rakov. *Credimus*, inquit, *etiamſi non ſemel atque iterum, ſed ſatis crebro & diſertiſſime ſcriptum exſtaret, Deum eſſe hominem factum, multo ſatius eſſe, quia haec res ſit abſurda, &* SANAE RATIONI PLANE CONTRARIA, *& in Deum blaſphema, modum aliquem dicendi* COMMINISCI, *quo iſta de Deo dici poſſunt, quam iſta ſimpliciter ita, vt verba ſonant, intelligere.* Non aliter in ſcriptura interpretanda adfecti ſunt ARMINIANI, Socini veneno hinc inde infecti. conf. ven. GVSTAVI GEORGII ZELTNERI *breuiarium controuerſiarum cum remonſtrantibus, controu.* III. *p. 23.* Aperte IO. CLERICVS, *logicae part.* II. *cap.* X. §. *10. p. 115.* Sola RATIO *nos docet, quis ſit reuelationis aliis factae ſenſus.* De CARTESIANIS legatur VAL. ALBERTI diſſ. *de Carteſ. & Cocceian.* §. XXXIII. vt de aliis, qui rationis idolum peruerſe colunt, nihil dicamus. Conf. venerandi praeceptoris PAVLI ANTONII *ſtrictvrae hiſtorico-theologicae, in varia naturalismi & rationalismi capita, part.* II, §. XI. *ſeqq. &* IO. CHRISTOPHO-

STOPHORI WOLFII *manichaeismus ante manichaeos*, p. 359.

Hinc porro nata est quaestio, *an philosophia sit scripturae sacrae interpres?* quae magno animorum motu in Belgio agitari coepit, post editum anno MDCLXVII. Eleutheropoli, siue potius Amstelodami, librum, cui titulus: *Exercitatio paradoxa: philosophia scripturae interpres*, cuius auctor fuisse dicitur LVDOVICVS MEIERVS, medicus Amstelodamensis: cuius sententia, vti multis inuenit fautores, ita ab ipsis etiam reformatae ecclesiae doctoribus serio ac certatim refutata fuit, vt VOETII, MARESII, VOGELSANGII, SCHOTANI, LVDOVICI WOLZOGII scripta elenchtica testantur; qui tamen postremus, quum apud nonnullos in suspicionem eiusdem erroris incurreret, a IO. VAN DERWAYEN, MATTHIA NETHENO, aliisque castigatus fuit; addatur FRID. SPANHEMII *elenchus controuersiarum, in append. p. m.* 742. †

** *Ratio* scilicet, quantumuis caeca & corrupta in spiritualibus, est tamen manetque illa facultas, qua homo cognoscit, iudicat, atque vnum ex altero colligit. Quodsi ergo emendetur, & sublimiori lumine collustretur, egregium procul dubio vsum in scripturae interpretatione praestat. Vnde in ipsis scripturis iubemur νοεῖν, Matth. XXIV, 15. 2 Tim. II, 7. κρίνειν, 1 Cor. X, 15. ἀναιρεῖν, συγκρίνειν, 2 Cor. II, 13. 14. συνιέναι, Luc. XXIV, 45. λογίζεσθαι, 2 Cor. X, 11. Quae omnia sine rationis vsu fieri non possunt. Vt taceam adminicula hermeneutica non contemnenda, quae ratio per philosophiam, artem grammaticam, criticam cet. scripturae interpreti suppeditat. Sit igitur ratio instrumentum; sed ita, vt analogia fidei tractet negotii exegetici gubernaculum. Breuiter & neruose, pro more suo, IO. CONRAD. DANNHAVERVS, in *prodro-*

† Historiam certaminis enarrat cel. BENTHEMIVS in *Hollaendischen Kirchen- und Schulen-Staat, part. II. p. 60.*

dromo antichriſtoſophiae, §. XVIII. *p.* 57. *ſeqq.* *Damnant noſtri abuſum rationis* ψευδογραφικὸν, μεταβατικὸν, *normatiuum, iudicatiuum, iudicio non modali ac organico, ſed reali & magiſteriali, diſcretiuo, deciſiuo, & elenchtico eorum, quae clariſſime aut in ſcripturis habentur, aut ex iis deducta ſunt. Agnoſcunt contra vſum rationis* 1. *adprehenſiuum, & retentiuum,* 2. *explicatiuum rerum ex philoſophia reali, matheſi, phyſica, ethica, politica, oeconomica,* 3. *argumentatiuum, deque connexione ſententiarum iudicatiuum.* Iungatur IO. MVSAEI tr. *de vſu principiorum rationis, lib. II. cap. II. p.* 303. *ſeqq.* & THEODORI DE BLANC *principia contra Sociznianos*, lingua gallica ſcripta, *part.* I. *ſect.* III. *art.* III. *p.* 283.

*** Vocabulum ſcilicet *rationis* dupliciter accipitur,

I. *Subiectiue*, vbi per rationem intelligitur facultas illa mentis humanae naturalis, qua homo de rebus quibusuis, animo ſe ingerentibus, prout illas adprehendit percepitque, ex certis principiis iudicat † Hanc non poſſe eſſe normam ac regulam ſcripturae interpretandae, ita conficimus. Homo, qui hac iudicandi facultate pollet, eſt vel irregenitus, vel regenitus. *Intellectus* hominis IRREGENITI, vtut in rebus naturalibus, moralibus ac ciuilibus non omni vi, veritatem cognoſcendi, deſtitutus, in diuinis tamen & ſpiritualibus caecus eſt, obſcuratus, tenebris inuolutus, adeo vt ea, quae ſunt ſpiritus Dei, percipere non valeat, 2 Cor. IV, 4. Eph IV, 18. cap. V, 8. 1 Cor. II, 14. Accedit prauarum cupiditatum dominium, quae intellectum magis obnubilant, itaque diſponunt, vt certas veritates damnet, repudiet, auerſetur: quo morbo non ſolum indoctum vulgus laborat, ſed homines etiam eruditionis laude florentiſſimi, Rom. I, 22. 1 Cor. I, 19. 20. cap. II, 8 Ratio igitur, ita in res diuinas adfecta, non ſane poteſt eſſe

† Vel, vt alii definiunt, eſt *facultas nexum veritatum perſpiciendi*,

esse idonea earumdem arbitra, sed coercenda potius est intra fidei obsequium, 2 Cor. X, 4. 5. At, inquis, *ratio* hominis REGENITI, tenebris suis liberata, & diuino lumine perfusa, esse tamen poterit principium interpretationis, ita vt pro vero sensu habendus sit, qui cum emendata ratione conueniat. Verum neque hoc, quantacumque specie se commendare videatur, concedi potest. Nam 1) haec ipsa rationis emendatio est effectus scripturae, recte intellectae, adeoque posterior est sua caussa. 2) regeniti etiam hominis intellectus adhuc expositus est periculo adfectuum & praeiudiciorum, quibus in explicatione scripturae nihil nocentius cogitari potest. Sic Petro, qui iam aliquamdiu in schola Christi versatus erat, dicebatur, οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ θεοῦ, Matth. XVI, 23. atque aliis discipulis ὦ ἀνόητοι καὶ βραδεῖς τῇ καρδίᾳ, Luc. XXIV, 25. denique 3) mysteria, quae in scripturis occurrunt, quibusque proscriptis religio christiana nullos prorsus diuinitatis characteres habet, illuminatae etiam rationis vim omnem longe excedunt. Fieri autem prorsus non potest, vt, num vera an falsa sint, ratio diiudicet, quae supra eius captum posita sunt; sicut oculus, quae plane non videt, vtrum atra an alba sint, discernere nequit. Nimirum, vt docte obseruat THEODORVS DE BLANC in *principiis contra Socinianos*, *part.* I. *sect.* III. *art.* II. *p.* 269. *seqq.* duplex impotentia in intellectu nostro, respectu veritatum caelestium, reperitur α) *impotentia moralis*, qua fit, vt ratio certas veritates, maxime practicas, praeuisque cupiditatibus inimicas, prorsus auersetur, illisque quasi bellum indicat: β) *impotentia naturalis*, siue disparitas (gallice *disproportion*) virium rationis, quae quum finita suisque limitibus circumscripta sit, eiusmodi veritates capere non potest, quae characterem infinitatis prae se ferunt. Prior illa im-

potentia in regeneratione ſanatur ac tollitur; poſterior non tollitur, ſiquidem gratia regenerans & illuminans naturales intellectus noſtri limites non latius extendit. Infinitae igitur veritates, vt myſterium trinitatis, aliaque ſimilia, omni intellectui creato, & ſuis finibus circumſcripto, inacceſſae ſunt, quamuis ille ab omni deprauatione fuerit immunis. Vnde clariſſime patet, neque rationem hominis emendati eſſe poſſe principium, res diuinas interpretandi.

II. *Obiectiue* ſi ſpectetur ratio, intelliguntur *principia rationis*, ſiue propoſitiones quaedam vniuerſales, & ita euidentes, vt de illarum veritate nemo ſanus dubitare poſſit. Dei enim clementia aliquas adhuc luminis ſui ſcintillas in mente hominis reliquit, quarum ope ratio ſibi format *axiomata* quaedam tantae euidentiae, vt ſua luce adſenſum cuiuis exprimant, neque poſſit homo a ſe impetrare, vt contrario adſentiatur: ex quibus principiis, per ſe claris, ratio inſuper *concluſiones* quasdam, non minus euidentes, ratiocinando colligit. Iſtud rationis lumen quin Deum auctorem habeat, dubitari nequit; coll. Pſal. XCIV, 10. Interim dici non poteſt, quod iſtis rationis dictaminibus par certitudo competat, ac articulis fidei, in ſcriptura ſacra reuelatis. In his enim nihil intercedit humani; in illis interuenit hominis ratiocinatio, vnde facile infirmitatis aliquid admiſceri poteſt. Quod ſi autem *axiomata* illa *vera* ac *certa* ſint, hactenus quidem admitti in ſcripturae interpretatione poſſunt, vt credamus, nihil in ſcripturis a Deo eſſe reuelatum, quod principiis natura cognitis reuera contrarium ſit; at tamen *norma interpretandi eſſe non poſſunt.* Nam 1) cum ſublimiores ſcripturae veritates non ex dictamine rationis, ſed ſpiritus ſancti reuelatione profluxerint; iniquum eſt, illas rationis dictamini ac cen-

censurae subiicere, 2 Petr. I, 20. Deinde 2) ista principia rationis ex ideis claris & perspicuis nascuntur, quae rerum consideratio nobis suppeditat. Quod si igitur obiectum adeo ab acie intellectus nostri remotum sit, vt ille non possit sibi ideas claras & distinctas de illo formare, tum etiam nulla eius principia in rationis scriniis inueniri possunt. Vnde liquidissime adparet, axiomata rationis, licet in suo genere verissima, non tamen posse principiorum vicem, in sublimibus scripturae veritatibus, ac supra rationem positis, sustinere; conf. pluribus DAVIDIS MARTINI commentatio, *de religione reuelata*, gallice scripta, *part. II. cap. IX.* IO. FRANC. BVDDEI *institut. theol. dogmat. lib. I cap. II. p. 202.* & *instit. theol. moral. part. I. cap I sect II. §. XXI. p. 50 seq.* Addatur ven. PAVLVS ANTONIVS, de *aestimatione rationis theologica* ISAAC IAQVELOT, de *conformitate rationis & fidei.* HERMANNI WITSII diss. *de vsu & abusu rationis circa mysteria fidei*, quae exstat, *miscell. sacr. tom II. p. 581.* ex qua meretur hic legi aureum eius monitum, in exegesi probe tenendum, *§. XXI p 591. Supposito, exstare reuelationem de mysteriis, at inquiri in sensum verborum, quibus ista reuelatio mihi exponitur: non est in illa inquisitione ita procedendum, vt primo rationem meam consulam, quid ea in idearum ac notionum suarum scriniis rei, de qua agitur, simile, aut aduersum habeat, vt secundum eas, quas ibi inuenio, notiones, verba reuelationis exponam, id vnice operam dans, vt sensum tandem aliquem, quanta maxima possum commoditate, iis tribuam, qui istis meis praenotionibus optime conueniat. Sed attendendum est ad ipsa verba, quid in omnibus suis circumstantiis significare apta nata sint, quidque secundum scripturae stilum significare soleant: atque hac via reperto sensu, quem verba sine torsione per se*

fundunt, ſecure in eo adquieſcendum eſt, omniaque rationis ſcita ſubiicienda ſunt iſti ſenſui, quem iis me verbis docet Deus. Eadem monet beatus IO. GVIL. BAIERVS, in *compendio theol. hiſtor. p. 90. ſeqq.*

§. VI.

Videndum tamen eſt, ne in alterum extremum ruamus, abdicatoque rationis vſu, *eccleſiae traditionibus*, aut *patrum auctoritati* eum honorem deferamus, vt hunc demum genuinum putemus dictorum ſenſum, quem illi nobis ſummo conſenſu tradiderunt. * Quam ineptum enim & lubricum illud ſit interpretationis principium, qui patres nouit, ignorare non poteſt. **

* Pertinent huc praeter Iudaeos, qui vltra patrum traditiones in ſcripturis raro ſapiunt, romanae eccleſiae ſocii, qui traditiones ἀγράφους ſcripturae ſacrae adiungunt, & *pari pietatis adfectu ac reuerentia ſuſcipiendas ac venerandas eſſe contendunt*, vt concilii Tridentini patribus loqui placuit, *ſeſſ. IV. decr. III. ed. Hallenſ. p. 22.* Sed conferantur, quae de traditionum iſtarum incerta ac ſuſpecta fide diſſerit beatus MART. CHEMNITIVS, *in examine concilii Tridentini, part. I. f. 60.* ed. Geneu. nec non cel. CHRISTOPHORVS MATTHAEVS PFAFFIVS, de *traditionum non ſcripturarum ſpeciebus, valore, certitudine, pondere.* Addatur venerandi BVDDEI *praefatio in philolog. Sal. Glaſſii*, eiusdemque *inſtitutiones theol. dogm. lib. I. cap. II. p. 178. 203.* Satis igitur cauſſae nobis eſt, cur a lubrico illo principio abhorreamus: prorſusque vanus eſt RICHARDI SIMONIS metus, niſi traditiones admittantur, ſtatim concedendum eſſe in caſtra Sociniae

nianorum in *hist. critic. vet. testam. lib. III. cap. XVI p. 77.*

** Peccant equidem, qui patrum tumulis superbe insultant, quumque eorum scripta vix primis labris deguſtarint, illorum albis dentibus rident simplicitatem. Sed & peccant proceres Tridentini, qui volunt, *ne quis contra vnanimem consensum patrum scripturam interpretari audeat.* Negari enim non potest 1) plerosque patrum necessariis subsidiis, sine quibus scripturae interpretatio non recte procedit, aut prorsus fuisse destitutos, aut non, quantum satis erat, instructos; 2) plurimos sensum potius allegoricum, quam litteralem, & a spiritu sancto intentum, fuisse sectatos; vnde ipse RICH. SIMON *hist. crit. vet. test. lib. III. cap. VIII. p. 25.* ed. lat. *Veterum*, inquit, *commentarii religionis veritatem exhibent potius, quam litteralem scripturae sensum.* Adde ROB. BOYLE, de *excellentia theologiae, p. 56.* ed. germ. 3) Omnes saltim fuisse homines, qui non solum labi in scripturae interpretatione & errare potuerunt, sed reuera etiam passim errarunt, & in locis obscurioribus, vbi quam maxime opus erat ipsorum consensu, grauissime a se inuicem dissident.

§. VII.

Fons, vnde analogia fidei haurienda, est ipsa scriptura sacra,* eiusque planissima oracula, quae nulla prorsus obscuritate laborant.** Qua in re felicius versabitur, qui & cuiusuis doctrinae ideam ex istiusmodi scripturae locis sibi formauerit, vbi de illa ex instituto, ac velut in natiua sua sede, agitur,*** & diuersas oeconomias foederis gratiae diligenter ob oculos habuerit.****

*Hoc

* Hoc scilicet pertinebat ad verbi diuini perfectionem, vt in ipsa scriptura scripturae interpretandae principia legentibus subministrarentur; vt adeo nihil absurdi dicat, qui scripturam se ipsam interpretari dixerit: quod sit vel *actu*, quum dictis suis explanationem clarissimam statim subiungit; vel *potentia*, cum veri sensus indicia & adminicula suppeditat. Sic TERTVLLIANVS *de velandis virg. c. III. p 561* ed. Paris. 1657. *Exsurge veritas - - ipsa scripturas tuas interpretare.* IRENAEVS *adu. haer. lib III. c. XII. p. 230.* ed. GRABII: *Ostensiones, quae sunt in scripturis, non possunt ostendi, nisi ex ipsis scripturis* it. AVGVSTINVS de *doctrina christ. lib. III c. XXVIII.* Vt proinde mirum sit, pontificios, qui patrum consensum vbique iactitant, adeo longe ab eorum mente recedere. Sic e. c. ROB. BELLARMINVS, de *verbo Dei, lib. III. c. IX. Scriptura se ipsa interpretari non potest.* Sunt equidem, qui analogiam fidei ex libris symbolicis, vel compendiis theologicis, vel libris catecheticis desumendam existimant. Sic MELANCHTHON, *tom. III. operum, f. 401. Summam*, inquit, *vniuersae scripturae sacrae de articulis necessariis complectitur & continet communis doctrina catechismi vestri. Quandocunque igitur auditis doctrinam, pugnantem cum aliquo articulorum catechismi, eam certo sciatis esse falsam, nec congruere cum doctrina, clare & certo in scriptura a prophetis, Christo, & apostolis tradita.* Sed & hic merito valet illud poetae: *dulcius ex ipso fonte bibuntur aquae.* Nimirum *quum scripturae, a Deo profectae, haud dubie summa & accuratissima sit harmonia; certum etiam sit, quod Deus capita fidei & morum, scitu necessaria, perspicuis & claris verbis enunciauerit: danda est opera, vt perlustrando totam scripturam, mox inde discamus summam*

mam quamdam caelestis doctrinae; atque hac & singulis eius partibus probe cognitis, deinceps in quorumuis aliorum scripturae dictorum interpretatione sic versemur, ne vllum vlli dicto tribuamus sensum, nisi qui cum istis scripturae capitibus, totaque summa suauiter conueniat, vt egregie monet IO. GVILIELMVS BAIERVS, in *compendio theol. exeget. p.* 38. Ceterum huc cum fructu conferri possunt venerandi praeceptoris IOACH. IVSTI BREITHAVPT *theses analogiae fidei generaliores:* eiusdemque *forma sanorum verborum.*

** Vti praemissae notiores esse debent conclusione, ita loca, a quibus aliorum interpretatio pendet, debent esse clarissima. Obscurum enim per aeque obscurum interpretari parum emolumenti adfert: conf. IO. CONRADI DANNHAVERI *hermeneutica sacra p.* 373. eiusdemque *idea boni interpretis p.* 191. adde AVGVSTINVM de *doctrina christ. lib. II. c. IX.* Hinc etiam patet, minime a nobis *circulum* vitiosum committi, si dicimus, scripturam esse interpretandam secundum analogiam fidei; & rursus dicimus, analogiam fidei ex scripturis esse hauriendam. Loca enim scripturae obscuriora secundum clariora interpretari, minime vitiosum est.

*** Ratio haec est, quia cogitationes auctoris semper sunt defixiores, adeoque certiores, eo in loco, vbi rem aliquam ex professo tractat, quam vbi eius obiter tantum mentionem facit, vti rursus optime monet IO. CONR. DANNHAVERVS, *hermen. sacr. p.* 374. Vide vero Christum ipsum, suo nobis exemplo hic praeeuntem, Matth. XIX, 4. 7. 8.

**** Vnum fuisse foedus gratiae, ad §. III. indicauimus; quod tamen Deus variis seculorum oeconomiis πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, primum sub vmbris, deinde sine vmbris dispensauit. Ne igitur dictis scri-

pturae sensum tribuamus, quem oeconomia illius temporis, ad quod spectat, haud patitur, iuuabit genuinum conceptum de diuersis foederis gratiae oeconomiis sibi comparare, quod ex HERMANNI WITSII, FRANCISCI BVRMANNI, WOLFGANGI IAEGERI, aliorumque *de doctrina foederum* scriptis, fieri potest.

§. VIII.

Vsus huius principii exegeticus † duplex est. Adhiberi enim potest vel ad sensum falsitatis conuincendum, si scilicet aliquid contineat, quod cum analogia fidei pugnet;* vel ad sensum stabiliendum ac confirmandum, si, praeter reliqua veritatis criteria, huic scripturae concentui sit conformis. **

* Si enim verus esset sensus, qui a concentu & harmonia veritatum fundamentalium recedit, tum statuendum esset, spiritum sanctum in scripturis sibimet ipsi contradicere, inque locis clarioribus alia & diuersa tradere, quam in obscuris: quod absonum esset cogitare. Ita, si quis per *afflictiones Christi*, quarum defectus Paulus in passionibus suis complebat, Col. I, 24. intelligere velit adflictiones, quas Christus ad redemtionem humani generis corpore & animo suo sustinuit; tum sensus prodiret analogiae fidei repugnans, quippe quae Christum sistit, vt seruatorem consummatissimum, qui ante obitum, glorioſum illud τετέλεσται proclamauit, Ioh. XIX, 30. & ipse τελειωθεὶς Ebr. V, 9. vnico simul sacrificio τετελείωκεν in perpetuum sanctificandos c. X, 14. Qui ergo eius passionibus ὑστερήματα tribuit, a fidelibus demum

† De vsu huius principii *hermeneutico, dogmatico, polemico & homiletico*, conferatur etiam diss. cit. de *analogia fidei*. §. XXI. p. 38. *seqq.* & ven. IOACH. LANGII *oeconomia salutis* p. 42. *seqq.*

demum supplenda: is tot claris & apertis contradiceret scripturae testimoniis, totumque fidei subrueret fundamentum, quae perfectissimae Christi obedientiae agenti & patienti innititur. Certum igitur est, hunc sensum non esse verum, nec a spiritu sancto, alibi longe alia testante, intentum. Intelligitur potius mensura adflictionum, corpori Christi mystico destinatarum.

** Scilicet si *adfirmative* de sensu alicuius loci pronunciare velimus, tum non semper inferre licet: *hic sensus analogiae fidei est conformis, ergo verus*, & ab auctore intentus. Possunt enim nonnumquam verba plures sensus ferre, quorum nullus in analogiam fidei impingit, qui tamen non omnes possunt esse a spiritu sancto intenti, vtpote qui vnum tantum conceptum litteralem vocum ac phrasium significationi adligauit, vt demonstratum est, *p.* 64. Necesse igitur est, vt & reliqua veri sensus criteria in subsidium vocentur, nisi quis falli ac fallere velit; vt adeo is demum genuinus scripturae sensus habeatur, qui secundum regulas hermeneuticas, rite adhibitas, exsurgit, & fidei analogiae est conformis, conf. dicenda *lib.* IV. *c.* II. *p.* 763. Vide vsum huius principii, in integris scripturae libris demonstratum, a vener. praeceptore AVGVSTO HERMANNO FRANCKIO, in *praelection. hermeneut. p.* 177. *seqq.* & conf. 10. WILHELMI ZIEROLDI *analogiam fidei, per exegesin epistolae ad Romanos demonstratam.*

§. IX.

Turpissime autem *abuteretur* hocce sanae interpretationis principio, qui vel analogiam fidei, praeterito purissimo scripturae fonte, ex compendiis hauriret, vario errorum genere refertis; vel praeconceptas men-

te opiniones, aut sectae suae hypotheses * pro analogia fidei haberet, diuina oracula secundum hanc normam interpretaturus.

* Plurimi scilicet, in interpretandis scripturis, doctrinam in coetu suo receptam supponere solent, nec, si deprehendant loca quaedam scripturae, hypothesibus suis e diametro opposita, idcirco ab his recedunt; sed potius talem adferre scripturae interpretationem adnituntur, quae analogiam fidei, quam animo suo formauerunt, non dissoluat. Vnde saepissime fit, vt scriptura humanis opinionibus, quasi pes calceo, aptetur. Vt nihil dicamus de pontificiorum circulo, qui interrogati: vnde probas, hunc esse scripturae sensum: respondent: quia ecclesia credit; rursusque interrogati, cur ecclesia credit? reponunt, quia scriptura adfirmat; de quo legi meretur CALIXTI diss. *de pontificiorum circulo.* Ceterum, quum abusus rei vsum non tollat, facile quilibet intelligit, male agere RICHARDVM SIMONIVM, *in hist. critica commentatorum noui test. cap. XLVI. p.* 687. dum analogiam fidei ideo in scriptura interpretanda reiicit, quod quaelibet secta sub eius praetextu suas defendere opiniones queat. Confer. ven. AVG. HERM. FRANCKII *positiones hermeneuticas, posit. V. p.* 168. *seqq.* Adde etiam de integro hoc argumento MICH. FÖRTSCHII diss. *de analogia fidei.* cel. IO. IAC. LEHMANNI praef. ad *Sandhagenii* opera exegetica, & quae sub praesidio ven. PAVLI ANTONII *de analogia fidei* ELIAS BÜTOVIVS, anno MDCCXXIV, Halae disputauit.

LIBRI

LIBRI SECVNDI
CAPVT SECVNDVM
DE
EXEGETICA CIRCVMSTANTIARVM CONSIDERATIONE.

Σύνοψις.

Connexio ostenditur cum capite praecedenti, §. I.
Promittitur tractatio de *mediis* hermeneuticis specialioribus, §. II. vbi primo loco occurrit *Consideratio circumstantiarum*, §. III. quo pertinet
I. *Persona loquens*, §. IV V.
II. *Obiectum personale & reale* §. VI.
III. *Tempus*, §. VII.
IV. *Locus*, §. VIII.
V. *Occasio*, §. IX.

§. I.

Postquam principium exegeseos sacrae adstruximus, nunc porro ostendenda sunt *media*, quae ab isto principio diriguntur, vt finem propositum feliciter adsequamur.

§. II.

Hic vero de generalioribus mediis, *oratione*, *meditatione*, *tentatione* nihil dicemus, quae tria genuinum theologum, qui in scripturis nascitur, LVTHERO* dictitante, constituunt; sed ad specialiora statim media designanda nos accingemus.

* Conferatur beati viri praefatio, *tomis Ienensibus Germanicis* praemissa. Add. IO. HENRICI BARTHII

THII *dissertationes*, quibus haec Lutheri verba fusius illustrauit, & IO. HENR. MAII *introd. ad studium philol. & crit. c. I.* & ven. IOACH. IVSTI BREITHAVPTII *programmata selecta, p. 1. seqq.* †

§. III.

Primum hic merito locum occupat *exegetica euolutio circumstantiarum*, quas in cuiusuis loci interpretatione notas prius atque perspectas esse necesse est, quam in verborum rerumque viscera penetrari possit.

§. IV.

Ante omnia igitur ratio postulat, vt, *quis loquatur*, inuestigemus. Quod vt adsequamur, tum in ipsa orationis serie omnes characteres dicentis sedulo colligendi & sub examen vocandi sunt, vt his quasi viae ducibus in dicentis notitiam perueniamus: tum, quae in aliis scripturae locis de sermonis auctore exstant, conferre iuuat. *

* Indagatio *auctoris* loquentis pertinet

I. Ad *integros libros*, ex quibus pericopa explicanda desumta est. Equidem in libri alicuius biblici interpretatione sufficere posse videtur, si de auctore primario, spiritu sancto, res extra controuersiam posita sit, id quod ex illis libri canonici criteriis fieri potest, quae IO. GERHARDVS, in *exegesi loci de scriptura sacra*, & MICH. WALTHERVS, *officin. bibl. §. 572. seq.* tradiderunt. Neque raro contingit, vt in hac notitia summi auctoris adquiescere cogamur, vbi de auctore secundario nihil praeter coniecturas proferre licet, vt in libris Iosuae, Iudi-

† Add. ven. BVDDEI *isagogen in vniuersam theol. lib. I. c. III.* B. FRANCKII *meth. studii theol. c. III.*

Iudicum, Ruthae, Samuelis, Regum, Chronicorum &c. aceidit: quod Deum, ſtudioſiſſimum eccleſiae ſuae cuſtodem, non fruſtra feciſſe, IO. HENRICVS HOTTINGERVS, *theſauro philol p. 467* pie obſeruat; quippe qui ea verbo ſuo indidit diuinitatis criteria, & luculentiſſima efficaciae documenta, vt ei, cum quibuscumque aliis ſcriptis collato, palma ſponte cedat. Non ab amanuenſibus, non ab eccleſia; ſed a propriis, & inſitis ſibi notis, illud ſuam commendare poteſt αὐθεντίαν, originemque prorſus diuinam. Interim negari non poteſt, multum ſaepe lucis libro alicui rectius intelligendo adfundi, ſi verus eius auctor non ignoretur; qui perſpicitur

1. *Ex titulo & inſcriptione libri*, ex qua tamdiu de libri ſcriptore certi eſſe poſſumus, quamdiu tituli fides nullis infringi argumentis poteſt, vid. Prou. I, 1. Cant. I, 1. Eſa. I, 1. Rom. I, 1. &c.

2. *Ex mentione eiusmodi circumſtantiarum*, quae genuinum auctorem ſatis produnt. Ita librum *Coheleth* non compoſitum eſſe a Ieſu aliquo, filio Ioiadae, pontificis poſt exilium Babylonicum quarti, vt vir ingenioſiſſimus HERMANNVS VON DER HARDT probare conatus eſt, peculiari ſchediasmate, quod *de auctore libri Coheleth*, anno MDCCXIV. publicauit; ſed Salomonem, Dauidis filium: ſatis oſtendunt characteres, quos auctor paſſim libro impreſſit, inprimis cap. I, 12. 13. cap. II, 1. ſeqq. qui certe ita comparati ſunt, vt in neminem, praeter Salomonem, quadrent, vt pluribus euicimus in *diſſert.* noſtra, *de libro Coheleth*, ſub praeſidio ven. IO. HENRICI MICHAELIS Halae MDCCXVI. habita, §. IV.

3. *Ex ſtili conuenientia*, niſi diuerſum in diuerſis libris argumentum ſtili etiam diuerſitatem requirat, qua de re pluribus videatur IO. CLERICI *ars critica*,

critica, part. III sect. II. cap. VI. p. 372. Ita Paulum esse epistolae ad Ebraeos auctorem, praeter alia iudicia ex stili etiam conformitate demonstrat vir piae eruditionis laude florentissimus, IO. GEORGIVS PRITIVS, *introductione in N. T. cap. IV. §. III. p. 28.* & vener. IOACHIMVS LANGIVS, in *commentatione de vita & epistolis Pauli, p 157.*

4. *Ex testimonio tum proprio*, vt Cohel. I, 12. cap. XII, 9. 10. Apoc. I, 9. *tum aliorum* testium, fide dignorum. Sic psalmum secundum a Dauide esse scriptum, ex Petri testimonio constat, Act. IV, 25. Sic Mosen esse pentateuchi auctorem, ex testimonio *Christi*, Ioh. V, 46. *Pauli*, 2 Cor. III, 15. *Iacobi*, Act. XV, 21. contra friuolas THOMAE HOBBESII, BENEDICTI SPINOZAE, aliorumque contradictiones euincitur; quod pluribus argumentis confirmat ven. SAL. DEYLINGIVS, *obseru. sacr. lib. I. obs. II.*

II. Post inuestigatum, quantum fieri potest, integri libri auctorem, porro videndum est, quis speciatim *in pericopa* illa, siue maiori, siue minori loquatur, quam explicandam adgredimur, vbi

1. *Intra contextum* obseruare, & inter se conferre iuuat dicentis characteres. Ita Gen. XVI, 10. non loqui angelum creatum, vt vult HVGO GROTIVS; sed creatorem, ex contextu patet. Vindicat enim sibi ille angelus v. 10. potestatem & ἐξουσίαν, posteros Hagaris multiplicandi, quod opus prorsus diuinum est; deinde v. 13. conceptis verbis IEHOVA vocatur, quod nomen nulli spiritui creato conuenit †

2. *Extra contextum* obseruanda sunt, quae de persona in loco nostro loquente, alibi habentur. Ita Exod. XXXIV, 6. 7. non Mosen loqui, vt multi perperam putant, sed ipsum Deum, ex Num. XIV, 17.

† Vide huius canonis exercitium per omnia reliqua loca, quae de angelo increato agunt, in ven. IOACH. LANGII *caussa Dei, tom. II. p. 365. seqq.*

17. perſpicitur. Similiter Eſa. VIII, 18. Meſſiam loqui, ex Ebr. II, 13. adparet.

§. V.

In hac vero dicentis inueſtigatione id maxime diſpiciendum eſt, vtrum auctor libri ex ſua perſona loquatur, an decoro ſchemate alienam introducat declamantem: * neque minus, ſi diuinam perſonam perorare conſtet, quaenam illa ſit ex venerando trinitatis concilio, diſquirendum eſt: ** denique ad crebras elegantiſſimasque perſonarum loquentium mutationes ac ſucceſſiones, in verbo propheticо obuias, diligenter eſt attendendum. ***

* Inſcriptio pſalmi XVI Dauidem prae ſe fert auctorem, qui vero non de ſe loquitur, ſed Meſſiam precantem ſiſtit, vt praedicata, in Dauide non demonſtrabilia, teſtantur, ac Petrus confirmat, Act. II, 25. Δαβὶδ λέγει εἰς αὐτὸν, *in illum* quaſi *transformatus*, eiusque perſonam repraeſentans; quod idem etiam pſalmo XVIII. XXII. XXXIV. XXXV. XXXVIII. XL. & quam plurimis aliis contingit. Similiter pſalmo CXLIV, 12. ſeqq. Dauid quidem loquitur, verum non ex ſua mente, ſed ex perſona carnalium Iudaeorum v. 11. qui rerum omnium adfluentiam pro ſigno beneuolentiae diuinae habebant, quos Chriſtus parabola de diuite epulone Luc. XVI. refutare voluit. Porro pſalmus CXXXVII rectiſſime quidem a LXX. *interpretibus*, *Vulgato*, *Arabe*, adſcribitur Dauidi; neque hic audiendus eſt HVGO GROTIVS, qui, in *praefat. ad Pſalmos*, nimis praecipitanter pronunciat, *quod ſtultum ſit dubitare, quin hic pſalmus ſcriptus ſit in exilio Babylonico*, quod ſcilicet illa calamitas, tamquam res praeterita, nimis clare in illo deſcribatur. Numquid enim Eſaiae, Ieremiae, aliorum

rumque vaticinia, post suum demum implementum esse scripta, ideo putabimus, quod euentus futuri, tamquam praeteriti, nimis clare in illis saepe describuntur: vt recte obseruat vener. IO. HENR. MICHAELIS, *in notis vberior. in hagiographa*, *tom I. p. 6.* Optime SYRVS interpres suam de hoc psalmo sententiam expressit: Est *psalmus Dauidis*, continens *verba sanctorum*, *qui captiui ducti sunt in Babel.*

** Exod. XXXIV, 6. 7. diuinam loqui personam non Mosen, ad §. anteced. obseruatum fuit. In eo autem non adquiescendum est, sed porro indagandum, quaenam illa sit, prima? an media? nam de spiritu sancto vix est hic cogitandi locus. Patrem hic testari de filio, pluribus adstructum vide in *freyvvilligen Hebopffer*, quod *Berolini* prodit, *sect* XXV. *p.* 369. *seq.* Sic Esa. XLIX, 1. Iehoua *filius* ad gentes; v. 7. Iehoua *pater* ad filium loquitur. Huc etiam pertinet obseruatio viri doctissimi, FRIDERICI ADOLPHI LAMPII, *exercit. sacr. in Psal XLV. exercit.* III. §. XII. *p.* 118. *filium Dei, id quod profert, saepe numero in nomine patris proferre*, cuius canonis exempla videri possunt, Gen. III, 8. 15. Exod. XXIII, 20. Zach. III, 6. 7. 8.

*** Ita quum Esa. I, 2. seq. Deus velut in amplissimo theatro litem intendere vellet populo suo immorigero, prodit *praeco*, qui concionem cogit, ac caeli terraeque incolas ad attentionem excitat; *audite caeli, & auscultа terra, quia Iehoua loquitur*; deinde ipse DEVS progreditur in scenam, Iudaeosque grauissimorum criminum postulat, v. 2. 3. quam Dei orationem *propheta* vlterius explicat & defendit v. 4. seq. Sic Psalmus XCV. ita constructus est, vt 1. *doctores euangelii* sistantur, qui Iudaeos ad Messiam recipiendum excitant, v 1-7. deinde 2. *ipse Iehoua Messias* prodit, & suum calculum apostolorum orationi addit, v. 8.

vsque

vsque ad finem. Vide etiam Psal. II. XXIV. XXXI. L. XCI. totumque canticum Salomonis. Excellit in hac personarum mutatione obseruanda, instruendaque orationis scena, CAMPEGIVS VITRINGA, vir in verbo prophetico insigniter exercitatus, in *comm. in Esaiam*; nec non SALOMO TILLIVS, vti passim in *opere analytico*, ita imprimis in *comm. in Psalmos*; vbi tamen vir doctus in multiplicandis diuersis oratoribus foecundo ingenio nimis saepe indulget, qui excessus hic euitandus est. Vide e. c. quae ad psalmum XXXIII. & LXXIV. adnotauit, vbi sane non personae, sed adfectus dicentis inter loquendum mutantur.

§. VI.

Non minori cura disquirendum est *obiectum* orationis, tum *personale*, tum *reale*: quod partim argumentis insitis, partim locorum parallelorum subsidio cognoscitur. *

* *Obiectum* PERSONALE, hoc est, persona *ad quam*, vel *de qua* sermo est, vbi nulla eius fit expressa mentio, ex attributis, quae illi adscribuntur, colligendum est, duce aureo illo canone: *talia sunt subiecta, qualia permittuntur, immo praescribuntur, a suis praedicatis.* Ita qui psalmum L. legerit, facile videt, post praefationem, qua Messiae loquuturo attentio conciliatur v. 1-6. duplicis generis homines compellari, I. *Israelem spiritualem*, qui monetur, vt omisso cultu vmbratili sacrificiorum, Deum in spiritu ac veritate colat, v. 7-15. II. *Iudaeos incredulos*, qui, Messiae sacrificio repudiato, vmbris adfixi, quouis scelerum genere se commaculabant, v. 16-fin. Similiter Psalmo XLV, 3. regem Messiam, non Salomonem compellari, praedicata neminem dubitare sinunt. Quomodo enim e. c. spi-

ritus sanctus Salomonis *victorias* canat, v. 4. 5. 6. qui bella numquam gessit? aut *thronum* eius *aeternum*, v. 7. qui iam in successore vacillabat? aut quomodo eum v. 7. 8. vt *Deum*, filios eius vt *principes totius terrae* describeret, v. 17. a cuius proximo herede longe maxima pars regni paterni defecit? Quin talia huic regi tribuuntur, quae plus quam humanum aliquid spirant, nec, nisi in persona θεανθρώπου, vera esse possunt, coll. v. 3. 8. Accedit diuini Pauli auctoritas, Ebr. I, 8. qui verba πρὸς τὸν υἱὸν dicta adfirmat. conf. FRID. ADOLPHI LAMPII *exerc. sacr. in Psal. XLV. p.* 69. Psalmum II. de Messia agere, si vel ex noui testamenti suffragiis, atque infallibili spiritus sancti explicatione Ebr. I, 5. cap. V, 5. Actor. XIII, 33. cet. non constaret, ex argumentis tamen insitis liquidissime demonstrari posset, quae adeo magnifica sunt, ut in regem terrestrem nullum cadant, quod tredecim rationibus contra HVGON. GROTII detorsiones probauit ABRAH. CALOVIVS, *biblior. illustrat. tom. I. p.* 934. Tres addimus canones, qui in verbi prophetici interpretatione magni sunt vsus.

I. *Si obiecto personali, quod suo nomine exprimitur, praedicata nullo modo conueniant: tum cogitandum est de subiecto alio, quod mystice, ob conuenientiam typi & antitypi, nomen illud sustinere potest.* Exempla sunt in *Dauide* Ezech. XXXIV, 23. 24. *Salomone*, Psal. LXXII, 1. *Libano*, Zach. XI, 1. *Serubbabele*, Hagg. II, 24. cetera.

II. *Si praedicata eo modo comparata sint, vt in obiecto, grammatice intellecto, non nisi tenuiter admodum ostendi possint: tum credendum est, duplex obiectum personale spiritui sancto, per prophetas loquenti, fuisse obseruatum, quorum vnum ex Dei intentione emblema esset alterius.* Quidquid igitur obiecto, proprie accepto, ad vim phraseos deesse videri

deri possit, id ex eiusdem mystice accepti attributis supplere par est. Exempla Esa. XIV, 12. 13. cap. XXII, 15. seqq. Cap. XXV, 7. 8. cet. capiantur, & conferatur CAMP. VITRINGA, in *typo doctrinae propheticae, p. 176. seqq.*

III. *Scriptura saepe de Christo & corpore eius mystico velut de vna persona loquitur*, cui quaedam tribuuntur, quae tantum in caput; quaedam, quae tantum in corpus quadrant; quaedam vero in vtrumque: quem canonem dudum TICONIVS Afer protulit apud AVGVSTINVM in libris de *doctr. christiana lib. III. cap XXX. seqq.* Sic ipse AVGVSTINVS ad *psal. III. Loquitur ecclesia & caput eius, inter procellas persecutionum constituta, per vniuersum terrarum orbem.* vide etiam Esa. XLIX, 7. seqq. coll. 2 Cor. VI, 1. 2.

Obiectum REALE, (hoc est, res, de qua in sermone agitur,) eodem modo ex attributis, in textu obuiis, collato parallelismo, inuestigandum est. Esa. XXIX, 1. sub nomine Arielis, vrbi Hierosolymae grauis *obsidio* denuntiatur. Qualis vero, num *Assyriaca*, an *Babylonica*, an *Romana?* Id vero characteres & consequentia illius obsidionis definiunt, quae docent, de tali iudicio gentis iudaicae peremtorio hic agi, *cuius consequens esset reiectio Iudaeorum, & conuersio gentium*, in illorum locum vocandarum, v. 17. seqq. Qui character in iudicium per *Romanos* olim exercendum, perfectissime quadrat. Accedit parallelismus N. T. vbi 1.) Christus, obsidionem vrbis per Romanos praenuntians, phrases ex hac prophetia manifesto desumit, Luc. XIX, 43. cap. XXI, 20. coll. Esa. XXIX, 2. 3. 2.) Quae vates de hypocrisi Iudaeorum conqueritur, dominus ad doctores & plebem sui aeui adplicat, Marc. VII, 6. coll. Esa. XXIX, 13. 3.) Excaecatio, huic genti isto capite denuntiata, a Christo & apostolis in

Iudaeis sui temporis ostenditur, Matth. XIII, 14. Rom. XI, 8. coll. Esa. XXIX, 10. 14.

§. VII.

Porro cogitandum est de *tempore*, tum illo, *in quo* sermo editus est, * tum illo, *de quo* sermo agit: ** quod vtrumque, si non expressa eius est in textu mentio, ex characteribus, in ipsa oratione obuiis, & cum historia sacra ac profana collatis, eruendum est.

* Exempla capiamus

I. *In integris libris.* Quo tempore vaticinia *Malachiae* edita sint, in titulo libri non expressum legitur, vt fit in inscriptione Esaiae, Ieremiae, Ezechielis, Hoseae, Amosi, Michae, Zephaniae, Haggaei, Zachariae. Sed ex ipso tamen libri argumento patet, 1) auctorem vixisse post *reditum ex captiuitate Babylonica*, & quidem post Haggaei ac Zachariae aetatem. Quum enim illi Iudaeos ad templum instaurandum impellant; hic, vt in templo instaurato pie ac reuerenter se gerant, sacerdotes adhortatur. 2) auctorem floruisse *circa annum Artaxerxis longimani* XXXII. quod inde colligas, quod eadem vitia populo exprobrat, quae Nehemias; c. XIII. e. c. connubia sacerdotum cum feminis peregrinis, ebraeis vxoribus siue neglectis, siue repudiatis, Mal. II, 8. 11. 14. coll. Neh. XIII, 23. negligentiam in persoluendis decimis, Mal. III, 8. 10 coll. Neh. X, 37. cap. XIII, 10. 11. 12. deprauationem cultus diuini, & omissam sacrorum curam, Mal. I, 8. 12. 13. cap. II, 8. coll. Neh. XIII, 15. Videatur doctissimi CAMP. VITRINGA *obs. sacr. lib.* VI. *p. 331. seq. Secundam* Pauli *ad Thessalonicenses epistolam* scriptam esse Corinthi, anno Claudii imperatoris XIII. viri harum rerum peritissimi iudicant, vt CAMP. VITRINGA,

TRINGA, in *hypotyp. historiae & chronologiae sacrae, p. 218.* IO. PEARSONIVS in *annal. Paulini, p. 24.* ed. Hall. Quod obseruasse, ad sensum capitis *secundi* eruendum, multum interest. Hinc enim adparet, non modo HIERONYMVM errasse, quum per eum, *qui nunc tenet* v. 7. Neronem intelligit; *ad Algasiam, tom. IV part. I. p. 209* ed. Benedict. sed etiam virum doctissimum HVGONEM GROTIVM, longe a veritate recessisse, quum per ἄνομον, ac hominem peccati, cuius manifestationem Paulus vt futuram praedicit, magno eruditionis adparatu intelligendum esse docet *Caium Caligulam* (tredecim scilicet annos ante scriptam epistolam mortuum) in *commentatione ad loca quaedam N. T. quae de anti-christo agunt, p. 11. seqq.* Eadem via incedendum est,

II. In *singulis libri partibus*, siue maioribus, siue minoribus, ad certum tempus reducendis: quod nonnumquam ab auctore ipso exprimitur; vt Esa. VI, 1. cap. XIV, 29. Ier. XLVII, 1. Ioh. VII, 37. vt plurimum tamen ex argumento pericopae coniectandum est. Si quaeras e. c. quo tempore edita sit prophetia, quae *secundo & tertio* Esaiae *capite* continetur, tum attende ad ea, quae vates de florente iudaici regni & populi statu dicit, cap. II, 7. cap. III, 16. 17. quae satis docent, *Vzziae* temporibus esse prolatam, vt instituta cum historia illorum temporum collatio docet, 2 Chron. XXVI, 6. seq. Sub eiusdem regis extrema tempora prolatum esse vaticinium *capitis quinti* non solum rursus ostendunt expressa passim vestigia status florentis & securi, ex quo luxus & alia vitia nascebantur; sed etiam, quod verba cap. II, 9. 11. hoc ipso cap. V, 15. repetantur. Vt taceam, parabolam de *vinea* esse quasi vlteriorem commentarium in verba cap. III, 14. *depasti estis vineam domini.* Vtilem in hoc scrutinio temporis

operam praestat IO. HENRICI MAII *oeconomia temporum V. & N. T.* qui libros biblicos, ac diuersas illorum partes, secundum ordinem chronologicum apte digessit. Confer infra *p. 221. seqq.*

** Ad inuestigationem *temporis*, *de quo* vaticinia agunt, & in quo scena visionum propheticarum figenda est, acutiores oculi, quam vulgo putatur, requiruntur; resque est maximi momenti, quum plerumque genuina prophetiae interpretatio hinc pendeat. Methodus autem eadem tenenda est, vt attributa textui insita cum historia sacra & profana conferantur; qua in re nonnumquam etiam parallelismus, & analogia verbi prophetici, succurrit. Vaticinium Esaiae cap. VI. *de excaecatione Iudaeorum* editum est, vt inscriptio docet, v. 1. anno primo regni Iothami. Sed si inquiratur tempus, *de quo* propheta agit, negari equidem non potest, Esaiae aeuum non prorsus esse excludendum, quippe quo praeludia huius spiritualis iudicii in profanis verbi diuini contemtoribus conspiciebantur; interim scena implementi proprie figenda est *in initiis N. T.* nam, 1) talis intelligitur excaecatio, quae coniuncta esset cum summa demonstratione gloriae Dei per vniuersum orbem, v. 3. quamque consequeretur plenarium excidium maximae partis gentis Iudaicae, v. 11. 12. accedit 2) *parallelismus* propheticus, Esa. VIII, 15. cap. XXVIII, 13. cap. XXIX, 9. 10. cap. XLII, 19. ac denique 3) *euentus*, Ioh. XII, 41. Act. XXVIII, 26. Rom. XI, 25.

§. VIII.

Non raro etiam *loci* consideratio, vbi vel liber aliquis scriptus,* vel aliquid dictum factumue est,** aliquam lucem interpretationi addit, maxime si attendatur ad naturam loci, & ritus ibi vsitatos. ***

* *Poste-*

* *Posteriorem Pauli ad Thessalonicenses* epistolam scriptam esse *Corinthi* (non *Athenis*, vt subscriptio habet) inde patet, quod apostolus, quum eam scriberet, adhuc Timotheum & Silam in contubernio suo habebat, quorum proinde nomine hanc quoque epistolam, perinde vt priorem, inscribit cap. I, 1. conferatur Actor. XVIII, 1. 5. cum 1 Thessal. III, 6. Haec loci circumstantia nonnullas suppeditat obseruationes, ad aliqua huius epistolae loca clarius intelligenda. Patet hinc e. c. Paulum 2 Thess. III, 8. ad operas suas manuarias eo confidentius prouocare potuisse, quo illis Corinthi constantius vacabat, Actor. XVIII, 3. 1 Cor. IX, 11. 12. it. Paulum Corinthi & aliis in locis plus difficultatis inuenisse, in constituenda ecclesia, quam Thessalonicae, ex 2 Thess. III, 1. 2. liquet, vt alia taceamus. Similiter epistolas Pauli ad *Ephesios*, *Philippenses*, *Colossenses* & *Philemonem* multis in locis felicius interpretabitur, qui nouerit, eas Romae in prima captiuitate esse scriptas, vt ostendit 10. PEARSONIVS, in *annal. Paulinis*, *p.* 32.

** Ita Christus egregiam illam orationem, quam multi auditores aegris auribus audiebant, Ioh. VI. *in schola Capernaitica* habuisse dicitur, v. 59. adeoque in loco publico, & in ea ipsa vrbe, quae iam tot miracula seruatoris viderat; qua loci circumstantia auditorum malitia & incredulitas grauius exaggeratur, coll. Matth. XI, 23. Inprimis in visionibus prophetarum ecstaticis dispiciendum est, quo in loco *theatrum* quasi *rerum visarum gerendarumque* constituatur. Sic Esaias cap. VI, 1. 2. translatum se in spiritu sensit in ipsum templum, contemplatusque est Iehouam in sanctissima eius parte sedentem, in sublimi throno, augusta specie, tam fluxa veste, maiestatis indice, vt fimbriae eius large pro-

tenſae fuerint in mediam templi partem; velo & intermurali, quo ſanctum ab adyto diuidebatur, remoto: vti adſpectum illius viſionis deſcribit CAMP. VITRINGA *comm. in Eſaiam*, *tom.* I. *p.* 165.

*** Ita cum pſalmus I. compoſitus ſit a Dauide in Palaeſtina; quae v. 4. *de palea a vento raptata & diſperſa* dicuntur, is demum recte intelliget, qui nouerit, palaeſtinorum areas non, vt horrea noſtra, ſub tecto, ſed ſub dio extra vrbes fuiſſe, in locis editioribus, vbi a vento perflari, & a gluma inter triturandum purgari poterant. conf. Iud. VI, 38. Hoſ. XIII, 3. Ita multa loca Exodi, Numerorum ac Deuteronomii minus recte intelliget, qui non naturam & indolem *deſerti* illius *Arabici*, per quod proficiſcendum erat Iſraelitis, & vbi iſti libri conſcripti ſunt, cognitum ac perſpectum habuerit, quod argumentum docte executus eſt CAMP. VITRINGA *obſ. ſacr. lib. V. c. XV. p.* 182.

§. IX.

Denique notitia *occaſionis*, quae auctori vel ad integrum librum conſcribendum,* vel ad certos ſermones ** ſuppeditata fuit, non parum confert, tum ad rei indolem penitius introſpiciendam, tum ad rationem phraſeos adcuratius diiudicandam.

* Maxime id locum habet in epiſtolis apoſtolorum, vbi occaſionis cognitio ſaepe viam pandit, ad ſcopum felicius intelligendum. Exempli cauſſa, occaſio, qua ſpiritus ſanctus, (qui in οἰκονομίᾳ negotio humanis ſeſe circumſtantiis per admirandam συγκατάβασιν attemperauit) vſus fuit in Paulo excitando, vt inſignem ad Romanos epiſtolam exararet, fuit 1.) *fama* de fide Romanorum credentium, per orbem ſparſa, cap. I, 8. 13. cap. XV, 14. c. XVI, 19.

19. 2) *metus*, ne aduentus ipsius, iam dudum speratus, sed ob grauissimas caussas in aliud tempus dilatus, in praeiudicium euangelii raperetur, cap. I, 10. 13. 16. c. XV, 22. seqq. 3) *dissensiones* inter Iudaeos & Gentiles recens conuersos, quas Paulus componere studet, cap. XI, 18. 25. c. XIV, 3. † Videndum tamen est, vt vestigia oblatae occasionis in ipso libro deprehendamus, neque incertis nimium indulgeamus coniecturis, †† quod SALOMO TILLIVS, in *opere analytico*, & IO. LIGHTFOOT, in *chronotaxi V. T.* non raro fecerunt.

** Multos sane *psalmos* rectius intelligeremus, si perspecta nobis esset occasio, quae ad illos componendos diuino auctori suppeditata fuit; quamuis ex occasione externa non semper de scopo & argumento cantici liceat iudicare. Saepe enim Dauid, caelesti spiritu agitatus, ex vitae suae circumstantiis tantum ansam arripuit fata ecclesiae eiusque capitis canendi, vt psalmus XVIII. testatur, quem ex Pauli testimonio Ebr. II, 13. de Christo agere certum est, quamuis titulus, occasionis index, longe aliud prae se ferre videatur. Conf. PETRI ALLIX *kurtze Auslegung der Psalmen Dauids p.* 96. *seqq.* Similiter ignorantia occasionis, in exponendis *prouerbiis*, non mediocres saepe parit difficultates, vt obseruauit vir, cum honore nobis adpellandus, CHRISTIANVS BENEDICTVS MICHAELIS, dissert. *de prouerbiis Salomonis*, §. XXVII. & XXVIII.

† Conf. *introduct.* nostram *historico-theologicam in ep. ad Romanos p.* 83. *seqq.*

†† Exemplum vide ibidem *p.* 84.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0139
DFG

LIBRI SECVNDI CAPVT TERTIVM DE INDAGATIONE ADFECTVVM.

Σύνοψις.

Ad sanae interpretationis adminicula pertinet etiam indagatio

I. *Adfectuum*, §. I. quae α) necessaria, & β) difficilis quidem, sed tamen γ) vtilissima, §. II. cuius traduntur

1. *Subsidia generalia*

a.) adcurata notitia adfectuum humanorum, §. III.

b.) diligens auctoris lectio, & contracta cum illo familiaritas, §. IV.

c.) lectio & imitatio aliorum interpretum, in indagandis adfectibus excellentium, §. V.

2. *Subsidia specialia*, ad obseruandos adfectus

a.) *scriptoris* sacri, §. VI. VII. VIII. IX.

b.) earum *personarum*, quarum scriptor sacer mentionem facit, §. X. XI.

c.) ipsius *Dei*, cui saepe in scripturis adfectus humani tribuuntur, caute tamen explicandi, §. XII. XIII. XIV.

II. *Gestuum*, cum quibus sermo pronunciatus fuit, §. XV.

§. I.

Adcuratam cognitionem adfectuum necessarium esse adcuratae interpretationis adminiculum,* nemo diffitebitur, qui rem, sine praeconceptis mente opinionibus,** sobrie ac prudenter considerauerit.

* Sermo scilicet est repraesentatio animi nostri, hoc est, cogitationum, cum adfectibus homogeneis

geneis arctissimo subinde vinculo coniunctarum. (vid. *p. 55.*) Vnde quilibet intelligit, omni sermoni ex ipsa mentis destinatione adfectum inesse. Quod enim quis primum adfectu intra pectoris penetralia concepit, id per verba quasi parturit, & in effectum producit; vnde Christus ex redundantia cordis os loqui, adfirmat, Matth. XII, 34. Accedit, quod eadem verba, diuerso adfectu & gestu pronuntiata, diuersissimum saepe sensum fundant; conf. Exod. X, 10. 1 Reg. XXII, 12. 15. & quae de adfectu *Elihu* Iob. XXXII. seqq. quem beati LVTHERI versio vt hominem superbi & impotentis animi pingit, obseruata sunt in *in Licht und Recht, part. II. p. 44. seqq.* & a ven. ABRAHAMO WOLFIO, in dissert. Regiomonti habita, de *Elihu, amicorum Iobi optimo.* Vnde patet, ipsam quasi animam e corpore tollere, qui ex oratione adfectus proscripserit. Recte enim DIONYSIVS LONGINVS, περὶ ὕψους, *sect. VIII. Ego sine vlla dubitatione confirmauerim, nihil egregio nobilique adfectu in oratione esse grandius, praesertim quum in loco adhibetur, nihilque magis adferre vim orandi posse; quippe qui in mente oratoris, quasi sacro ac caelesti spiritu adflata, exaestuans, eodem diuini impetus ardore orationem simul inflammet.* Quum igitur adfectus omni sermoni vitam veluti ac neruos largiatur, nemo sanus a stilo sacrorum virorum illum alienum esse, existimabit; nisi orationem illorum mortuam esse, aut Dauidem in componendis hymnis suis somniasse pronuntiare velit. Quodsi vero se produnt in stilo sacro innumeri adfectus, officium vtique interpretis est, in lucem illos protrahere, & non verba solum, sed & intimum dicentis animum explicare.

** Quodsi quis ex. gr. putet, θεοπνευστίαν tolli, si quis instrumentis humanos adfectus tribuere velit, illi cogitandum est, scriptores sacros, in consignandis scri-

scripturis non truncos ac lapides fuisse, sed eumdem spiritum, qui ipsorum imaginationi rerum imagines obiecit, intellectumque purissima luce perfudit, voluntatem etiam ipsorum sanctis ardentibusque motibus concitasse, vt cum sensu exactissimo ea scriberent, quae non sine diuino sensu a nobis sunt legenda. Vnde beatus LVTHERVS, *tom. III. Ienens. lat. fol. 286. b. Si quis*, inquit, *penitus posset inspicere adfectus prophetae*, (Esaiae) *videret in singulis verbis caminos ignis, & vehementissimos ardores.* Confer quae AVGVSTVS HERM. FRANCKIVS, non sine veneratione nobis nominandus, ea de re monet in *praelect. hermeneuticis, positione VI. p. 225.*

§. II.

Equidem difficilis res est, * & non sine labore peragenda, in intimos recessus sacrorum pectorum penetrare, latentesque adfectus inde protrahere: at enim cogitandum, laborem illum maximis suauissimisque commodis compensari. **

* Caussa difficultatis est viuae vocis absentia, qua adfectus alias proditur, gestibusque conuenientibus repraesentatur. Sic IO. CONR. DANHAVERVS, *herm. sacr. p. 347. Si quis viuum magistrum audiat eadem recitare, quae litteris consignauit, facilius intelligit, quam si litteras solas legat. Cur illud? quia recitantis* ᾠδὴν, πάθον, *gestum, oculis quasi legit ac imbibit. Non dubitandum, quin si diuus Paulus hodie ad nos epistolam, ad Romanos olim scriptam, viuus declamaret, nos facilius intellecturos, quam nunc, viua illius voce destituti, intelligimus.* Adde HERMANNI VON DER HARDT *exegeseos vniuersalis elementa, cap. IV. p. 30.*

** Cognito enim adfectu, animus loquentis, secretissimusque quasi sensus aperitur, simulque tractatio

ctatio scripturae multo nobis iucundior ac fructuosior redditur: immo via panditur, vt & nostra pectora illis ipsis castissimis impleantur adfectibus, quibus sancti Dei homines praediti fuerunt.

§. III.

Quisquis vero feliciter in hoc negotio versari cupit, illum praeter naturalem ἀγχίνοιαν, mentisque sollertiam ac sagacitatem, instructum esse oportet haud perfunctoria cognitione adfectuum humanorum;* vt illorum causſas, indolem, signa perspiciat, quibusque characteribus adfectus naturales ac spirituales internoscantur,** habeat exploratum.

* Rectissime HERMANNVS VON DER HARDT, in *elementis exegef. cap.* VII. *p. 59. Ipsorum quoque adfectuum naturam atque indolem, mutationes, causſas, perspectas habeat exegeta. Qui motus sanguinis vel adsint, vel sequantur varia adfectuum alterationes. Qua ratione motus illi cordis reliquum corpus adficiant, subito quassent, rapiant, incendant, prosternant. Quo pacto extremas corporis partes, manus & os, vultumque hominis, oculos inprimis, teneant, flectant, trahant, diducant, contrahant, laxent, infinitasque illis formas imprimant.* Quod vt discamus, ante omnia opus est, vt *ad nosmet ipsos attendamus*, quique animi motus hac illa occasione pectus occupent, & in diuersas, hinc laetitiae, illinc tristitiae; nunc spei, nunc timoris partes trahant, attentis oculis obseruemus. Nec minus proderit, *homines*, in hoc vel illo adfectu constitutos, *attente conspicere*, omnesque eorum motus adcuratius intueri: quo etiam *picturae* artificiosae referendae sunt. Denique coniungamus aliorum *obseruationes*,

uationes, quas de adfectuum natura & indole tradiderunt; vid. LAELIVS PEREGRINVS, de *noſcendis & emendandis animi adfectibus*. GEORGIVS WESENFELDIVS, in *georgica animae & vitae*, IO. WOLFGANG TRIER, von *menſchlichen Gemüths-Bewegungen*, cui cl. Auctor adiecit obſeruationes pathologicas in hiſtoriam Eſtheris ac Ioſephi: &, qui primo loco nominandus erat, IO. FRANCISCVS BVDDEVS, Ienenſis academiae decus, *in inſtitut. theol. moralis*, *part. I. cap. I ſect. VI.*

** Differunt illi ratione *principii*, *obiecti*, *ſubiecti*, *finis*, *adiunctorum*, cet. vt pluribus docet vener. AVG. HERM. FRANCKIVS, in *praelect. herm. p. 231.*

§. IV.

Hac cognitione inſtructus, ac precibus armatus, conferat ſe ad diligentem & adſiduam auctoris, cuius noſcere adfectum cupit, lectionem,* ſtudeatque, ad intimiorem eius familiaritatem admiſſus, eius genium ac temperamentum ** curioſius explorare, ſuumque adfectum ita eius adfectui attemperare *** vt inter legendum vocis etiam modulatione illum exprimere adnitatur. ****

* *Experientia* nimirum *luculenta teſtis eſt, eorum nos ſenſa optime intelligere, quibus familiariter vtimur. Quo quis igitur penitius ſe inſinuabit amicitiae theopneuſtorum doctorum, hoc felicius eorum mentem capiet.-- Iugi igitur ac adſidua lectione ſcriptor quaſi e mortuis excitandus, adque viuum repraeſentandus eſt;* vt egregie monet IO. CONR. DANNHAVERVS, *hermeneut. ſacr. p. 347.*

** Quod

** Quoduis enim temperamentum non solum genus dicendi peculiare, sed & adfectus suos habet proprios, vel saltim frequentiores, & pro diuersitate temperamentorum auctores diuersi, licet eodem plane adfectu fuerint commoti, diuerse tamen rem eamdem tractabunt, alius scilicet modo concitatiore, alius remissiore. Probe igitur attendendum est, vtrum auctor feruenti ingenio fuerit, vt PETRVS, an graui ac profundo, vt PAVLVS, cuius epistolas ipsi aduersarii βαρείας καὶ ἰσχυρὰς esse pronuntiabant, 2 Cor. X, 10. an leni & amabili, vt IOANNES, cuius stilus *leni tractu a fontibus labens, puro solo excipitur: nec torrentes incurrunt, qui placide manantis alueum turbent*, vt CVRTIVS Cydnum, inclytum amnem, describit, *lib.* III. *cap.* IV. Enimuero spiritum sanctum eiusque gratiam, non tollere naturam, neque mutare temperamenta suorum instrumentorum, sed sanctificare, iisdemque excitatos in illis motus, adfectus, ipsumque adeo stilum conformare, nemo sanus negauerit. In suggerendis enim verborum conceptibus, sese ad indolem & conditionem amanuensium attemperauit, non secus ac ventus eius, quem in organo subit, canalis constitutioni adcommodatur; qua similitudine veteres iam vsos esse, ATHENAGORAS, *apolog.* p. 64. ed. Rechenbergianae, docere potest. Adde beati MVSAEI *introductionem ad theol. part.* II. *cap.* II. §. 13. & FRIDERICI QVIRINI GREGORII dissertationes, *de temperamentis scriptorum noui testamenti, eiusque doctrinae vsu.*

*** Huc pertinent monita BERNHARDI, de *vita solitaria, tom. V. p.* 92. *Quo spiritu scripturae factae sunt, eo spiritu legi desiderant, & ipso etiam intelligendae sunt. Numquam intelliges Dauidem, donec ipsa experientia ipsos* PSALMORVM ADFECTVS INDVERIS. Item LVTHERI, *tom.* II. *len.*

Ien. lat. f. 7. b. *In fine hoc monendum, quod illustrissimi patres, praesertim Anastasius & Augustinus tradiderunt, vt scilicet adfectibus psalmorum adfectus nostros adcommodemus.* PORRO MATTH. FLACIVS in *clauc script. part. II. tract. I. p.* 43. *Scripturam vtiliter legis, si vniuscuiusque sancti loquentis adfectu induaris.* Et IO. CONR. DANNHAVERI *herm. sacr. p.* 11. *Dauidem* INDVERE *debet, qui eumdem resoluendo vult exuere. Hinc pulcherrimus ille concentus, quo scriptor interpreti, & hic illi ita componitur, vt quasi alter ego videatur.* it. *p.* 149. INDVENDVS *est interpreti animus illius, quem interpretatur, auctoris, vt eius quasi alter idem prodeat.* Addatur IO. HENRICI MAII *introd. ad stud. philol. c. VII. p.* 52. *seqq.* Equidem ardua haec res est, & sine spiritu sancto doctore haud recte instituenda, LVTHERO teste, *tom. III. Ien. lat. f.* 286. multoque difficilior redditur, si ingenium scriptoris a nostro admodum sit diuersum; multum tamen praestare poterit, qui egregia facultate imaginatiua pollet, quae, vt aliae animi dotes, crebra exercitatione, caute tamen ac sobrie instituenda, excitari potest.

**** Sapienter AVG. HERM. FRANCKIVS, *praelect. herm. p.* 248. *Quum viros*, inquit, θεοπνεύστους *audire hodie non amplius queamus, supplendus est pronuntiationis defectus a prudenti scripturae interprete duplici ratione:* 1. *Tentandum est variis modis, hac an illa vocis modulatione prolato textu, iuxta obseruatas simul reliquas hermeneutices regulas, verus sensus nobis melius pateſiat*, e. c. Gen. IV, 13. 23. 2. *Secundum adfectum ita inuentum textus pronuntiandus, ne auditori denuo sensus relinquatur vel ambiguus, vel alienus.* Addantur AVGVSTINVS *de doctr. christ. lib.* III. *c.* III. & HERMANNVS VON DER HARDT, *in grammaticae exegeticae fun-*

fundamentis, *cap.* III. *de lectione*, item *c* IV. *p.* 54. vbi saluberrima hac de re monita vir doctus suppeditat; quamuis parum felix regularum adplicatarum specimen ediderit, in *coniectura de millenario*, qua Ezech. cap. XXXVIII. & XXXIX. in perpetuam *ironiam*, adfectu insultatorio legendam, conuertit, vt ex amplissimo vaticinio, de aduentu Gogi ac Magogi, tandem post multas ambages exeat ille sensus: *Gogus ac Magogus numquam veniet*. Egregia vero methodus, quidlibet ex quolibet extundendi! Absit tamen, vt abusus huius adminiculi genuinum eius vsum tollat.

§. V.

Denique proponat sibi interpres exempla eorum, qui in rimandis scriptorum sacrorum adfectibus excelluerunt:* quos dum imitari studet, ab illis locis incipiat, vbi adfectus expressis verbis indicatur,** vt deinde etiam, adquisito crebris exercitiis habitu, ad ea loca, vbi nunc clariora, nunc obscuriora adfectuum vestigia latent, pede pergere inoffenso queat.

* Ita in BERNHARDI meditationibus *in canticum canticorum* perpetuum fere obserues huius rei exercitium. LVTHERVS aureum suum commentarium in *Genesin*, & quas reliquit *psalmorum* enarrationes, hoc potissimum condimento adsperfit. Legantur e. c quae in Geneseos cap. XXII. & XXXVII. commentatus est, vbi vir in scripturis sacris exercitatissimus tanto artificio personarum adfectus lectorum oculis exponit, vt se inter legendum quasi medio illi, de quo agitur, negotio sentiant immiscerí. Qua in arte etiam, IO. BVGENHAGIVS, in comm. *in psalterium*, & IO. BRENTIVS, in scriptis suis

exegeticis, diligentiori lectione dignissimis, haud mediocriter excellunt; vt de CAMPEGIO VITRINGA, aliisque recentioribus, nihil dicam, quorum ille ἤθη καὶ πάθη in incomparabili suo *in Esaiam commentario* diligentissime vbique obseruat.

** Vide mox dicenda §. VIII.

§. VI.

Vt autem propius ad rem accedamus, obseruandus est ab interprete adfectus, *tum* qui in casto sacri scriptoris pectore latuit, *tum* qui illos, quorum hic mentionem facit, agitauit; *tum* qui ipsi Deo tribuitur.

§. VII.

In *scriptoribus sacris* non nisi sanctos ac spirituales adfectus quaesiueris, quorum initium atque originem qui *amorem* dixerit, multa aliorum adfectuum prole foecundum, nihil a veritate alienum statuet. *

* Vide 2 Cor. V, 13. 14. & conf. vener. AVG. HERMAN. FRANCKII *praelect. herm. posit.* VI. *regula* VII. *p.* 246. & adde vener. IO FRANC. BVDDEI *instit. theol. mor part.* I. *cap.* I. *sect.* VI. §. 16.

§. VIII.

Iste vero scriptoris adfectus nonnumquam *patet* omnium lectorum oculis, verbis scilicet clarissime expressus, & suo nomine designatus; * plerumque autem sub verborum ac circumstantiarum cortice *latet*, ex certis vestigiis & characteribus detegendus. **

* Vt quando Paulus Gal. I, 8. *admirari* se ait Galatarum inconstantiam, cap. IV, 11. *metuere*, ne frustra

fruſtra in iis laborauerit. Rom. IX, 2. *triſtitiam* & continuum *dolorem* Iudaeorum cauſſa *ſentire*. Col. I, 24. *gaudere* in mediis adflictionibus. Phil. I, 25. *ſperare* ſuum ad Philippenſes reditum, cetera. Quo etiam pertinent vatum teſtimonia, de animi ſui adfectu, quum profanis quoque gentibus diuina iudicia adnuntiare coguntur, vt Eſa. XV, 5. cap. XVI, 9. 11. cap. XXI, 3. 4. Ierem. XLVIII, 36. Quamuis enim in ſua perſona ſimul repraeſententent, quas gentes illae habeant lugendi rationes, vt calamitatis magnitudinem tanto fortius exprimerent; nihil tamen vitii eſt, ſi quis accipiat de ſincero adfectu prophetarum, aliorum miſeriis, quas ſpiritu praeuidebant, indoleſcentium. Neque enim putandum eſt, vates omnem exuiſſe humanitatem, dumque praedixerunt mala, tamquam ſtipites & truncos, nullo eorum ſenſu fuiſſe adfectos; conf. 2 Reg. VIII, 11. 12. Ierem. XLVII, 6. Mich. I, 8.

** Merito fundamenti loco hic veluti canon ſubſternitur: *Vbi adeſt ſignum, ibi etiam ſignatum adeſſe exiſtimandum eſt*, hoc eſt, vbi deprehenditur character aliquis, certi adfectus index, & indiuiduus fere comes; ibi certiſſime iudicari poteſt ſubeſſe adfectum, qui iſto ſe ſigno prodere ſolet. In ſacris enim ſcriptoribus nulla ſimulatio aut diſſimulatio locum habet, neque vt auctores fabularum theatralium peregrinos adfectus oſtentare ſolent. Ita quum Paulus Phil. III, 18. *lacrimarum* mentionem facit, recte inde colligitur, ſumma illum adfectum fuiſſe *triſtitia*, quum animum eius inter ſcribendum malorum doctorum recordatio ſubiret. Adde Exod. XX, 18. Mich. I, 8. Ioh. XI, 35. 36. Idem de lamentabilibus vatum geſtibus, quorum antea mentio facta eſt, ſtatuendum.

§. IX.

Cogitandum igitur est de specialioribus quibusdam adminiculis, quibus in cognitionem latentis adfectus peruenire queamus, quae partim ex visceribus sermonis depromenda, partim aliunde conquirenda sunt.*

* Operae pretium erit, paullo haec distinctius enarrare. Pertinet huc

I. *Rei*, de qua agitur, *consideratio*, eiusque cum cognatis adfectibus necessarius nexus. Quum enim scriptores sacri fuerint ὁμοιοπαθεῖς; similibus plane adfectibus (licet puris & sanctificatis) obnoxii, Act XIV, 15. Iac. V, 17. illorum adfectus rei, de qua loquebantur, fuisse conformes, credere par est. Ita Esaiam summo gaudio fuisse adfectum, quum cap. IX, 5. exclamaret: *filius datus est nobis*, quilibet intelligit. Quis enim vmquam vidit hominem plorantem, quum pretiosissimo gratissimoque aliquo munere donatus fuit.

II. *Insolens sermonis structura, & vocum ordo disturbatus.* Ita, dum Christus, Matth. V. 3. seq. toties ingeminat: beati *pauperes spiritu*, beati *lugentes*, beati *mansueti &c.* praedicato in ipso propositionum limine collocato; quis non ex ipso verborum positu seruatoris adfectum legit, cuius pectus cupiditate, discipulos suos beatos reddendi, ita refertum erat, vt ex abundantia cordis os suauissimum nil nisi μακαρισμοὺς effunderet. Adde Gen. XLIX, 6. 7. Act. IV, 7.

III. *Accentuum positus extraordinarius & emphaticus.* Ita e. c. saepe accidit, plures accentus in vna voce comparere, vt hoc modo πάθως loquentis vividius exprimatur. E. c. Leuit. XI, 43. dicitur: אל־תשקצו את־נפשותיכם *ne abominabilem reddatis animam*

animam veſtram, *animam*, inquam, *veſtram*. Hic linea *Maccaph* duplex notat hortantis amorem & ardorem, quo ad bonum conſilium ipſis dandum quaſi abripitur. *Paſchta* poſitus, vbi ſeruus ſtare poterat, ponit ante oculos actus illius turpitudinem conſideratius perpendendam, quamque adeo neceſſarium ſit, illum vitare. *Duplex* vero *accentus* in voce נפשותיכם praeſtantiam quamdam illius obiecti notat, quod non debeat abominabile reddi: *animam veſtram*, nobiliſſimam creaturam Deoque maxime dilectam; conf. IO. FRANCKII *diacriticam ſacram*, *p.* 178. † & vener. praeceptoris IO. HENRICI MICHAELIS, *manud. ad accent. proſaicam*, *p.* 33. *ſeq.* & *metricam*, *p.* 95. *ſeq.*

IV. *Analogia ſermonis ſacri, cum ſermone humano inſtituta.* Ita IO. CONR. DANNHAVERVS in *idea boni interpretis*, *p.* 196. commodiſſime exponit verba Dei, Exod. VII, 3. ואני אקשה את לב פרעה *Quemadmodum*, inquit, *pater*, *poſtquam aliquoties puerum virgis caſtigauit*, *nihilque profecit*, *tandem ad mouiſſima verbera delapſus*, *ego*, inquit, *indurabo puerum.* Ich werde den Iungen nur verhärten. *Ita Deus etiam de aliquoties caſtigato Pharaone dicit*, אני אקשה, *non*, ich will verhärten; *ſed*, ich werde ihn verhärten: *dicit*, *quid futurum ſit*; *non quid fieri velit.* Adde Ezech. XXI, 13. 1 Sam. X, 12.

V. *Locorum parallelorum collatio*, vbi de re ſiue eadem, ſiue ſimili agitur. Quo adfectu Paulus verba 1 Cor. V, 3. 4. 5. ſcripſerit, non expreſſe commemorat; ſed 2 Cor. II, 4. pandit nobis ſecretos illos animi motus, qui inter ſcribendum in pectore ipſius incaluerint; ſignificans, verba illa, primo ad-

† Adde eiusdem *miniſterium accentuum ebraeorum* monſtratum CL. dictis S. codicis; quod ſubiunctum eſt eius *ſyſtemati ethicae diuinae.*

ſpectu aſpera, *ex multa animi anguſtia atque angore, largas inter lacrimas*, ex calamo profluxiſſe. Ita conf. Exod. XX, 20. cum Ebr. XII, 21. 1 Cor. IV, 15. 16. cum 1 Theſſ. II, 7. 8. it. 2 Cor. II, 17. cum Phil. III, 18. In primis obſeruandum, ſaepe in vaticiniis V. T. definiri, quo adfectu Chriſtus patiens hoc vel illud adflictionum genus ſit ſubiturus, vide Eſ. L, 6. 7. Pſal. XXXVIII, 9. Pſal. LXIX, 21. 22. Pſal. LXXXVIII, 16. 17.

VI. *Circumſtantia temporis*, quae nonnumquam etiam clauem adfectus cognoſcendi ſuppeditat: dum priuata, vel publica fata, ſiue ſerena, ſiue triſtia, ſcriptorem vel alacrem & animoſum reddiderunt, vel rugas fronti addiderunt. Hinc fere in *Ieremiae* ſcriptis, maxime threnis, adfectus triſtitiae regnat, quippe cuius aetas in calamitoſiſſima tempora incidebat.

§. X.

Non minus vero indagandus eſt adfectus illorum, quos ſcriptor ſacer aut loquentes ſiſtit, aut compellat, aut de quibus ſermonem inſtituit: in quibus, ſi homines regeniti fuerint, merito quaeras adfectus ſanctos, & a diuino ſpiritu productos, qui tamen nonnumquam adfectuum naturalium admiſtione turbantur; * ſi irregeniti fuerint, quomodo adfectuum carnalium turbine circumagantur, obſeruandum eſt. **

* Ita *Barnabas* laudabili quidem adfectu euangelii propagationem vrgebat, ideoque de ſocio itineris adſciſcendo cogitabat; ſed, dum Marcum eligendum eſſe, Paulo diſſuadente, obſtinatius contenderet, nimium cognationis adfectui & ϛοργῆς imperio

perio tribuebat, Act. XV, 37. seq. Erat enim Marcus ille ἀνεψιὸς Βαρνάβα *consobrinus Barnabae*, Col. IV, 10. Similia exempla videas Gen. XIII, 10. 11. cap. XX, 2. 1 Cor. V, 2. Lucem hisce adfundere poterunt, quae monet vener. IO. FRANC. BVDDEVS, *theol. mor. part.* I. *cap* I. *sect.* VI. §. 40.

** Sic de *Ioramo*, Israelitico rege, CASPAR SANCTIVS, ad 2 Reg. VI, 27. seq. *Adparet*, inquit, *regem Ioramum praecipiti esse atque iracundo ingenio, quod, vt facile a furore abripitur, sic etiam illo deferuescente facile sedatur. Male aliquid precatus fuerat mulieri, quae ab illo importune salutem implorabat: breui tamen se ab illo feruore recipit; & a muliere rogat, ecquid velit a regia siue liberalitate, siue potentia & auctoritae praestari? Eodem modo quum paullo ante mala omnia esset Elisaeo minatus, dixissetque: haec mihi faciat Deus, & haec addat, si steterit caput Elisaei super ipsum hodie; statim consedit furor, & mitius illum est adloquutus.*

§. XI.

Neque hic etiam desunt certa criteria, ex quibus adfectum & ingenium illarum personarum perspicere licet; quae si sagaciter obseruet prudens interpres, non facile metuendum erit, vt a veritatis tramite aberret.

* Ordine haec rursus enarremus, & exemplis biblicis illustremus. Certissimum signum

I. *Ipsum scriptoris sacri testimonium* suppeditat. Sic Christum sanctissima *ira*, *moerore* mixta, fuisse incensum, quum ad quaestionem, vtrum sabbato liceat male, an bene agere? nihil responsi ab obstinatis aduersariis referret, Marcus palam testatur, cap. III, 4. 5. adde Genes. XLIII, 30. 2 Reg. VIII, 11. Psal. XLV, 2. Esa. XXXIII, 14. cap. XXXVIII, 1. 2. 3. Luc. XIX, 41. 42. Ioh. XI, 33. 35. 38. cet.

II. *Indicium loci paralleli.* Quo adfectu Deus ineitatus fuerit, cum Num. XIV, 21. 22. 23. iuraret, neminem Israelitarum, quos ex Aegypto eduxerat, terram promissam esse visurum, ex Psal. XCV, 11. discimus, vbi in *ira* iurasse dicitur. Adde Gen. XXXVI, 23. 24. coll. cap. XLII, 21. & Amos VI, 6. it. Exod. XX, 19. coll. Deut. XVIII, 16. 17. it. Matth. V, 1. coll. cap. IX, 36.

III. *Indoles ac structura sermonis*, quem scriptor sacer personae loquenti tribuit, in quo examinando ne minimae quidem *particulae* praetermittendae sunt. Dum e. c. Esaias cap. XXV, 1. introducit ecclesiam ita exclamantem: *Iehoua, Deus mi!* OTV! *extol-lam te*, quilibet, qui haec legit, subodorari potest adfectum intensissimae admirationis virtutum Dei inenarrabilium, quarum magnitudo in ipso statim orationis limine linguam reddit haerentem ac balbutientem. Adde Gen XXV, 30. 34. c. XXVII, 33. Ioh. III, 16. vbi illud οὕτω adfectum inexplicabilis admirationis repraesentat. ii. Es. XLI, 27. הִנֵּם הִנֵּת Psal. LXXIII, 1. אַךְ Ezech. XXXIII, 11. שׁוּבוּ שׁוּבוּ cet. Huc etiam figurae patheticae, *exclamatio*, *interrogatio*, *apostopoesis*, *apostrophe* cet. pertinent. vide *infra p.* 352.

IV. *Accentuum ratio.* Sic in verbis Iacobi Gen. XLIX, 18. לִישׁוּעָתְךָ קִוִּיתִי יְהוָה prorsus pathetica est distinctio, quae pii patriarchae adfectum velut oculis conspiciendum subiicit. Salutem enim illam Messiae, per *Tiphcham* distinctam, primum admirabundus contemplatur; mox inter hanc meditationem tanto desiderii incendio corripitur, vt totus in amplexum Iehouae, a quo salus illa exspectabatur, rueret; vnde vltima duo verba, quae grammatice non cohaerent, per *Mercam* coniunguntur.

V. *Ipsum*

V. *Ipsum verborum argumentum*, quod certi alicuius adfectus praesentiam praesupponit. Ita verba Christi, Matth. IX, 2. θάρσει τέκνον, adfectui paralytici, per καρδιογνωσίαν detecti, adcommodata sunt, eiusque animum, terrore ac tristitia perculsum, pingunt. Adde Gen. XXVI, 24. cap. XLVI, 3. 4. coll cap. XXVI, 2. Luc. VIII, 50. Act. XVIII, 9. coll. 1 Cor. II, 3.

VI. *Gestuum commemoratio.* Ita dum Lucas Paulum & Barnabam Act. XIV, 14. 15. nobis sistit laceris vestibus in medium populum prosilientes, quis non inde perspicere potest, quanto doloris adfectu suam a sacrificio idololatrico dehortationem ad Lystranos protulerint? Veteres enim, *ob impatientiam doloris, vndecumque etiam is ortus esset, violento modo disrumpebant vestem, laceris partibus aliquamdiu relictis pendulis, vt hac ratione etiam aliis constaret de interno dolentis animi adfectu. Scissio siquidem scissi velut pectoris dolorem testabatur subitum; scissorum autem gestatio, dolorem referebat serium & diuturnum:* vt optime monet MARTINVS GEIERVS, de *luctu ebraeorum, cap. XXII. §. IX.* Adde Luc. VII, 38. 47. Ezech. XXVII, 30. 2 Sam. XV, 30. 1 Reg. XXI, 27.

VII. *Cognitio temperamenti.* Quum constet, *Iudaeos*, quibuscum Paulus Rom. IX. disputat, maxima sui parte esse cholerico-melancholicos, facile inde porro adfectus illorum coniectari possunt. Cholera enim hominem, sibi relictum, ad ambitionem; melancholia ad perpetuam animi fluctuationem, qua scrupulus ex scrupulo nascitur, disponit; quibus duobus vitiis apostolus in tota illa tractatione summa sapientia occurrit. Ita qui *Labanem*, virum auarum, asperum ac superstitiosum fuisse ex Mosis narratione animaduerterit, omnes eius sermones rectius intelliget.

VIII. *Historicae circumstantiae*, quas alibi de illa persona memoriae proditas inuenire licet. De *Felice* CORN. TACITVS, *histor. lib.* V. *cap.* IX. *Claudius Iudaeam prouinciam equitibus Romanis, aut libertis permisit, e quibus* ANTONIVS FELIX *per omnem saeuitiam ac libidinem ius regium seruili ingenio exercuit, Drusilla, Cleopatrae & Antonii nepte, in matrimonium accepta.* Item *annal. lib.* XII. *cap.* LIV. *At non frater eius*, (Pallantis) *cognomento* FELIX, *pari moderatione agebat, iam pridem Iudaeae impositus, & cuncta male facta sibi impune ratus, tanta potentia subnixo:* Addantur, quae IOSEPHVS de eo narrat, *antiquit. lib. XX. cap. V.* Haec si cum Act. XXIV, 25. 26. conferas, & ingenium Felicis, & Pauli ad illum orationem, profundius introspicies. Ita Corinthiorum, Galatarum, Ephesiorum, Cretensium mores, ex historia cogniti, multum lucis epistolis Paulinis ad Corinthios, Galatas, Ephesios, Timotheum ac Titum scriptis, adfundunt. Conf. vener. IO. FRANC. BVDDEI differt. de *statu ecclesiarum, ad quas Paulus epistolas scripsit, &* IO. BRAVNII *selecta sacra, lib.* I. *c.* I. *seqq.*

§. XII.

Denique ipsi etiam DEO, purissimo simpliciſſimoque numini, scriptura passim humanos adfectus adscribere solet,* in quorum interpretatione caute versandum est, ne Deo aliquid tribuamus, quod cum natura eius perfectissima atque sanctissima consistere nequit: ** maxime, si adfectus pertineant ad illud genus perturbationum animi, quae per se vitium inuoluunt. ***

* Vt *gaudium*, Esa. LXII, 5. *tristitiam*, Gen. VI, 6.

VI, 6. *poenitentiam*, Ierem. XVIII, 10. *iram*, Nah. I, 2. *odium*, Pſal. V, 6. *zelum*, Eſa. IX, 7. cet.

** Quo referas inepta *Iudaeorum* figmenta de Deo, & adfectibus diuinis, quum Deum *prae dolore ingemiſcere, eiulare, lacrimari, vae ſibi ipſi dicere* cet. contendunt, eumque ante gaudere non poſſe perhibent, quam populus israeliticus reſtituatur; vid. IO. CHRISTOPH. WAGENSEILII *tela ignea ſatanae, p. 181. ſeq.* Similes errores de Deo *Muhammedem* fouiſſe, Corani lectio quemlibet docere poteſt, pluribusque oſtendit AVG. PFEIFFERVS in *mataeol. Muhamm. p. 306.* Vt de *Socinianis*, eorumque ſectatoribus nihil dicamus, qui Deo adfectus proprie ſic dictos, & a natura eius reuera diuerſos, tribuere non verentur; vt palam profitetur IO. CRELLIVS, de *Deo & attrib. diuin. cap. XXIX.*

*** Vt *irriſio*, quae eſt ſpecies ἐπιχαιρεκακίας, ex laetitia & odio mixta, ſiue eiusmodi commotio voluntatis, quae oritur ex apprehenſione illius mali, quod in alio deprehendimus, quoque eum dignum eſſe iudicamus pariter ac gaudemus, idque riſu plerumque ſignificamus. Qui adfectus, quantum a natura Dei alienus ſit, nemo non videt. Quum igitur Deo eiusmodi adfectio adſcribi videatur. Prou. I, 26. Pſal. II, 4. id eo modo intelligendum eſt, vt cum natura Dei conſiſtere poſſit; non, vt adfectum denotet, ſed actum effectumque iuſtitiae diuinae vindicatricis, qua impiis, emendari neſciis, omnem commiſerationem, poenarumque mitigationem negat. Neque inepte LVTHERVS obſeruat, *tom. II. Ien. lat. f. 10. 11.* Deum dici irridere impios, quando pro ſua iuſtitia efficit, vt impii in promeritis, quas ſuſtinent, poenis irridendi & ſubſannandi omnibus obiiciantur. Add. ven. SAL. DEYLINGII *obſ. ſacr. lib. I. c. XXIX.* Sic ſe res etiam habet cum *deſperatione*, cuius *ſigna in Deo* dari, mirum eſt, quo-

quomodo excidere potuerit SIMONI EPISCOPIO, *inſtit. chriſt. lib.* IV. *cap.* XXV.

§. XIII.

Origo iſtius conſuetudinis, quam ſcriptura ſacra obſeruat, non ex gentiliſmi lacunis, * aut errore vulgi ** accerſenda eſt, ſed ex divina benignitate, qua ſpiritus ſanctus, cum hominibus loquens, ad captus illorum imbecillitatem ſermonem ſuum attemperauit. ***

* Vt ſtatuit IO. CLERICVS, comm. *in pentat. ad Gen. XI.* p. 92. *Perpetua fere ebraicae linguae eiusmodi* ἀνθρωποπαθείαις *vtendi conſuetudo* ETHNICAM PRODIT ORIGINEM. Qua de re mentem ſuam in *prolegomenis illius commentarii, diſſ. I. §. V.* pluribus exponit. Sed conferatur IO. NICOLAI QVISTORPII diſſert. *an* ἀνθρωποπάθειαι *ſint veſtigia gentiliſmi?* Roſtochii MDCCX habita.

** Sic *Carteſianorum* nonnulli ſtatuunt, per erroneam hominum opinionem primum membra corporea, aliasque humanas proprietates, Deo adſcriptas eſſe; mox vero ſpiritum ſanctum hiſce hominum erroribus ſeſe adcommodaſſe, † atque inde oculos, aures, brachium, manus, pedes; inde adfectus, imperfectionis labem continentes, dolorem, laetitiam, poenitentiam, iram Dei, omnibus ſacrarum litterarum paginis inculcari. Quo etiam pertinet CHRISTOPHORVS WITTICHIVS, *de conſenſu veritatis in ſcriptura reuelatae cum veritate philoſophica a Renato des Cartes detecta, cap.* XXIX. *p.* 509. qui has loquutiones anthropopathicas *ex praeiudiciis infantiae & ſenſuum* deducit; refutatus a IOANNE

† Add. cl. IO. HERM. BECKERI *theoriam motae circa ſolem telluris, ſcripturae non inimicam, §. VII. VIII.* & diſſ. noſtram *de adcommodatione ſcripturae ad erroneos vulgi conceptus, ſect. I. §. 9. ſect. II. §. 4.*

ANNE BRVNSMANNO, in *gratia naturae interprete, lib.* III. *cap.* XV. *p.* 142.

*** Scilicet, vt recte docet MATTH. FLACIVS, *clau. script. part.* II. *p.* 346. *incomprehensibilia sunt Dei opera & actiones; neque nos ad sequi aliquid de iis possemus, nisi sacra scriptura iis vteretur loquendi de Deo formulis, quae rebus humanis propinquae sunt. Itaque spiritui sancto, scripturarum auctori, placet, propter captus nostri imbecillitatem nostro more balbutire, & blandius humiliusque, quam tantae maiestati conuenit, nobiscum per signa & verba agere.* Ex quo modo nobiscum agendi, merito magnitudinem diuini erga humanum genus amoris colligimus, ac summi numinis incredibilem συγκατάβασιν admiramur, qua ne vilissimarum quidem rerum symbola adspernatur, vt & nos, tanto exemplo prouocati, fastum omnem deponamus. Pulchre ORIGENES *homil.* VIII. *in Exodum: Vide*, inquit, *benignitatem, quomodo vt nos doceat, & nos perfectos faciat, ipse fragilitatem humanorum non recusat adfectuum.*

§. XIV.

In istis igitur adfectibus diuinis explicandis ita incedendum est, vt omnem imperfectionem ab adoranda summi numinis maiestate quam longissime remoueamus, eosque ita interpretemur, vti analogia fidei & idea numinis perfectissimi requirit.

* Scriptura scilicet aliis in locis diserte declarat, Deum mutationis omnis, tum physicae, tum moralis, esse expertem; Mal III, 6. Num. XXIII, 19. 1 Sam. XV, 29. Iac. I, 17. 1 Tim. VI, 15. 16. Est enim eius infinita & simplicitas, & perfectio, & beatitas; vnde a praestantissima eius essentia exulat omnis vera commotio, & passio, & immutatio, & dolor,

dolor, & perturbatio, & quaecumque ad naturam adfectuum humanorum alias referuntur. Hinc commouetur, sed sine motu; misereturr noſtri, sed sine dolore; iraſcitur, sed sine perturbatione; desiderat, sed sine indigentia; amat, sed sine cupiditate, vel, vt AVGVSTINVS *confess. lib. I. c. IV.* ait: *Amas, o Deus, nec aestuas: zelas, & securus es: poenitet te, & non doles: iraſceris, & tranquillus es: opera mutas, nec mutas consilium* Quando igitur *amor* & Deo adscribitur, & hominibus; nomen quidem vnum idemque est, sed modus rei longe diuersissimus. In homine adfectum denotat, in horas saepe mutabilem; in Deo essentiam ipsam significat amantem, nulli mutationi obnoxiam; vnde & amans dicitur, & ipse amor, Ioh. III, 16. 1 Ioh. IV, 16. & misericors, & ipsa misericordia; Exod. XXXIV, 6. Dan. IX, 9. Quae quum ita sint, recordandum semper est antiquī canonis, ἀνθρωποπαθῶς haec talia de Deo dici, siue, vt Ebraei exprimunt דרך בני אדם *via filiorum hominis*, (vide MOSIS MAIMONIDIS *more nebochim, part. I cap XXVI*) sed θεοπρεπῶς esse intelligenda; vnde ad tertium comparationis diligenti subinde studio attendendum est.

Ita, vt praecipuos adfectus, qui Deo in scripturis tribuuntur, breuiter perstringamus, *Ira* Dei, Rom. I, 18. est seuera voluntas, puniendi raptores gloriae suae. *Laetitia* Dei, Esa. LXII, 5. est voluntas, suauiter adquiescens in bono; *Misericordia* Psal. CXLV, 8. 9. est voluntas, miseram rem a miseria sua liberandi; quae multo in Deo ardentior est, quam quidquid misericordiae nomine in hominibus venit. *Dolor*, Gen. VI, 6. est voluntas, opus malum vehementer improbans. *Poenitentia*, 1 Sam. XV, 11. est voluntas, destruendi malum opus cum suo auctore. Dei *desiderium*, Deut. V, 29. est voluntas praecipiens & adprobans opera, legi diuinae congrua; vti

auersatio, Esa. LXVI, 3. voluntas improbans & prohibens opera, legi suae contraria. *Spes*, Esa. V, 2. est voluntas, longo nos ferendi animo, donec praestemus opera respiscentiae, cuius agendae media nobis suppeditat. *Metus*, spei oppositus, Deut. XXXII, 27. est voluntas, improbans simul, & anteuertens malum, alias euenturum. *Zelotypia* Dei, Exod. XX, 5. est constantissima voluntas, gloriam suam alteri non dandi, raptoremque eius puniendi. Ita adparet, adfectus Dei non esse, nisi ipsam essentiam eius immutabilem, vti refertur ad rerum creatarum actiones, bonas adprobando & compensando, malas improbando & puniendo; conferatur de hoc argumento SAL. GLASSII *rhetor. sacr. tr.* I. *cap.* VII. HENRICI KLAVSINGII diss. *de pathologia Dei.* NICOLAI GVRTLERI *forma sanorum verborum*, *lib.* I. *cap.* V. §. 29. *seq.*

§. XV.

Denique, quum adfectus naturaliter soleant producere varios in corpore motus ac *gestus*: * in illis personis, quorum sermones scriptura recitat, idem accidisse, ratio nulla est, cur dubitemus.** Vnde interpreti ad illos etiam tum animaduertendos,* tum, quantum fieri potest, apte exprimendos, ** attendendum est.

* SAM. WERENFELSIVS in *opusculis*, *p.* 745. *Quilibet statim deprehendit, multas saepe in animo suo esse cogitationes, quae, quoties exsistunt & oriuntur, illico producere solent in corpore suo motus & mutationes admodum conspicuas; talesque, quae non a se ipso tantum, sed etiam ab aliis facile animaduertantur. Quibus quidem in motibus voluntas plerumque partes nullas habet, sed exsistunt illi naturali quadam necessitate, immo nobis saepe inuitis. Si dolor*

lor in anima, producit in corpore acutum clamorem, triſtitia animae lacrimas, eiulatum, aut planctum; terror pallorem; pudor ruborem; ira flammantes oculos & dentium fremitum; gaudium corporis exſultationem, & huiusmodi innumera.

** Erant enim non ſolum ὁμοιοπαθεῖς, ſed inſuper etiam ſub caelo calidiore nati, adeoque ad internos animi motus, externis ſignis ac geſtibus declarandos aptiſſimi proniſſimique. Conferatur doctiſſimus CLAVD. FLEVRY, *de moribus Iſraelitarum, part. II. cap. XIV.* §. 2.

* Nulla quidem hic arte opus eſt, vbi ipſe ſcriptor ſacer geſtuum mentionem facit, vt Matth. XII, 49. extenſae manus; Luc. VI, 20. ſublatorum oculorum, Act. XIII, 16. cet. Vbi autem id ab auctore omitttitur, perpendendum eſt, quos geſtus rei indoles & adfectus ratio requirat. Sic Chriſtum verba Ioh. II, 19. cap. IV, 13. cap. VI, 50. manu ad pectus admota dixiſſe, non eſt dubium. Vide, quae LVTHERVS de geſtibus, lacrimis, ſingultibus Ioſephi, in foueam demiſſi, commemorat, *comm. in Gen.* XXXVII, 26. *fol.* 22. *a.* quaeque WOLFG. FRANZIVS monet, de *interpret. ſcript. orac. LVI. p.* 501. *ſeqq.*

** Ita e. c. LVTHERVS *in gloſſa marginali ad Eſ. LI*, 6. *Die auf Erden vvohnen, vverden dahin ſterben, vvie das!* haec adnotat: *das muß man mit einem Finger zeigen, als ſchlüge man ein Kniplein mit Fingern, vvie man ſagt, ich gebe nichts darum.* Verba tamen ebraica כמו־אז etiam verti poſſunt *ſimiliter* vt Eſth. IV, 16. vt hoc modo non opus ſit colliſione digitorum. Quantum vero haec res ingenii, iudicii & experientiae requirat, pluribus docet HERMANNVS VON DER HARDT, in *elementis exegeſeos vniuerſ. p.* 33. 59.

LIBRI

LIBRI SECVNDI
CAPVT QVARTVM
DE
INVESTIGATIONE SCOPI.

Σύνοψις.

Scopi indagatio neceſſaria eſt §. I. ac vario reſpectu inſtitui poteſt §. II. vnde conſideratur ſcopus

I. *Communis* totius ſcripturae, CHRISTVS, quod
1. demonſtratur §. III.
2. explicatur §. IV.
3. obſeruationibus variis illuſtratur, & quidem
a. *generalioribus* §. V-IX.
b. *ſpecialioribus* §. X. in locis, quae de Chriſto agunt
α) *litteraliter* §. XI.
β) *myſtice*, §. XII.

II. *Proprius* cuiusuis libri §. XIII. XIV.

III. *Specialis* maiorum minorumue libri partium §. XV. maxime in parabolis §. XVI.

IV. *Specialiſſimus*, in ſingulis
1. *verbis ac phraſibus* §. XVII.
2. *hiſtoriarum circumſtantiis*, ibid.
3. *epithetis*, *precibus* & *adlocutionibus*, §. XVIII.
4. *miraculis Chriſti*, & *iure talionis diuinae* §. XIX. quod tamen negotium prudenter tractandum eſt §. XX.

§. I.

Poſt cognitas circumſtantias, detectumque loquentis adfectum, nihil prius, nihil antiquius eſſe debet ſacrarum litterarum interpreti, quam vt *ſcopum* atque intentionem dicentis, vel agentis, quam diligentiſſime fieri poteſt, ſtudeat indagare. Hoc

enim modo in arcaniora loquentis consilia intromissus, genuinum verborum sensum & certius & profundius perspiciet. *

* Rectissime HERMANNVS VON DER HARDT, *in elementis exeg. vniuers. cap. VI. p.* 48. *Auctoris scopum nosse, est maximam libri partem intelligere. Est enim scopus anima totius operis. Cognito scopo, singula, vel minutissima, rationem habent, cur sint a scriptore posita atque adhibita, vel rerum, vel verborum momenta. Ignorato scopo, omnia obscura, vel planissima alias atque apertissima. Vera enim lux verborum est meta, ad quam collimauit auctor. - - Sicut enim omnis actio ex certo animi proficiscitur consilio: ita & scriptio aestimanda ex hoc suo principio.* Pariter CAMP. VITRINGA, *praef. in tom. II. comm. in Esa. p.* 3. *Scopus orationis, iudicio praetensus, omnes administrat interpretis cogitationes.*

§. II.

Potest autem sacrarum paginarum scopus quadrupliciter considerari. I. Vti est omnibus scripturae partibus *communis*; II. vti *proprius* est singulis libris; III. vt *singularis* huic vel illi alicuius libri pericopae; IV. vt *singularissimus*, in ipsis verbis ac phrasibus obseruandus. De singulis tanto studiosius agemus, quanto haec in plerisque compendiis hermeneuticis frigidius tractari solent. *

* Ita e. c. AVGVSTVS PFEIFFERVS, quamuis *thesaurum hermeneuticum* promitteret, vix integram paginam huius argumenti tractationi destinauit, *p.* 395. 419.

§. III.

Scopus totius scripturae communis est

IESVS

IESVS CHRISTVS, * humani generis seruator, spiritus sancti deliciae, finis legis, ** prophetarum nucleus, * euangelii centrum, ** qui proinde in sacris litteris summo animi ardore quaerendus & amplectendus est.

* Sic AVG. PFEIFFERVS, *thesaur hermen. p. 419.* Σκοπὸς σκοπιμώτατος *scripturae sacrae est* CHRISTVS, *prae oculis adsidue habendus* Vt enim AVGVSTINVS ait, *tract. IX. in Ioannem: Non sapit vetus scriptura, si non Christus in ea intelligatur.* Postquam scilicet homines a summo Numine defecerant, Deus, post diuturnum altumque silentium, non poterat a se impetrare, vt alio fine cum illis per scripturas loqueretur, nisi vt eos meliores redderet ac feliciores. Id ipsum vero quum per aeterna ipsius decreta non potuerit alio modo effici, nisi per IESVM CHRISTVM, vnicum verae iustitiae ac felicitatis fontem: facili negotio intelligitur, fieri aliter non potuisse, quam vt spiritus sancti oculi vbique in Christum fuerint defixi, dum per Mosen & prophetas sermones cum mortalibus miscuit. Ipsi veteres ebraeae gentis doctores ita de hac veritate persuasi erant, vt ad excessum vsque in scriptura ad Messiam transferenda progrederentur; cuius rei specimina exhibuit IO. IVSTVS LOSIVS, in dissert. *de veterum ebraeorum studio, Christum scripturae scopum quaerendi, Halae,* MDCCIX. lungantur *paraphrases Chaldaicae*, in quibus passim pulcherrima vestigia veteris synagogae comparent, dum quam plurima loca, quae recentiores Iudaei aliorsum detorquent, Christo sine ambagibus ibi vindicantur, quem מימרא מלכא משיחא שכינא aliisque nominibus adpellant; conf ven. IO. HENR. MICHAELIS diss. *de Targumim vsu insigni anti-iudaico, in doctrina de persona Christi.* Idem doctiores ecclesiae christianae

patres, ORIGENES, EVSEBIVS, AVGVSTINVS, HIERONYMVS; quamuis non pari semper successu, obseruauere. De origene RICH. SIMONIVS, *hist. crit. V. T. lib.* III. *cap.* IX. *p. 30.* ed. lat. *Allegorias eiusmodi censuit, quibus potissimum suae aetatis viri eruditi ad* IESVM *adducerentur.* Quantus in scripturis de Christo explicandis artifex beatus LVTHERVS fuerit, qui eius commentarios legit, ignorare non potest. Videantur speciminis loco, quae in Psalm. CXVII. & CXVIII. commentatus est. Qua in re imitatores habuit IO. BVGENHAGIVM, IO. BRENTIVM, VAL. HERBERGER, *in magnalibus Dei*, IO. DRACONITEM, *in Gottes Verheissungen, Figuren, und Geschichten von Christo, part.* II. qui liber, pluribus ignotus, multa succulenta continet, vt nunc alios, non minore laude dignos, praetereamus. Neque exiguam lucem isti studio recentiori aetate IO. COCCEIVS adfuit; † quem ABRAHAMVS CALOVIVS, in *bibl. illustr. tom.* I. *p.* 614. hoc elogio ornat: *Laudandus omnino est* COCCEIVS, *quod pleraque oracula V. T. non cum Caluino suo christianis eripiat, aut ambigua reddat, sed dextre de Christo explicet, in multis etiam Christum pio studio quaerat, etsi non inueniat.* Interim rogandus est Deus, vt illustriorem subinde splendorem cognitionis IESV CHRISTI iubeat ecclesiae suae exoriri. Tum enim demum animo, Christi amore capto, scriptura sapit, quum obseruauerit, omnes scriptorum sacrorum calamos in sponsi sui persona, characteribus, officiis, beneficiis, regno, fatis consignandis, fuisse occupatos. Muhammedani suum MVHAMMEDEM in nostris scripturis quaerunt, eumque in vocibus בְּמָאֹד מְאֹד Gen. XVI, 20. פָּארָן Deut. XXXIII, 2. מְכֻלָּל יֹפִי Psal. L, 2. παράκλητος, Ioh. XV, 26. & alibi passim, latere somniant; vid. THEOD. HAKSPA-

† Add. FRANCISCI FABRICII theologi Lugd. *Christologiam antediluuianam, Noachicam, Abrahamicam.* &c.

HAKSPANIVS, *de vsu librorum rabbin. cap.* II. p. 400. Quis igitur amicis Christi inuideat, si meliore iure seruatorem suum in scripturis quaerant, eoque vnice delectentur?

** Diserte Paulus Rom. X, 4. *Finis legis est Christus;* vbi *lex* vniuersam doctrinam Mosaicam designat, vt Ioh. I, 17. Eius autem *finis* Christus est. 1) ratione *termini*, quia in illius adparitione cessare coepit oeconomia Mosis, Luc. XVI, 16. 2) ratione *intentionis*, quia lex aenigmatibus & vmbris suis monstrat veritatem, quae in Christo est, Ebr. X, 1. 3) ratione *consummationis*, quia Christus perfecte praestitit, quicquid in lege aut iussum, aut praefiguratum fuit. Sic HERM. WITSIVS, *miscell. sacr. tom.* I. *p.* 437. Addatur 2 Cor. III, 13. & Ioh. V, 46. vbi, dum Christus dicit, *Mosen de se scripsisse*, integra quinque Mosis volumina adoptat, & sibi vindicat; deliberantibus interim timidis & illiberalibus interpretibus, an tria quatuorue pentateuchi commata Christo relinquere velint? Ceterum quomodo Iudaeus, sanctiore lumine colluſtratus, *praecipuos fidei christianae articulos ex lege Mosis colligere* facili negotio potuerit, elegantissime ostendit IO. LIGHTFOOT *operum tom.* I. *p.* 175. *seqq.* †

* Prophetae ab Ebraeis in priores & posteriores diuiduntur. *Priores*, dum res gestas populi Dei describunt, elegantem exhibent picturam regni ac fatorum Christi, eiusque corporis mystici. Sunt enim historiae sacrae vel eo inprimis nomine a profanis diuersissimae, quod imagines rerum Messiae, ac regni ipsius, contineant, fatis populi Dei, eiusque rectorum, adumbratarum. Caecus enim fit oportet, qui e. c. in vita *Dauidis*, eiusque adflictionibus & exaltatione, non expressum videat exemplar

† Iungatur IAC. ALTINGIVS *operum tom. III. p.* 134. & ccl. LAMPII *Geheimnis des Gnaden-Bundes part. II. c. IX. p.* 251.

IESV CHRISTI, vt pluribus docet IO BIERMANNVS, in *Mose & Christo, lib. I. cap. XI.*† *Posteriores* prophetae partim ad legem, partim ad euangelium pertinent. Nam, vt pulchre LVTHERVS illorum officium describit, *praef in libros V. T. p. 39.* ex ed. ven. D Antonii. *Prophetae cauent, ne pseudo-prophetae a vero legis vsu ad propria populum reducant, & in hoc vnice incumbunt, vt verus legis intellectus maneat, vt homines per legem infirmitatem suam agnoscant, quod eam praestare prorsus non possint, atque ad* CHRISTVM *recurrant. Latius igitur & copiosius promissiones de Christo, quae in Mose sunt, explicant.* In gratiam enim adflictarum conscientiarum, sub Mosis iugo gementium, de Christo, eiusque gratia, regno ac beneficiis vaticinabantur, coll. Sir. XIX, 10. vnde, ex PETRI testimonio, id sibi potissimum datum crediderunt negotii, vt tempora Messiae praedicerent ac denuntiarent, *scrutantes quodnam & quale tempus indicaret* CHRISTI *spiritus, quo erant praediti, praesignificans, &* CHRISTI *supplicia, & gloriam, deinde sequuturam,* 1 Petr I, 11. Act. III, 24. *Omnes enim testimonium dant* IESV CHRISTO, *eum esse, per cuius nomen peccatorum veniam consequantur, quicumque in eum credant.* Act. X, 43. Eamdem fuisse mentem veterum Iudaeorum, testatur aphorismus ille in *Mass. Sanhedrin, f. 99. 1.* vbi R. Iochanan dicit כל חנביאום כלם לא נתנבאו אלא לימות חמשיח *omnes prophetae non vaticinati sunt, nisi de diebus Messiae.* Quem canonem repetit R. BECHAI, *comm. in pentat. f. 150.* & R. SALOMO *ad Zach. IX, 1.* conf. PETRI ALLIX *Ausspruch der alten iüdischen Kirche wider die Vnitarios, cap. III. p. 25.* ed. germ. & eiusdem *vernünftige Betrachtungen über die Bücher der heiligen Schrift, part. II.*

† Adde cel. FRID. ADOLPH. LAMPII *Geheimniss des Gnaden-Bundes, Part. III. c. II. p. 117.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0168
DFG

II. lib. I. c. VII. VIII. p. 63. Addatur AVGVSTINVS, de *ciuit. Dei, lib. XVIII. cap. XXVIII. seq.* PETRI DANIELIS HVETII *demonstr. euang. prop. VIII. p.* 555. 561. *seq.* & vener. AVG. HERMANNI FRANCKII *praelect. herm. posit. IV. p.* 123. *seq.* nec non CAMPEGII VITRINGA *typus doctrinae propheticae, cap. V. & VI.* item *praefatio* ad *meditationes* nostras in *euangelium Esaiae c. IX*, 6. *de natiuitate Iesu Christi.*

Idem ille vir doctus in tres classes prophetarum interpretes distribuit, *praef. ad tom. I. comm. in Esa. p.* 10. *seqq.* Nonnulli I. GROTIANAM methodum sequuntur, qua prophetae praecipue vaticinati esse putantur de fatis populi Iudaei, & gentium sui ac proximi temporis, Assyriorum, Aegyptiorum, Babyloniorum cet. de Messia, eiusque fatis & regno, nihil, nisi ex sensu sublimiore & allegorico, quem solus Christus eiusque apostoli perspexerunt, de quo tamen GROTIVS passim frigide loquitur, & ne tanti quidem facit, vt eum cum cura aliqua exponat. Vid. e. c. eius scholia in Esa. LIII. Hos clar. *Vitringa* vocat, illiberales exegetas, qui amant acinos vuarum, hoc est, id quod sterile est, & ad animum hominis, salutis suae cupidi, pascendum, ineptum, in scriptura sacra sectantur. Alii II. cum 10. COCCEIO lubentius respiciunt fata remotiorum temporum, & τὰ συνεχόμενα regni Christi Iesu. Sedebat enim singularis ingenii ac diligentiae viro haec mente hypothesis, verbum propheticum, in vsum communem totius ecclesiae editum, complecti omnium temporum fata, praecipue vero versari circa personam & regnum Iesu Christi, eiusque regni principia, progressum & euenta. Inter euenta autem insignem esse luctam eius grauissimam cum Iudaeis rebellibus, haeresibus, dracone, se ostentaturo in Romano imperio pagano & anti-Christo, & luctae eius exitum

glorioſum in regni eius, poſt triumphum de hoſtibus omnibus, diffundendi per vniuerſum orbem, ſtatu florente & pacato, longum duraturo. Alii denique III. *mediam* inter haec extrema inſiſtunt *viam*, ita adfecti, vt lumen ductumque ſpiritus ſancti, qua via ille praeiuerit, non inuiti ſequantur, atque adeo non refugiant, prophetam de fatis antiquarum gentium ſub veris propriisque nominibus ſuis vaticinantem audire, ſi id circumſtantiae, & lux prophetiae iubeant; vicißim intenti CHRISTO IESV, eiusque temporibus ac regno (quod certo tenent, primarium eſſe prophetiae obiectum) vbi eius deprehendunt ſtricturas & criteria, non auertunt ab eo oculos, non refugiunt adſpectum, nec orationem propheticam hoc ſcopo obſcurant, aut extenuant; ſed CHRISTVM IESVM cum laetitia & voluptate producunt in medium, demonſtrant illum cum characteribus ſuis, &, ſi forte ſub velo lateat, remouent velum, & detegunt myſterium, gaudentque inueniſſe ſe, quem anima ſua quaerebat. O beatam eccleſiam, ſi talium interpretum copia abundaret!

** Chriſtum eſſe ſcopum ac centrum *euangelii*, quatenus ab euangeliſtis & apoſtolis exhibetur, nemo erit, qui in dubium vocet, coll. Ioh. XX, 31. Dicis: at enim Rom. XV, 4. & 2 Tim. III, 15. 16. 17. alius ſcopus communis ſcripturae ſacrae indicari videtur. Concedo: ſed ille ſummo huic fini ſubordinandus eſt; ſiquidem ſine Chriſto neque *fides*, neque *bonae actiones* produci, neque *ſalus aeterna* obtineri poteſt, Actor. IV, 12. Iungatur ven. AVG. HERMANNI FRANCKII tr. germ. lectu digniſſimus, *Chriſtus der Kern heiliger Schrift.*

§. IV.

Chriſtum autem dum in veteri inſtrumento quaerendum dicimus, abſit, vt tam pue-

pueriliter instituendum putemus negotium, vt singulas voces ac sententias, seorsim excerptas, de ipso exponendas esse arbitremur. Sed ita id accipiendum est, multa *de* Christo seruatore; reliqua *propter* Christum a viris sanctis esse consignata. *

* Scilicet I. *Multa veteris testamenti effata sunt, quae prima fronte aliud prae se ferre videntur; expensa autem, & in Domini timore considerata, de Christo eiusque regno siue expresse, siue typice loquuntur.* † II. *Quaecumque in scripturis proferuntur, tandem ad Christi amorem & beneficia, generi humano per illum praestita, nos exserto quasi digito deducunt, vt ad summum finem, a quo, vt principio & fonte, omnia, quae in scripturis promittuntur, ad nos promanant*, vt egregie monet SAL. GLASSIVS, *philol. sacr. lib.* II. *part.* II. *sect.* II *p.* 501. Ita *de Christo* Gen. III, 15. Esa. XI, 1. seq. & innumeris locis aliis, *expresse* agitur; vti contra Gen. XIV. *sub typo* Melchisedeci, & in vniuerso Leuitico sub fasciis caerimoniarum sacrarum delitescit. In prioribus capitibus libri prioris chronicorum nullum de Christo testimonium occurrit, nihilque, praeter otiosam, vt videri possit, nominum farraginem, ibi reperitur; sed illa omnia tamen *propter Christum* litteris mandata sunt, vt eius familia, & ex tribu Iudae per Dauidem ortus, qui ad characteres veri Messiae pertinet, Matth. XXII, 40 in aperta luce poneretur, vt pluribus docetur in ven. IO. HENR. MICHAELIS *notis vberioribus in hagiogr. tom.* III. *p.* 266. *seq.* Quidquid porro per vniuersum scripturarum tractum *mandatorum* diuinorum occurrit, Christi opem postulat, sine qua illis satisfieri nequit. Quidquid *promissio-*

† Exemplum vide in comm. nostra *de sensus mystici criteriis p.* 85. vbi Christus in loco Gen. VIII, 21. detegitur.

missionum per sacras scripturas legitur dispersum, de temporalibus etiam populi Dei liberationibus; in Christo accipit complementum, in quo omnia Dei promissa τὸ ναὶ καὶ τὸ ἀμήν, 2 Cor. I, 20. Quidquid denique *comminationum* aduersus hostes ecclesiae auditur; id a Christo, regni sui defensore, cui omne diuinitus demandatum iudicium est, proficiscitur. Hoc oculo qui ad sacra volumina perlustranda accesserit, vbique Christum inueniet, eique fere accidet, quod tribus discipulis, qui in sacro monte Mosen prius & Eliam vident, sed mox neminem conspiciunt, nisi solum IESVM, quo simili vtitur ROBERTVS BOYLE in eligantissima diss. *de stilo scripturae p.* 113. *vers. germ.* Vnde non mirari satis possumus FAVSTI manichaei impudentiam, qui negabat, *se vlla testimonia de Christo in prophetis inuenisse, quamuis attentius eos, & curiosissime legerit, vt* AVGVSTINVS testatur, *lib.* XVI. *contra Faustum, cap.* II.

§. V.

Valde autem in ipso sanctissimi negotii limine peccaret, qui animo profano rem adgrederetur, solam ingenii voluptatem, quamuis honestissimam, inde captaturus. Adferendus est animus, precibus armatus, & tenerrimo erga Iesum Christum adfectu repletus; * qui ideo vberiorem optimi seruatoris cognitionem sitiat, vt eum ardentius amet, arctiusque indies cum ipso vniatur.

* Videatur, si placet, commentatio nostra *de idoneo litterarum sacrarum interprete, sect. II. §. XXXII.* vel *exercitationes hermeneuticae, p.* 44. 132.

§. VI.

Ita instructus scripturae interpres, circumspiciat de eligendis sibi peritis viae ducibus,

cibus, quorum vestigia tuto & confidenter premere possit. Peritiores autem nusquam inueniet, quam Christum ipsum, eiusque discipulos, fallere nescios; * qui dum plurima veteris testamenti oracula, ex ipsa spiritus sancti intentione ** Christum canentia, in nouo testamento interpretantur, ad innumera alia recte intelligenda clauem suppeditant.

* CHRISTVS scilicet ipse prophetas misit, ac mandatis instruxit: ipse vaticinia illorum illis suggessit, ac per spiritum suum dictitauit, 1 Petr. I, 11. 2 Petr. I, 21. Psal XLV, 2. Quum igitur ille *scripturas de se testimonium perhibere* aiat, Ioh. V, 39. quum *Mosen de se scripsisse* adfirmet, v. 46. quum *exorsus a Mose, omnes obiens vates, discipulis per omnia scripta, quae de se ipso dicta forent, interpretatus fuerit*, Luc. XXIV, 27. cur illi credere dubitamus? APOSTOLI ab illo ipso spiritu Christi, qui per prophetas loquutus est, fuerunt adfecti. Quum igitur idem ille spiritus, qui vatibus sacris dicenda suggessit, qui verba ipsorum ori indidit, qui eis velut instrumentis vsus est, in consiliis diuinis humano generi denuntiandis; quum, inquam, idem ille spiritus per os apostolorum pronuntiet, *omnes vates, qui a Samuele deinceps loquuti sunt, tempora Messiae, eiusque adflictiones & gloriam*, praenuntiasse, Act. III, 18. 24. c. X, 43. 1 Pet. I, 10. 11. quid rursus haeremus? quid dubitamus, hos duces sequi? Mascula vox est IOANNIS BRENTII, de argumento psalmi II. *operum tom. III. f. 199. Quum habeamus apostolica testimonia, quae sunt fundamentum ecclesiae, quod hic psalmus intelligendus sit de Christo, filio Dei, ne angelus quidem, nedum impius rabbinus,* (aut profanus criticus) *qui diuersum doceat, audiendus*

endus erit; addatur CAMP. VITRINGA *typus doctr. proph p. 194.*

** Equidem ex HVGONIS GROTII sententia prophetae nullibi de Christo Iesu & regno eius directe, proprie, diserte vaticinati sunt. Si quae autem sint, quae dominus ipse & apostoli, in sermonibus atque epistolis suis, illuc transtulerint, quaerenda ea sunt in prophetis, secundum sensum illarum sublimiorem, quem Christus solus, eiusque apostoli perspexerunt. Ita ad verba Esaiae cap. LXI, 1. *Spiritus domini super me, quoniam me vnxit,* quae Christus Luc. IV, 18. 21. apertissime sibi vindicat, ille sequentia adscribit: *Loquitur hic Esaias* DE SE *(& de munere sibi imposito, consolandi captiuam multitudinem spe reditus,* vt in adnot. ad Matth. I, 21. addit:) *sed in quo* CHRISTI *non obscuram conspicimus imaginem.* Longius adhuc progreditur IO. CLERICVS, *biblioth. select. tom.* XXIII. *part.* II. *art. IV.* † Putant enim fieri posse, vt apostoli ex mystico illo sensu disputantes, se aliquatenus adcommodauerint ad ingenium Iudaeorum sui temporis. Quum enim isti sensum illum agnoscerent, & argumenta, ex eo producta, non solerent spernere, apostolos id sibi licere existimasse, vt illos armis sui ingenii expugnarent. Hinc passim in *harmonia,* quam dedit, *euangelica* sensum vaticiniorum, ex V. T. depromtorum, ad istam hypothesin detorquet, *e. c. p. 155.* (in marg.) *Cui Iesu instituto* (per parabolas docendi) *recte* APTAVERIS *verba Psaltae,* Psal. LXXVIII, 2. *aperiam in parabola os meum.* It. p. 439. *Quo dum se conferret, hac nocte, inquit, omnes me deseretis. Continget enim, quod* EXPRIMI QVEAT *verbis Zachariae cap.* XIII, 7. *occidam pastorem, & dispergentur oues gregis.* p. 466. *Sic fieri contingit* SIMILE QVIDDAM *ei, quod exstat apud Zachariam* cet. p. 468. p. 473.

† Et RICH. SIMON, *histor. crit. V. T. lib. I. c. XVII.*

p. 473. *Ita, vt Iesu contigerit id, quod* DE SE *dixerat Dauid: in siti mea propinarunt mihi acetum.* cet. At enim iam antea hinc hypothesi praeluserat ALEXANDER MORVS, in *notis* ad *nouum test.* (a IO. ALB. FABRICIO editis) *p. 18. seq. Est interdum* IMPLERI, *denuo locum habere, aut maiori cum ratione dici posse.* Et p. 16. *Quoties Christus dixit, vt impleretur, quod scriptum est, non continuo adcurata rei demonstratio ibi quaerenda est: interdum enim tantum percellit animum admirabilitate* SIMILITVDINIS, *quae cernitur in euentu praesenti cum veteri oraculo. Quibus domini* ALLVSIONIBVS *nihil perfectius.* Immo ante Morum iam IO. CALVINVS multa in hunc sensum scripserat, vt *operum tom.* III. *p. 24.* ad Psal. VIII. *Quum de praestantia hominum differat propheta, apostolus Ebr* II. *ad Christi exinanitionem id* TRAHIT. -- *Quod de breui abiectione deinde tractat apostolus, non est exegeticum,* sed AD SVVM INSTITVTVM DEFLECTIT, *quod* ALIO SENSV *a Dauide dictum fuerat. Sic Eph.* IV, 8. *locum Psalmi* LXVIII, 19. *non tam interpretatur, quam pia* DEFLECTIONE *ad Christi personam adcommodat.* Sed recte obseruat vir integerrimi iudicii, CAMP. VITRINGA *praef. commentarii in Esaiam, p. 15. seq.* hanc methodum cum honore & veritate sanctissimae religionis nostrae conciliari non posse. Quodsi enim apostoli vaticinia, quae in Christo impleta dicunt, tantum per parodiam & allusionem quamdam, aut per sensum, nescio quem, mysticum, longe petitum, tralatitium, nemini, praeterquam θεοπνεύστοις, notum ac manifestum, ad Christum adcommodarunt, eisque tribuerunt sensum, de quo sacri vates numquam cogitarunt: actum sane est de apostolorum fide & auctoritate. Substernunt enim christianae fidei fundamenta arenosa ac minus solida; tribuunt sancto spiritui, per prophetas loquuto, intentionem, quam prorsus ignorat; abutun-

utuntur scripturis, lectoribusque suis illudunt, dum testes de Christo producunt, quibus ne in mentem quidem venit, de illo testari; perinde ac si quis VIRGILIVM, quem ante Christum natum, diem obiisse certum est, de christo vaticinatum nobis persuadere velit, quia verba *eclogae IV. v. 6* (quam, SERVIO teste, in *Asinii Follionis* filium, recens natum & *Augusti* laudes composuit,) *Iam noua progenies caelo demittitur alto. & v. 49. Cara deum soboles, magnum Iouis incrementum,* (stilo CLERICI) ad Christum *aptari* queant. Ridet procul dubio vir doctissimus EVSEBIVM, qui in *oratione* magni CONSTANTINI *ad coetum sanctorum*, ἠπίστατο, inquit, εἶμαι τὴν μακαρίαν καὶ ἐπώνυμον τοῦ Σωτῆρος τελετὴν, *vidit, vt arbitror,* Virgilius, *beatum & eximium seruatoris nostri mysterium, cap. XIX. p. 594.* ed. Valesii; qua de re exstat AVGVSTI BVCHNERI docta oratio, *de quarta Virgilii ecloga, vtrumne id carmen de Christo seruatore poeta condiderit?* Non minus vero (quod reuerenter dictum volumus) hoc modo ridendus erit Matthaeus, quod cap. VIII, 17. ad IESVM ea transferat, quae, ex GROTII hypothesi, de *Ieremiae* calamitatibus vaticinatus erat Iesaias cap. LIII. pariterque quod cap. I, 22. in IESV impletum esse dicat, quod Esaias cap. VII, 14. dixerat *de suo ipsius filio,* quem ex virgine, mox in matrimonium a se ducenda, exspectabat, vt vult HVGO GROTIVS ad Matth. I, 22. Miseram vero religionem christianam, si fundamentum apostolorum ac prophetarum (horum enim doctrinae; non miraculis illa innititur Eph. II, 20.) ita comparatum fuerit; si argumenta, eius veritatem commonstratura, hausta sint ex communibus, incertis ac forte falsissimis interpretationibus scholae iudaicae illius temporis, quas apostoli, callidi scilicet homines, contra Iudaeos disputando, in vsus suos conuerterunt. Plura non addimus, ad hypothesi huic conciliandam inuidiam. vide supra *lib. I. cap. III §. XI.*

XI. p. 69. & conf. viri celeberr. HENRICI MVHLII *discussionem controuersiae, inter Phil. Limborchium & Camp. Vitringa agitatae, de sensu scripturae mystico cap. I. §. V. seq.* item *Regles pour l' intelligence des saintes Ecritures, p.* 2. *seq.* †

§. VII.

Vt autem felicius cuncta procedant, tenenda est naturalis illa methodus, quae in omni disciplinarum genere commendatur, vt a facilioribus in hoc negotio incipiamus, & sic per gradus ad difficiliora intelligenda progrediamur.

* Obseruandi nimirum sunt *tres* gradus. Postquam enim ex frequentiori lectione librorum noui foederis adcuratam & solidam Iesu Christi cognitionem hausimus,

I. *Inhaerendum est meditatione illis testimoniis veteris instrumenti, quae viri sacri in nouo foedere de Christo producunt*, studendumque, *vt vim demonstrationis, ac neruum probandi, collata integra, ex qua depromta sunt, orationis serie, adcurate perspiciamus.* e. c. Paulus Ebr. II, 11 in eo est, vt demonstret, Christum sanctificatorem cum hominibus sanctificandis, qua humanam etiam naturam, communem habere originem, iisdemque esse ὁμοούσιον. Hinc α) producit verba Psalmi XXII, 23. quibus Christus promittit, *se nomen patris fratribus suis adnuntiaturum*, vbi *fratrum* adpellatio naturae paritatem inuoluit; β) Psal. XVIII, 3. vel secundum alios, Esa. VIII, 17. vbi Christus dicit, *se fiduciam in patre collocaturum.* Hic neruus probandi sequenti argumentatione fulcitur: Qui Deo confidit in angustiis, is est verus homo. Atqui Christus confisus est Deo. Ergo est verus homo. Fiduciam enim reponere in alio, supponit naturae infir-

† Adde THOM. BVLLOCK *vindicationem ratiociniorum Christi & apostolorum*, anglicano sermone 1728. editam & *Ant. Collino* oppositam.

firmitatem, alienae opis indigam. Quae quum in merum Deum, qui sibi sufficiens est, non cadat; conficitur, aliam fuisse in seruatore nostro naturam, quae alienam opem, in grauissimis adflictionibus tolerandis, postulauit, scilicet humana; γ) Esa. VIII, 18. vbi se Messias *cum filiolis suis patri ostentat.* Vbi haec vis argumenti: Quicumque habet *filios*, a Deo sibi datos, is est verus homo, eiusdem cum illis naturae particeps (Filii enim parentibus sunt ὁμοούσιοι) Atqui Christus. Ergo. Ita Paulus in illo loco ad plura capita veteris testamenti, de Christo interpretanda, aditum pandit; quae proinde integra cogitate legenda ac relegenda sunt, vt testimoniorum illorum cum reliquo orationis corpore nexus, & cohaerentia perspiciatur. Addimus, ea loca, quae frequentius in N. T. adlegantur, vt Psal. II. XXII. LXIX. CX. CXVIII. Esa. LIII. cet. tamquam sedes insigniores Christognosiae singulari cum cura esse expendenda. Vtilem in hoc negotio operam praestare possunt FRANCISCI IVNII *parallela sacra.* IAC. ALTINGII comm. *de parallelismis vaticiniorum V. T. quae citantur in nouo*, ad calcem *tom. II. operum* & IO. TOB. MAIORIS diss. *de allegatione dictorum V. T. in Nouo.*

II. *Diligenter obseruandum est, vbi scriptores noui foederis digitum saltim intendant, & sua phrasi respiciant ad haec vel illa veteris instrumenti loca, vt & ista, licet non expressis verbis citata, de Christo exponere discamus.* Ita dum Christus, Apoc. II, 8. sibi vindicat titulum πρώτου καὶ ἐσχάτου, manifesto respicit ad Esa. XLIV, 6. cap. XLVIII, 12. neque sine emphasi dicitur, ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος *primus & vltimus* ILLE, qui se iamdudum talem esse apud Esaiam declarauit. Hinc igitur intelligimus, Messiam in citatis Esaiae capitibus loqui. Ita conf. Apoc.

Apoc. III, 7. cum Esa. XL, 25. cap. XLV, 11. cap. XXII, 22. Ita *cantica Mariae, & Zachariae,* Luc. I, quibus gloria Christi decantatur, pro clave quam plurimorum locorum V. T. de Christo agentium non immerito habentur. Conf. e. c. Luc. I, 45. cum LXX. Deut. XXXII, 3 Psal. XCIX, 2. 5. *vers.* 46. cum Gen. XVII, 17. 1 Sam. II, 1. Esa. LXI, 10. Hab. III, 18. *vers.* 48. cum Psal. CXVI, 16. & CXXXVI, 23. *vers.* 49. cum 2 Sam. VII, 21. cet. Dum ita paullatim linguae spiritus sancti, de Christo loquentis, adsuescimus, ac familiaritatem cum illa contrahimus intimiorem.

III. *Opera danda est, vt ad analogiam illius interpretationis, quam scriptores N. T. sequuntur, discamus etiam alia loca V. T. quae cum allegatis pulchre conueniunt, de Christo interpretari.* Ita, quum tertia fere pars psalmorum in N. T. producta, & ad Christum, eiusque regnum, translata sit: (quorum indicem dedimus in *praefatione* nostra, quam LVTHERI *commentariolo in Psalmum CXVII.* Ienae recuso, praemisimus) facile fuerit, in plerisque reliquis, quorum argumentum ac phrasis cum hisce congruit, Christum eiusque regnum detegere. e. c. Psalmus XCVII expresse de Christo allegatur Ebr I, 6. Quum vero integer tractus psalmorum antecedentium ac sequentium, XCII - C. idem prorsus sonet, merito etiam de Christo agere censetur. Hac clave parallelismi feliciter vsus est ISAACVS FAVSTIVS, theologus olim Argentoratensis, in *exercitatione theologica ad psalmum XXXIV. cuius pleraeque sententiae ad Christum referuntur;* nec non eiusdem quondam academiae decus, SEBASTIANVS SCHMIDIVS, in *Psalmis de Christo*, ac SALOMO TILLIVS, in *commentario*, quo *libros psalmorum* docte illustrauit.

§. VIII.

Felicius autem in hoc negotio versabitur, qui obseruauerit diuersa illa interualla, quibus Deus, sapientissimus ordinis conditor, tempora distinxit;* simulque animaduerterit, quae vaticinia cuilibet interuallo conueniant,** & quomodo per gradus clarior subinde Christi reuelatio data sit,*** dum posteriores prophetae nouam plerumque lucem adfundunt dictis superiorum. ****

* Vir eruditus, CAMP. VITRINGA, in *typo doctrinae propheticae*, libro vtilissimo, Ienae recuso, *part. II. cap. II. p. 62. seqq.* quatuor ponit tempora illustria, in quae incidunt casus aliqui insigniores, secum laturi magnas mundi & ecclesiae mutationes; vt sunt I. *destructio primi mundi* per aquas diluuii; II. *liberatio Israelitarum ex Aegypto*, cum terribili demonstratione diuinae iustitiae, eamque consequens pactio sinaitica; III. *manifestatio filii Dei in carne*, cum nouae oeconomiae fundatione; IV. *consummatio seculorum*, cum extremo iudicio. Inter quae tempora illustrissimum est *tempus Messiae*, ad cuius personae & regni fata, vt idem vir doctus ostendit, pleraque oracula pertinent.

** Qua in re praeter CAMP. VITRINGA, etiam NICOLAI GVRTLERI *systema theologiae propheticae*, Amstelodami MDCCII. editum, vsui esse potest, vbi vaticinia, inde ab orbe condito edita, ad sua tempora reuocantur.

*** Bene CAMP. VITRINGA, in *typo doctrinae propheticae p. 116. Lux hic ecclesiae gradatim & κατὰ μέρος orta est, fere vt imago, rudioribus ductibus primo, quod fieri solet, deformata, processu temporis crescente operis materia, & pluribus identidem lineis a peri-*

a perita manu instructa, ad eam sensim exsurgit perfectionem, vt archetypum suum ad viuum exscribat. E. c. quod ad ortum humanae Christi naturae attinet, per gradus praedicebatur, eum natales esse ducturum ex *Semo*, Gen. IX, 26. *Abrahamo*, Gen XXII, 18. *Isaaco*, Gen. XXI, 12. *Iacobo*, Gen. XXVIII, 4. *Iuda*, Gen, XLIX, 8. 10. *Dauide*, 2 Sam. VII, 12. & quidem ex *virgine* huius familiae, Esa. VII, 14

**** Vnde in testimonio prophetarum de Christo, posteriorum prophetarum vaticinia cum prioribus diligenter subinde conferenda sunt; neque inepte faceret, qui facto ab vltimis meditandi initio, retrogrado ordine ad primos pergeret, vt monuit PETRVS ALLIX, im *Ausspruch der alten Iüdischen Kirche wider die Vnitarios*, *cap.* III. *p* 27. Ita quae in proteuangelio, Gen. III, 15. de *semine mulieris* obscurius dicta erant; Esaias cap. VII, 14. planissimis verbis declarat: *ecce virgo concipiet.* Christum fore simul *sacerdotem* ac *regem*, in *historia Melchisedeci*, Gen. XIV. 18. tectius latet; clarius Psal. CX, vbi v. 1. 2. vt *rex*, v. 4. vt *sacerdos* pingitur; clarissime Zachar. VI, 13. *sedebit atque* impetrabit *in solio suo*, *simulque* sacerdos *erit in solio suo.* conf. *infra p.* 212 †

§. IX.

Ceterum in tam arduo negotio non est indulgendum incertis coniecturis, atque ludentis ingenii cogitationibus; * sed eo adnitendum, vt interpretationes locorum de Christo solidis fundamentis superstruamus.** ne diuina veritas irrisorum ludibrio exponatur: *** quamuis hic tolerabilius excessu, quam defectu peccetur. ****

† Et *exercitationes* nostras *hermen. p.* 227.

* *Iudaeis* maxime more receptum est, quamplurima dicta de Messia promiscue interpretari, in quibus nec vola, nec vestigium eius adparet; & vicissim illa, quae eius imaginem vere exhibent, praeter mentem spiritus sancti aliorsum obtorto collo trahere. Sic in MIDRASCH RVTH verba Boasi ad Rutham cap II, 14. ita παραφράζουσι: *Veni huc*, i. e. veni ad regnum, *& comedas de pane*, hic est panis regni, *& intingas offam in acetum*, haec sunt castigationes, & tormenta Messiae, de quibus dicitur: *ipse dolore adfectus est propter praeuaricationes nostras*, Esa. LIII, 5. coll. Psal. LXIX, 22. Ita MOSES NACHMANIDES per *lapidem*, a Iosua erectum, Ios. XXIV, 27. intelligit *angelum foederis*, lapidem pastorem, Gen. XLIX, 24. reprobandum ab architectis; Psal. CXVIII, 22. & ponendum coram facie Iosuae, Zach. III, 8. 9. Neque minus *patres* hic saepe ingenio suo nimis indulserunt. e c. Esaias cap. XVI, 1. ad Moabitas dicit: *mittite agnum dominatoris terrae;* quibus verbis Moabitae, per Dauidem tributarii facti, iubentur regem Iudaeorum, cuius iugum excusserant, propitium sibi reddere, missis agnis, quos tributi loco debebant, vt in calamitate imminente habeant latibulum, quo se recipiant; coll. 2 Sam. VIII, 2. 2 Reg. III, 4. sed sola *agnorum* mentio HIERONYMO *tom. III. p. 120.* ed. Benedict. hic in memoriam procul dubio reuocauit loca N. T. vbi Christus *agnus* adpellatur, vnde ita verba exponit: *O Moab, habeto solatium hoc: egredietur de te agnus immaculatus, qui tollat peccata mundi, qui dominetur in orbe terrarum.* Sequentibus verbis, *de petra deserti*, hanc mentem adfinxit: hoc est, *de Ruth, quae mariti morte viduata, de Boaz genuit Obed, & de Obed Ieſſe, & de Ieſſe Dauid, & de Dauid Christum.* Plura talia in PETRI GALATINI quoque libris de *arcanis catholicae veritatis* occurrunt.

runt. Neque semper 10. COCCEIVS ea circumspectione hac in re versatus est, vt ab omni praecipitantia absolui possit. Quo etiam pertinent *lusus cabbalistici*, vt quando ex verbo ברא Gen. I, 1. singulis litteris in totidem voces mutatis, extunditur בן רוח אב *filius*, *spiritus*, & *pater*. Quo etiam referas, quum prima verba libri psalmorum אשרי האיש אשר לא הלך בעצת dirimuntur, & subscriptis aliis punctis ita leguntur: אשר יה איש אשר לאה לך בעץ ת *aschür iah isch, ascher laah l' cha baets* ת, hoc est: *Canam Deum hominem* (θεάνθρωπον *qui defatigatus fuit pro te in ligno* ת siue *crucis*. Qua de inuentione mirifice sibi plaudit vir doctissimus THEODORVS HASAEVS, in *bibliotheca historico-philologico-theologica*, *classf I. p. 447.* (quamuis eius iam dudum mentionem fecerit PETRVS DANIEL HVETIVS in *demonstr. euang. p 998.*) putetque, hoc modo totius libri argumentum in ipso limine clare proponi, neque in disputatione cum Iudaeis rem omni fructu carere. Sed quamuis haec aliquo modo contra Iudaeos facere videantur: tamen hoc modo non recta via inceditur; dumque sibi ingenium humanum praeter modum indulget, in varios meteorismos exspatiatur, in quibus ludere potius, quam serio & religiose agere, videri possit. adde SAL. GLASSII *philol. sacr. lib II. part. I. p. 438.*

** Omnis scilicet *demonstratio* CHRISTI IESV ex scripturis propheticis duobus hisce thematibus absoluitur. I. Prophetas vaticinari de illustri aliqua persona, rege, propheta, seruatore, caussa & auctore iustitiae sui populi, futuro tempore adparitura, cui tam singularia & excellentia tribuunt attributa, vt ea in Dauide, Salomone, Hiskia, Zerubabele, Esaia, Ieremia, ducibus Assamonaeis, aut quo alio subiecto, his analogo, ostendi nequeant; ac proinde cogitandum sit de persona alia, his longe ma-

iore & excellentiore, quam schola sanctorum, harum prophetiarum vim & sensum adsequuta, MESSIAM adpellauit*. II. Haec excellentia ac singularia attributa atque enuntiata, CHRISTO IESV, qui se pro exspectato Messia gessit, tempore Herodiadum, in omni sua potestate & amplitudine conuenire. Haec demonstratio est rationalis, intelligibilis, communibus rationibus subnixa, quam scriptores etiam N. T. in suis allegationibus sequuti sunt, ac proinde psalmum VIII. XVI. XXII. XL. LXIX. XCVII CXVIII. Esa. XLII, 1. 2. 3. cap. LIII. cet. intrepide ad Christum transtulerunt; conf. CAMP. VITRINGA, *praef. comm. in Esaiam, p. 18 19. & typum doctrinae proph. p. 196.* Iungantur *Vesperae Groeninganae, colloqu. XX. p. 428.* & *infra* a nobis dicenda, *p 787.*

*** Dudum id obseruauit ISIDORVS Pelusiota, *lib. II. epist. 195. p. 215.* vbi de illis, qui omnia veteris testamenti dicta promiscue ad Christum referunt, scribit, quod gentilibus & haereticis, qui id repudiant, in sua aduersus nos concertatione robur & arma suppeditent. Τὰ γὰρ μὴ εἰς αὐτὸν εἰρημένα ἐκβιαζόμενοι, καὶ τὰ ἀβιάστως εἰρημένα ὑποπτεύεσθαι παρασκευάζουσι. *Nam dum ea, quae de ipso minime dicta sunt, per vim intorquent; hoc efficiunt, vt quae de eo haud quaquam contorte dicta sunt, in suspicionem veniant.* Neque minus prudenter & candide CAMP. VITRINGA, *praef. in tom. II. commentarii in Esaiam, p. 5.* *Dici nequit, quantum obsint sanctissimo huic & diuino studio, quaesiti adfectatique ingenii lusus, specie subtiles, re inanes, quibus certa incertis, vera & demonstrabilia dubiis, leuia solidis commiscentur; imbecillae mentis homines in hanc inductura cogitationem, in hoc studii genere ex quolibet quodlibet fingi posse.* Vnde caute ac μετὰ φόβου καὶ τρόμου hic agendum est, ad exemplum Mosis, Christum in rubo videntis; Exod. III, 6.

**** Pla-

**** Placet moderatum HERMANNI WITSII judicium, *oecon. foed. lib. IV. cap. VI. p. 639. Licet modus in rebus sit, tolerabilius tamen eum peccare existimem, qui Christum se videre arbitratur, vbi fortasse sese non ostentat; quam qui eum videre renuit, vbi se clare satis offert. Alterum enim indicium est animi, Christum diligentis, plurimumque & vel minima, vel fortasse nulla data occasione, de eo cogitantis; alterum segnem animum arguit, & qui tardus sit ad credendum*, Luc. XXIV, 25. *qualis se in Socinianis, & magno ceteroquin* GROTIO *prodit, plurima passim ita torquentibus, vt nihil cum Christo commune habere videantur.* Quae dum describimus, opportune occurrit docti ABARBANELIS iudicium, *comm. in proph. posteriores, ad Esa.* XLII, 1. Quum enim recensuisset, R. SAADIAM GAON per hunc *seruum Dei* electum intellexisse *Cyrum*; ABRAHAM BEN EZRAM (cum quo & H. GROTIVS facit) ipsum *Esaiam*, aliis alios designantibus: non sine indignatione subiicit נראה שכל אלה החכמים הכו במנורים *videntur mihi omnes isti sapientes densissimis mentis tenebris laborasse* (phrasis desumta ex Gen. XIX, 11.) *qui non viderunt, omnia ea, quae vates scripsit, recte aliter explicari non posse,* כי אם על מלך ישראל מבית דוד *quam de rege Israelis, ex familia Davidis oriundo,* וזהו המשיח *& hic est* MESSIAS.

§. X.

Sed exspectabit procul dubio lector, vt regulae aliquot specialiores suppeditentur, quae doceant, vbi Christus in aliquo veteris instrumenti loco quaerendus sit. Tentabimus igitur, quousque honesto ac pio desiderio satisfacere queamus.

§. XI.

Christum in tabulis veteris testamenti, vel aperte in ipso sensu litterali videndum proponi, vel sensui mystico inuolutum latere, supra * iam obseruatum est. Vbi *litteraliter* de ipso agatur, haud difficulter intelligitur, si ad characteres, in textu obuios, ac soli Messiae in omni sua emphasi proprios, attendatur. **

* In notis ad § IV. *p.* 153.

** Obseruari hic possunt sequentes canones, per inductionem exemplorum facile demonstrabiles:

I. *Vbicumque in* V. T. *mentio fit alicuius* ANGELI, *cui vel nomen* IEHOVAE *in casu recto, vel diuina opera, vel denique cultus diuinus tribuitur; hoc nomine intelligendus est Iehoua Messias, sacrosanctae trinitatis orator, ac summus legatus,* vt textus circumstantiae attentum lectorem facile docebunt. Primo loco id fit Genes. XVI, 7. *Inuenit Hagarem* מלאך יהוה *angelus Iehouae,* vbi R. LEVI BEN GERSON: הוא אחד מהנביאים אשר היו נזמן הוא *Fuit aliquis prophetarum, qui illo tempore exstiterunt.* Addit tamen: *Sed dixerunt maiores nostri in Breschith Rabba,* שזה המלאך הוא השם *quod hic angelus ipse sit Deus;* idque rectissime, vt ex collatione v. 10. 13. adparet. Idem accidit in sequentibus locis, Gen. XXI, 17. c. XXII, 11. 15. c. XXXIII, 24. coll. Hos. XII, 5. Gen. XLVIII, 16. Exod. III, 2. 7. c. XIV, 19. c. XXIII, 20. 23. Num. XXII, 22. Iud. II, 1. 4. c. V, 23. c. VI, 11. 12. 20. c. XIII, 3. 6. 9. Iob. XXXIII, 23. Esa. LXIII, 9. Zach. I, 9. c. II, 3. c. III, 1. c. IV, 1-4. Mal. III, 1. quibus etiam addi posset 2 Sam. XIV, 20. Psal. XXXIV, 8. cet. Conferatur ven. IO. HENR. MICHAELIS diss. *de angelo* DEI, it. *de angelo interprete.* SAL. GLASSIVS,

SIVS, in *onomatologia Messiae prophetica*, *p.* 57. PETRVS ALLIX im *Ausspruch der alten jüdischen Kirche gegen die Vnitarios*, *cap.* XIII. XIV. XV. Addatur subiecta eidem operi dissertatio, de *angelo redemtore*; nec non ven. SAL. DEYLINGII *obseru. sacr. lib.* II. *obs.* VII. †

II. *Vbi in* V. T. *commemoratur* GRATIA & VERITAS, *indicio id esse debet, Christum ibi respici, qui plenus est gratia & veritate.* Fons, ex quo ista compellatio fluxit, aperitur Exod XXXIV, 6. vbi pater de filio pronuntiat, quod sit רב חסד ואמת *magnus* ac *multus gratia & veritate.* Ex qua scaturigine innumeri se riuuli per reliquos scripturae libros diffuderunt, vide e. e. Psal. LXXXIX, 2. 3. & XCII, 3. XCVIII, 3. & C, 5. & CI, 1. & CXVII, 2. Esa. XVI, 5. Mich. VII, 20. cet. quae loca omnia conferenda sunt cum Ioh. I, 14. 17. vbi clauis ad illa intelligenda traditur. Adde ven. AVG. HERMANNI FRANCKII tract. germ. *von Gnade und Warheit.*

III. *Vbi* CANTICVM NOVVM *ecclesiae canendum iniungitur, ibi de Christo, ac beneficiis nouae oeconomiae sermonem esse, intelligitur,* vid. Psal. XXXIII, 3. & XL, 4. & XCV, 1. & XCVIII, 1. & CXLIX, 1. Esa. XLII, 10. Apoc. V, 9. c. XIV, 3. conf. CAMP. VITRINGA, *comm. in Esa. tom.* II. *p.* 504.

IV. *In vniuersa* HISTORIA POPVLI ISRAELITICI *quaerendus est, angelus faciei diuinae;* Esa. LXIII, 9. quippe qui curam huius gentis, ex qua secundum humanitatem ipse proditurus erat, a primis inde initiis in se suscepit, dum eam ex Aegypto eduxit; Exod III, 2. 8. coll. ep. Iud. vers. 5. per desertum in nube comitatus est; Exod. XXIII, 20. Es. LXIII, 9. 1 Cor. X, 9. Psal. XCV, 10. coll. Ebr. III, 7. 8. legem dedit in monte Sinai; Act. V

† Addatur CAMP. VITRINGA *de angelo sacerdote, obseru. sacr. lib. IV. c. XIV. XV.* & ven. IOACH. LANGII *caussa Dei tom. II. p.* 359. *sqq.*

35. 38. Hebr. XII, 26. Cananitidem ipsi subiecit; Ios. V, 13. c. VI, 2. Iud. II, 2. ab hostibus eam frequentissime vindicauit; Iud. V, 23. c. VI, 11. 14. Esa. XXXVII, 36. cet † vid. CAMP. VITRINGA *comm. in Esa. tom. II. p.* 1003. & quae olim ad Neh. IX. adnotauimus, in ven. IO. HENR. MICHAELIS *notis vberioribus in hagiographa, volum. III. p.* 189. *seq.* ††

V. *Non raro accidit, vt vox* הוא, *graece* αὐτός *velut index aliquis digitus sit, qui ad Messiam, in proteuangelio promissum, pii lectoris animum remittit*, vbi dicitur הוא ישופך ראש ILLE *conteret tibi caput.* Sic Psal. CXXX, 8 והוא יפדה את ישראל q. e. ILLE *ipse*, qui in paradiso promissus fuit, *redimet Israelem.* Sic Deut. XXXII, 39. Psal. CII, 28. Esa. XLVIII, 12. c. LIII, 4. 5. 7. 11. 12. In quibus locis illud pronomen de Messia adhibitum, quasi nominis naturam induit, & exsistentiae ipsius permanentiam, absque vlla naturae eius corruptione aut detrimento, exprimit. Vnde natus est veterum Iudaeorum de Dei essentia canon הוא שמו ושמו הוא Notatu etiam dignum est, quod in Mischna, cod. *Succa, cap. IV. §. V.* narratur in solemni illa processione circa altare, in festo tabernaculorum, Iudaeos vsos fuisse hac formula: אני והוא הושיעה נא conf. Esa. XLIII, 25. Pariter etiam graecum αὐτός, SVIDA teste, saepe significat δεσπότην, & cui aliquid excellenter competit, *tom. I p.* 388. ed. KVSTERI. Vnde & graeci patres, in describenda filii excellentia, nomina ex hoc pronomine composita, valde amauerunt, vt αὐτόθεος, αὐτοζωὴ, αὐτοσοφία, αὐτοκαλόν; cet. vt docet IO. CASPAR SVICERVS in *thesaur. eccle-*

sia-

† Conf. etiam psal. LXXVIII, 56. cum 1 Cor. X, 9.

†† Christo etiam vindicandas esse *apparitiones* diuinas, quae in historia populi Dei narrantur, docet cel. LAMPIVS, im *Geheimnis des Gnaden-Bundes part. II. c. XIII. part. III. c. VI. §. 7. seqq.*

siastico, p. 579. seqq. Adde *praefationem, secundae* parti *concordantiarum Lanckischianarum* praemissam.

VI. *Vbicumque in V. T. circumcisio, sacrificia, & vniuersus* LEGVM RITVALIVM APPARATVS, *nec non priuilegia, genti iudaicae concessa, siue expresse, siue tacite, reprobantur, taxantur, abrogantur: ibi Christus, melioris sacrificii & foederis auctor, atque excellentioris iustitiae conditor, quaerendus est;* vt Esa. I, 10. seq. c. LVII, 3. c. LXVI, 1. 2. 3. Psal. XV. tot. & XL, 7. & L, 9. seq. & LI, 18. Ier. III, 16. 17. Dan. IX, 27. Mal. I, 10. 11. Confer, tamquam clauem istiusmodi locorum, Ebr. VIII, 7. 13.

VII. *Illustrem* GENTILIVM CONVERSIONEM, *publicaeque idololatriae destructionem, quando praedicunt prophetae: certum est, eos loqui de tempore Messiae, cuius id regno reseruatum erat;* coll. Gen. XLIX, 10. Psal. XLIX, 44. & XXII, 28. & XXIV, 3. & XLVII, 8. 9 10. & LXVIII, 32. 33. & LXXII, 10. 11. & CXVII, 1. Esa. II, 2. seq. c. XLII, 1. 4. c. XLIX, 6. Zach. II, 11. cet.

VIII. *Vbi* IVDAE & ISRAELIS RESTITVTIONEM *coniunctim praenuntiant prophetae: ibi de temporibus Messiae loqui putandi sunt.* vt Esa. XI, 1. 11. 12. 13. Ier. III, 18. c. XXIII, 5. 6. c. XXX, 3. c. XXXI, 27. c. XXXIII, 14. 15. Ezech. XXXVI, 19. 22. 24. cet. Ita LVTHERVS *tom. III. Ien. germ. fol. 430.* nec sine ratione. Quamuis enim, soluta captiuitate Babylonica, aliqui Israelitae cum Iudaeis in terram suam reuersi sint; coll. Ezr. I, 1. 2. 3. 4. c. II, 2. c. VII, 13. 1 Par. IX, 2. longe maxima tamen pars decem tribuum in terris dispersionis suae mansit, vt sacra pagina, 1 Par. V, 26. testatur. Illis igitur non minus, quam Iudaeis in Canaane habitantibus, adeoque integro δωδεκαφύλῳ, in ipsis initiis regni Messiae euangelium adnuntiatum fuit; Ioh.

X,

X, 16. quod Petrus & praedixit, Act. II, 39. & fecit, 1 Petr. I, 1. eum Iacobo c. I, 1. conf. HERMANNI WITSII Δεκάφυλον, siue *de decem tribubus Israelis c. X. p. 380 seqq.*

IX. Qui antiquiorum IVDAEORVM monumenta peruoluerit, obseruabit, eos plures eiusmodi CANONES ex diligenti scripturae lectione & collatione sibi formasse, quibus in scriptura de Messia interpretanda, non infeliciter vtebantur. Sic illa loca de Messia intelligebant 1) vbi de *seruo* aliquo Dei, absolute & eminenter sic dicto, sermo instituitur; vt Esa. XLII, 1. c. LII, 13. Zach. III, 8. quibus locis chaldaica paraphrasis nomen משיחא addit: 2) vbi mentio fit *regis*, κατ' ἐξοχὴν ita adpellati, vt Psal. XX, 10. & XLV, 2. & LXXII, 1. cet. 3) vbi eximia *salus* promittitur; Esa. XLV, 22. cet. 4) vbi Deo *dominium in vniuersum terrarum orbem* tribuitur; vt Esa. IX, 6. Zach. IX, 9. 10. Psal. II, 8. & XXIV, 1. LXXII, 11. cet. 5) vbi *instauratio domus Dauidis* praedicitur; vt Am. IX, 11. 6) vbi viri sacri de *adscensu in coelos*, & *sessione ad dextram Dei* loquuntur; Psal. XLVII, 6. & LXVIII, 19. & CX, 1.† conf. PETRI ALLIX *Ausspruch der alten iüdischen Kirche gegen die Vnitarios, cap. III p. 25.*

X Multum denique in hoc negotio adiuuabitur, qui NOMINA MESSIAE, *in sacris paginis* V. & N. T. *obuia*, sibi familiaria reddiderit, quae longa serie recenset SAL. GLASSIVS, in *onomatologia Messiae prophetica*, *Christologiae eius Mosaicae & Dauidicae* subiuncta: nec non vener. AVG. HERM. FRANCKIVS, in tract. *Christus der Kern heiliger Schrift p. 349. seq.* Quibus iungi possunt clar. CHRIST. BENED. MICHAELIS dissertationes *de nominibus Christi, diuinam ac humanam ipsius naturam denegantibus*, ex antiquitate iudaica illustratis. §. XII.

† Item vbi diuinae cuidam personae *hereditas* tribuitur, vt Psal. II, 8. Psal. XVI, 6. coll. Hcb. I, 2.

§. XII.

Maiori vero attentione opus est, vt venerandum seruatorem, vbi quasi post velum latitat, aliarumque rerum vel personarum inuolucro tegitur, sancta curiositate inuestigemus, aliisque tamquam scripturae scopum ostendamus; qua in re rursus pii interpretis studium certis obseruationibus iuuari potest. *

* Christi scilicet, ac rei christianae mysterium abditum & inuolutum deprehenditur,

I. *In fasciis vniuersi cultus Leuitici, sub personis, locis, temporibus, & actionibus sacris,* in quibus si veritatis & vmbrarum analogia, spirituali *συγκρίσει*, instituatur, vbique בצלאל h. e. *in vmbra* DEVS conspicitur. Multa hic detexit vir profundae sapientiae, diuinus Paulus, in epistola ad Ebraeos, opere vere incomparabili, vbi cap. X, 1. conceptis verbis testatur, tabernaculum Mosaicum fuisse *exemplar maioris & perfectioris, quod non manu factum, neque huius conditionis sit;* & cap. IX, 9. 11. adserit, ea, quae in tabernaculo peragebantur, fuisse *exemplaria eorum, quae in caelis sunt.* Adde Ebr. VIII, 5. coll. II, 16. 17. Sed minime putandum est, ea sola arcanos significatus habuisse, quae a Paulo memorata & exposita sunt. De multis ille dixit, non vero de singulis, Ebr. IX, 6. Viam nobis, diuino spiritu collustratus, praeiuit, iis etiam aliquando selectis, de quorum mysterio nemo fortassis vmquam cogitasset. Nostrum est, ex tam praeclara institutione proficere in scientia sanctorum, nec hos solos thesauros admirari, quos reseratos, nunc ante oculos habemus; sed aurea ista claue illos quoque recludere, quos in aliis eiusdem arcae loculis latere scimus. *Quod* enim *in eo genere apostoli praestiterunt,*

est

est tamquam exemplar ad cuius normam omnes alii theologi cogitationes & meditationes suas in eo studio conformare debent, vt recte ait MOSES AMYRALDVS, in elegantissima *praefatione*, quam *paraphrasi psalmorum Dauidis* praemisit. Quibus haud dissimilia monet auctor doctissimus libri *Regles pour l' intelligence des saintes Ecritures*, quem ASFELDIVM abbatem esse dicunt, quique in scriptis LVTHERI, BRENTII & COCCHII non hospes fuisse videtur, *reg. IX. p. 149. Saint Paul dans l' epitre aux Hebreux a tiré le voile; qui nous cachoit vne partie de ces rapports, mais il l' a laisse sur vne partie du tableau: & ceux, qui ont profité de ce, qu' il leur en a decouvert, tâchent, en suivant ses principes, decouvrir le reste.* Equidem vir clarissimus IO. SPENCERVS in opere *de legibus ritualibus Ebraeorum*, supra modum iracscitur iis, qui mysticam aliquam significationem in arca foederis, mensa sacra, aliisque institutis Mosaicis quaerunt; ac libere pronuntiat, se *odisse profanum illud interpretum vulgus*; quid? quod *allegorias tamquam vsitatum ignorantiae asylum*, horribili flagello infectatur. Nos interim, sub diui Pauli vmbra securi, ista fulmina parum extimescimus. Candide vero & solide ipsi satisfecit HERM. WITSIVS, in lectu dignissima dissertatione de *tabernaculi Leuitici mysteriis*, c. LXIII. *seqq.* quae exstat in *miscell. sacr. tom.* I. *p. 429.* nec non vir doctissimus IO. GOTTLOB CARPZOVIVS, in *introductione ad libros canonicos V. T. part.* I. *p. 107. seqq.* Adde *infra* dicenda, *p. 587. 792.* Ceterum manuductionem ad arcana cultus Mosaici typica detegenda, dabit WOLFG. FRANZIVS in *schola sacrificiorum.* THOMAS TAYLOR, in *Christo reuelato.* IO. BIERMANNVS, in *Mose & Christo.* FRANC. BVRMANNVS, in *operibus biblicis.* HERM. WITSIVS, in *oeconomia foederum lib. IV. cap. VI.* FRID. ADOLPH

ADOLPH LAMPE, *in Geheimniß des Gnaden Bundes, part* III. *c.* XXIV. *seqq.* IO. LAVRENTIVS IAN, in tract. germ. *Christen-Catechismus in Leuitischen Caerimonien*, & qui soliditate iudicii reliquis dubiam reddidit palmam, vener. IOACHIMVS LANGIVS, in *mysterio Christi & Christianismi*, *in fasciis typicis antiquitatum biblicarum V. T.* Christus porro quaerendus est.

II. In *eiusmodi veterum historiarum circumstantiis, quae adeo apertam ad Christum relationem habent, vt quis inter legendum non possit non de illo idem tidem cogitare;* quales e. c. occurrunt in historia *immolationis Isaaci*; Gen. XXII. Vterque, Isaacus & Christus erat filius vnicus, vterque parenti dilectus, vterque innocuus, vterque morti a patre datus. Isaacus lignum in montem Moriae; Christus crucem in montem Caluariae portat. Vterque ingeminat dulce illud Abba; Gen. XXII, 7. Marc. XIV, 36. Vterque obsequens est vsque ad mortem. Ille pedibus manibusque vinctus rogo viuus imponitur; hic pedibus manibusque cruci viuus adfigitur, vterque denique tertia die a morte liberatur. Hanc analogiam & similitudinem typi atque antitypi, quisquis ab humano ingenio conflictam, aut casu fortuito obseruatam dicit, & non potius a diuina sapientia ordinatam putat; nae eum in ipsa meridie caecutire oportet. conf. ad hanc historiam IO. BIERMANNI *Moses & Christus, lib. I. cap. III. p. 55.* SAM. BOCHARTI *ep. ad Tapinum, p. 35.* & CAMP. VITRINGA *obseru. sacr. lib. II. c. X. p. 412.* Similia in historia *Iosephi*, in *victoria Gideonis*, Iud. VII. in *fuga Dauidis*, 2 Sam. XV. & aliis multis obseruare licet. Addantur *Regles pour l'intelligence des saintes Ecritures, Reg. VIII. p. 141. seqq.*

III. Latet Christus, eiusque beneficiorum spiritualium thesaurus, *in iis locis, vbi varia felicitatum temporalium genera sanctorum coetui promittuntur*, quae

quae tamen scriptura alibi non magni aestimanda docet, immo vero, quae saepius hominibus nequissimis conceduntur, piis interim cum integra calamitatum serie colluctantibus; Psal. LXXIII, 14. Ebr. XI, 36. 1 Cor. IV, 11. seqq. Vnde credere par est, caducas illas felicitates tantum esse symbola & emblemata bonorum spiritualium regni Messiae. Hinc intelligitur, psalmum CXXVII. agere de Christo, ecclesiae suae architecto; psal. CXXVIII. esse μακαρισμὸν Christi & fidelium ipsius, cet. Accedit, quod scriptura saepe cogitationes nostras violenter a rebus terrenis abstrahat, dum promissionibus prorsus spiritualibus terrena, & sensibus tantum blandientia, immiscet, quae proinde, ob integram orationis seriem, non possunt non spiritualiter explicari, vt Esa. XXX, 23. LX, 17. 18. LXV, 9. 10. cet. Adde *Regles* &c. *reg. V. p. 83.* Maxime id de *benedictionibus patriarcharum* obseruandum est.

IV. *Vbi in scripturis legimus eiusmodi facta, quae non conueniunt ideae, quam de sanctis illorum auctoribus merito habemus, indicium id esse debet, aliquid sublimius sub verborum cortice esse quaerendum.* Ita mirum alicui videatur, *Abrahamum*, virum pium ac diuitem, Hagarem cum Ismaele ex domo sua expellere, vitae sustentandae adminiculis adeo parce instructos, vt in vitae discrimen ambo venerint; Gen. XXI, 14. Vides haec aperta fronte pugnare cum humanitate ac pietate Abrahami, si intra sensus historici limites subsistas; sed hoc ipso signo agnoscitur, mysterium aliquod simul sub illa historia latere, quod Paulus detegit, Gal. IV, 30. vbi docet, Hagarem cum filio suo adumbrasse Iudaeos, seruili legis cultui addictos, verorum Abrahami heredum persequutores, olim extra ecclesiam in desertum gentium & extremas angustias expellendos. Idem de historia *Iacobi*, ius primogenituae ab Esauo ementis, eidemque benedictionem praeripientis Gen. XXV, 31. & c. XXVII. nec non de *coniugio Hoseae*

Hoseae c. I. aliisque multis obseruandum est, conf. *Regles &c. reg. VI. p. 98.* & vener. IO. FRANC. BVDDEI diss. *de peccatis typicis, §. XXIII. XXXII.*

V. Non minus *in liberationibus externis, quae populo iudaico contigerunt, maxime ex Aegypto & captiuitate Babylonica, imago verae liberationis, per Christum procurandae, ex spiritus sancti intentione exhibetur*, teste Zacharia; Luc. I, 74. conf. Esa. IX. 4. 5. Mich. VII, 15. cet. Ipsi Iudaei agnouerunt, redemtionem populi Dei, efficiendam a Messia, similem fore, qua modum & circumstantias liberationi Israelitarum ex Aegypto, vt ex Abarbanele docuit CAMP. VITRINGA, *obseru. sacr. lib. II. cap. XVI. §. 4. p. 484.* Addimus eiusdem verba ex *comm. in Esa. tom. II. p. 534 Temporales liberationes, quas Deus populo suo olim praestitit insignes, cum demonstratione potentiae suae infinitae, typum gesserunt liberationis spiritualis, quam praestaret per filium suum, quae vna liberatio & saluatio hoc nomen vere meretur Ceterae enim transitoriae sunt; huius effectus est aeternus. Ceterae vindicant hominem a malis temporalibus; haec a seruitute peccati, conscientia reatu, & damnatione ac exitio aeterno* cet. Adde *tom I. p. 260. 294. & biblioth. Bremens. tom. II. p. 37. 38.*

VI. Denique *promissionibus de statu populi reducis ex captiuitate Babylonica plerumque inuolutae esse beneficia, in regno Messiae administranda*, viri exercitati obseruarunt. Siquidem redemtio ex Babylonia in vera demum redemtione Messiae suum complementum accepit. Malumus haec rursus magni VITRINGA verbis, quam nostris, exprimere Ille *comm. in Esa. tom. I. p. 446. Prophetae*, inquit, *qui vaticinati sunt ante exilium Babylonicum, de beneficiis corporalibus & spiritualibus, per Messiam adducendis, loquuti sunt tamquam de contiguis,*

guis, eaque fere connectunt cum reditu Iudaeorum ex exilio Babylonico. Inde de statu ecclesiae post reditum ex exilio magnifice loquuntur, & mirabilia praecinunt de luculentis beneficiis gratiae, quae apud eam deponerentur; quum contra historia nos doceat, res reducum vsque ad tempus confirmati principatus Assamonaeorum tenues & adflictas fuisse. Sed enim restitutio & instauratio reipublicae, quum praecipue hac de caussa fierent, vt Messias tandem manifestaretur, iuxta promissa patribus data, qui fundaret inter Iudaeos & gentes regnum spirituale & aeternum, & populum suum vindicaret in veram libertatem & salutem: prophetae, hoc beneficium cum supplemento & complemento suo considerantes, & initia ac praeludia cum fine suo connectentes, quo spem piorum tanto fortius confirmarent, praecipue intelligi voluerunt de liberatione & redemtione spirituali, vbi de liberatione Babylonica verba facere videntur & illa duo saepe inter se velut commiscent. Eadem vir summus fūsius deducit in tract. belgico: *Aanleyding tot het rechte Verstant van den Tempel Ezechielis, part.* II. *cap.* IV. *p.* 406 - 446. Plura de suauissimo isthoc argumento addere praesens institutum non permittit. Haec manuductionis loco dedisse sufficiat. Interim rursus conferantur dicta *lib.* I. *cap.* III. §. XII. & addatur ven. AVG. HERM. FRANCKII *introductio ad lectionem prophetarum, ad comparandam e prophetis agnitionem Iesu Christi.*

§. XIII.

Cuiusque *libri* biblici *scopum proprium* qui inuestigare voluerit; illi ante omnia opera danda est, vt ex attenta & saepius instituta eiusdem lectione, argumenti summam mente complectatur, praecipuasque eius partes tam diu inter se conferat, donec auctoris con-

consilium, & vltimam, quo cuncta refert, metam peruidere possit: quamuis & alia adminicula hic non sint contemnenda. *

* Attendere scilicet iuuat,

I. Ad *libri exordium*, quod nonnumquam auctoris intentionem, fronti operis inscriptam, exhibet. vide Prou. I, 1. 2. Matth. I, 1. Luc. I, 1-4. Apoc. I, 1. Psal. XLV, 1.

II. Ad *alia libri loca*, vbi auctor ipse scopum suum significauit. vide Coh. XII, 13. Ioh. XX, 31. Coll. II, 4. 2 Petr. III, 1. Ebr. XIII, 22. 1 Ioh I, 3. 4.

III. Ad *tempus*, quo liber compositus est, atque *statum*, quo illo tempore ecclesia fuit. Ita IACOBI epistola scripta est circa annum Christi LXI. tempore persequutionis; cap. II, 6. c. V, 6. haud diu ante glorioſum vitae finem, qui ex sententia IO. PEARSONII, in *annalibus Paulinis*, *p. 31.* contigit A. C. LXII. Neronis VIII. quum reipublicae ac templi excidium instaret, Iac. V, 1. 8. Erant autem in illius temporis ecclesia, qui non solum ex recrudescente persequutione Iudaeorum & gentilium, sub tyrannico Neronis imperio, in fide & caritate languescerent, variisque vitiis, vt personarum respectu, c. II, 1. seqq. pauperum contemtu c. II, 9. seqq. garrulitate linguae, III, 3. seqq. cet. laborarent: sed etiam, qui gratia Dei, in euangelio respipiscentibus promissa, turpissime abuterentur ad carnis licentiam, ac, procul habita verae sanctimoniae cura, fidem fructibus destitutam, hoc est, nudum adsensum, doctrinae euangelicae praestitum, iactarent, eamque, quamuis inertem ac mortuam, ad salutem tamen obtinendam sufficere, impudenter statuerent; cap. II, 17. seq. Hinc facile colligas, apostoli *scopum*, qui non fuit doctrinam de iustificatione tradere; sed ecclesiae statu ita postulante, *corrigere errores &*

vitia, quae in doctrinam & mores Christianorum irrepserant, atque inprimis hydram illam mortuae ac sterilis fidei expugnare, quae scopi obseruatio genuinam quoque rationem ostendit, Paulum ac Iacobum, veris dissensionibus numquam distractos, amice conciliandi. conf. ven. IO. HENR. MICHAELIS *introductionem historico-theologicam in Iacobi minoris epistolam catholicam*, §. VIII. XI.

IV. Ad *occasionem*, quae auctoribus librorum sacrorum ad scribendum suppeditata fuit, qua detecta, scopus plerumque simul detegitur. Ita ex occasione, quae Paulo ad scribendam epistolam ad *Romanos* submministrata fuit, quamque supra, *c. II. §. IX. p. 120.* obseruauimus, facile intelligitur, scopum diuini auctoris fuisse α) vt egregiam *Romanorum fidem*, vbique celebratam, *corroboraret*, & contra seductorum insidias communiret; β) vt re ipsa ostenderet *potentiam euangelii* in conuincendis animis, adeoque suspicionem excluderet, quasi ex metu doctiorum aduersariorum Romam adire declinaret; γ) vt imis radicibus *conuelleret dissensiones inter Iudaeos ac gentiles*, recens conuersos, obortas, dum ostendit, omnes natura in eodem corruptionis luto haerere, ex quo non nisi per vnicam iustificationis gratuitae viam emergere queant. †

V. Ad *conclusiones* intra epistolam obuias, quae ex particulis ἄρα, διὰ τοῦτο, ὥστε, τοιγαροῦν, κ. τ. λ. facile dignoscuntur; vbi tamen conclusiones praecipuae, cum argumento libri propinquiore necessitate coniunctae, segregandae sunt a conclusionibus minus principalibus, quae illis tamquam medii termini subordinantur. Sic in epistola ad *Philemonem* respiciendum est ad v. §. 17. vnde intelligitur, Pauli consi-

† Conf. quae de scopo epistolae ad Rom. pluribus diximus in *introductione nostra historico-theol. in epistolam ad Romanos.* Halae 1727. §. XVI.

consilium fuisse, vt Onesimum, tamquam seruum desertorem, domino suo reconciliaret, eumque ipsi restitueret meliorem. In epistola ad *Ephesios* conclusiones principales sunt, c. II, 11. 12. c IV, 1. 3. minus principales, c. I, 15. c. III, 13. c. IV, 17. 25. c. V, 1. 7. 15. 17. c. VI, 13. 14. vide vener. AVG. HERMANNI FRANCKII *manuductionem ad lectionem scripturae sacrae, cap. III. p. 87 88. 292.*

Addantur *auctores*, qui ex instituto librorum sacrorum scopum designauerunt; inter quos, quod ad libros V. T. attinet, eminet IO. GOTTLOB CARPZOVIVS, in *introductione ad libros canonicos* V. T. Quod ad libros N. T. AVG. HERM. FRANCKIVS in der *Anleitung zur Lesung heiliger Schrift*, qui simul vestigia, ex quibus scopus colligitur, diligenter ostendit: cui iungatur *eiusdem commentatio de scopo librorum veteris & noui testamenti.* In scopo epistolarum Pauli docendo versatur vener. IOACH. LANGIVS, in comment. *de vita & epistolis Pauli.* In libris vtriusque testamenti id praeter IO. HENR. HEIDEGGERVM, in *enchiridio biblico*, egregie praestitit SALOMO TILLIVS, in *opere analytico:* vt de MICH. WALTHERI *officina biblica*; nec non GODOFREDI HOFFMANNI, & AMBROSII WIRTHII *Einleitung zur Lesung heiliger Schrift*, nunc nihil dicamus.

§. XIV.

Quum saepe contingat, vt vnius libri plures dentur scopi; studeat interpres, eos amice inter se coniungere, ac sibi inuicem subordinare.* Neque minorem operam impendat, vt scopum cuiusque libri proprium cum communi omnium librorum sacrorum scopo connectat, quamque relationem ad

Christum eiusque regnum habeat, satagat noscitare. **

* Scopus libri *Coheleth* ex cap. XII, 13. hic esse intelligitur, vt Salomo lectores suos *ad Dei cultum ac timorem adducat*. Non minus tamen ex tota tractatione intelligitur, eum rerum & actionum humanarum *vanitatem* vbique inculcare; unde & in libri initio cap. I, 2. & in fine cap. XII, 8. alta voce exclamat: *vanitas vanitatum, & omnia vanitas!* Nimirum hanc ipsam ob caussam inanitatem & inconstantiam humanae eruditionis, pompae, deliciarum, diuitiarum &c. luculenter describit, vt lectores, ab illarum rerum amore auocatos, ad DEI, tamquam summi & constantissimi boni, amorem & cultum reuocet. Sic etiam conf. Prou. I, 2. cum c. XXII, 19.

** Scopus libri *Ruth* recte quidem in eo constituitur, quod spiritus sanctus ostendere voluerit, Deum corruptissimis etiam temporibus (incidit enim haec historia, SEB. SCHMIDIO iudice, in cap. VI, 1-6. Iudicum) sanctum habuisse semen, quod, in ipsis etiam vitae oeconomicae circumstantiis, ipsum sincere coluit. Interim hic scopus proprius cum communi totius scripturae scopo apte & sapienter connectendus est. Quam maxime enim spiritus sanctus CHRISTVM eiusque regnum hic in oculis habuit, cuius genealogiam inde a Peretso, Iudae filio, per lineam Ruthae Moabitidos, Boaso nuptae, deductam, exhibere voluit, vt hoc modo carnis Christi ex iudaico & gentili sanguine propagatio doceretur, ac gentes etiam intelligerent, se participes fore salutis Christi, quum matrem gentilem inter maiores suos numerare non fuerit dedignatus. In *actibus apostolicis* Lucas intendit demonstrare, euangelium regni, post sublationem Iesu Christi in thronum maiestatis, non solum praedicatum fuisse inter Iudaeos & gentes; sed etiam indubia fide receptum in

in nobilissimis partibus Romani imperii, Deo variis signis cooperante. Ex hoc ipso autem admirabili euangelii successu patet, *Iesum Nazarenum esse verum Messiam*, coll. Gen. XLIX, 10. Esa XLII, 1. cet. qui est scopus primarius scriptorum N. T. conf. SALOMONIS TILLII *methodum concionandi*, p. 271. 281.

§. XV.

Scopus *specialis* maiorum minorumue libri alicuius partium, nisi in oratione ipsa expressus sit, * facile perspicitur, si tota illa pericopa cum iis, quae antecedunt & sequuntur, attente legatur; occasio, adfectus, ac reliquae circumstantiae recte ponderentur, & cum scopo totius libri generali studiose conferantur. **

* Ita Christus Luc. XVIII, 1. scopum parabolae ipse indicat, continuo scilicet & indefesso studio preces esse ad Deum fundendas. Adde Deut. XXXI, 19. 21. Ezech. XLIII, 10. 11. Rom. XI, 14. Ioh. V, 34. cet.

** Obseruandum id est sacro interpreti

I. In *maioribus pericopis*. Ita si consilium Pauli in scribendo cap. XI. epistolae ad Ebraeos indagare volueris, cogita 1) *quinam sint, ad quos* Paulus haec scribit? scilicet Iudaei, ad Christum conuersi. 2) *in quo statu* fuerint? crebras sustinere cogebantur adflictiones & direptiones bonorum, cap. X, 34. 3) quae *occasio* ad haec scribenda oblata? metuenda sub his calamitatibus multorum defectio & relapsus a christianismo ad Iudaismum? cap. II, 1. 3. c. III, 8. c. VI, 4. 5. 6. c. XII, 15. 16. 4) quis *scopus* totius *epistolae?* paraeneticus, c. XIII, 22. vt scilicet infirmam Ebraeorum fidem confirmet, atque aduersus scandalum crucis & apostasiam praemu-

niat. His praecognitis 5) lege totam pericopam, inde a c. X, 35. vsque ad c. XII, 1. inclusiue, & adparebit, Paulum hic texere catalogum eorum, qui constantes manserunt in fide, *vt Ebraei tanta nube exemplorum, ex propriis suis maioribus coacta, prouocati, ad similem constantiam ac perseuerantiam sese accingerent.* Sic scopus primarius cap. IX. X. XI. ad Romanos, est *ostendere impedimenta iustificationis & salutis*, ex parte Iudaeorum, *praepostorum scilicet & mercenarium iustitiae legalis studium*, coll. cap. IX, 30. † Scopus historiae Luc. II, 1-7. est demonstrare, Iesum, Mariae filium, in sua natiuitate habuisse illos characteres, quibus prophetae Messiam agnosci voluerunt conf. PETRI ALLIX *considerationes in libros scripturae sacrae, Part. II. lib. I. cap. XIV. XV. & lib. II cap. V. VII.*

II. In *pericopis minoribus* similiter de scopo sermonis cogitandum est. Ita AVGVSTINVS, *ep. V. ad Marcellinum*, de verbis Christi, Matth. V, 39. *Si quis tibi colaphum in dextram malam impegerit, obuerte ei etiam alteram*, recte obseruat, non aliud fuisse Christi consilium, quam, *fidelium animos ad moderationem & aequitatem formare, ne, semel aut bis offensi, deficiant, vel fatigentur.* Quae dum citat IO. CONR. DANNHAVERVS, in *herm. sacr. p. 358.* addit: *Non est aequi sanique interpretis, syllabas aucupari, sed attendere ad eius, qui loquitur, consilium, qui alibi colaphos excepit, non aduersa maxilla altera.* Qui scopus sit verborum Christi, Ioh. V, 17. *pater meus hactenus operatur, & ego operor*; ex data *occasione* patet Christus enim v. 16. adcusatus, quod sabbatum violauerit, prouocat ad exemplum patris caelestis, cum quo arctissime sit coniunctus, qui sine cessatione, nulla habita ratione sabbati, in huius vniuersi conseruatione & administratione occupatus sit.

† Conf. *introd. in ep. ad Rom. p. 116.*

sit. Scopum verborum Christi, Matth. XXVIII, 20. esse consolatorium, ex *circumstantiis temporis*, discipulorumque *adfectu* quiuis colligere potest.

Inprimis studendum est, vt consilium diuinum in eiusmodi scripturae partibus & pericopis peruideamus, *quae*, si perfunctorie legantur, *nullam prorsus adferre videntur vtilitatem*, adeoque multis profanis ingeniis cauillandi occasionem praebuerunt, quemadmodum Iudaei Manassem inter alia dixisse ferunt: *Non debebat Moses scribere: & soror Lothan Thimna*, Gen. XXXVI, 22. vt ex *Sanhedrin f. 99. b. lin. 14.* refert MOSES MAIMONIDES in *more nebochim*, *part. III. c. L* qui enim ibid. *c. XXXVI. seqq.* multus est in scopo & intentione legum Mosaicarum explicanda; qua tamen in re christiani interpretes, quibus mysterium Christi perspectum est, rectiora docere possunt. Conf. de scopo & indole legum forensium CONSTANTINVS L'EMPEREVR, de *legibus Ebraeorum forensibus*. GVIL. ZEPPERVS, in *explicatione legum Mosaicarum forensium*, & IO. FRIES diss. de *fatis & rationibus legum Mosaicarum generalibus*.

§. XVI.

Scopus ille specialis non tantum in auctoribus sacris, eorumque sermone spectandus est; verum etiam in *dictis** & *factis*** *aliorum*, quae ipsi narrant. Maxime in *parabolarum* explicatione nihil prius atque antiquius esse debet, quam veri scopi constitutio, qui in singularum partium interpretatione perpetuo ante oculos habendus, nec vltra illum res extendenda est.***

* Ita scopus verborum *Labanis* Gen. XXIV, 31. ex adfectu illius viri, ad rem magis, quam par erat, attenti

attenti, ignorari non potest. *Quum* enim, secundum v. 30. *vidisset monile illud & armillas, impositas manibus sororis suae* -- dixit: *ingredere, benedicte domini, quare maneres foris?* Pari ratione scopus verborum *Rabsaces*, Esa. XXXVI, 7. *legisperiti*, Matth. VIII, 19. coll. v. 20. cet. indagandus est, si quis verba eorum recte velit interpretari.

** Quaeritur, e. c. quo consilio homo ille, a diuturno morbo restitutus, Christum Iudaeis indicauerit? Ioh. V, 15. Sunt, qui id optimo animo factum putant, vt scilicet benefactorem suum Iudaeis patefaceret, quo & ipsi in illum crederent. Sed quamuis aequitas postulet, vt facta, quae in scripturis narrantur, in peiorem partem sine graui ratione non interpretemur; hic tamen textus circumstantiae vix permittunt, vt eximium Christi amorem isti homini tribuamus. Sane SEB SCHMIDIVS, in *paraphrasi euangelii Ioannis*, vocat *hominem ingratissimum*, qui eo potius animo id fecisse videtur, vt Iudaeorum fauorem sibi conciliaret, quo sibi opus esse putabat, postquam sanitati redditus publicarum eleemosynarum beneficio exciderat. Sic operae pretium est, inuestigare, quis fuerit scopus *Christi*, facta sua celari cupientis, Matth. XII, 16. & alibi; item *Petri*, se subtrahentis, & *Pauli* ipsum castigantis, Gal. II, 11. 14. quod pulchre ostendit vir beatus PHIL. IACOBVS SPENERVS, *comm. in epist. ad Gal. p.* 150.

*** *Parabola* est *similitudo*, *seu comparatio*, *qua res aliqua vt gesta adposite fingitur & narratur*, *& ad aliam rem spiritualem adcommodatur.* Videatur GVIL. SALDENVS, in *otiis theologicis*, *lib. V. exerc. V.* & IO. GEORGIVS NEVMANNVS, in *primitiis differt. acad. diss. X.* Frequentes illas esse in V. & N. T. nemini ignotum est; quamquam in N. T. & speciatim in sermonibus Christi, frequentio-

tiores: cuius rei cauſſas SAL. GLASSIVS, *philol. ſacr. p. 485.* recenſet. Num in omnibus, quas ſapientiſſimus ſeruator protulit, parabolis, primarius ſcopus fuerit, *fata eccleſiae & vices rerum futurarum pandere*, adeoque *vaticinia* cantare, vt noſtris temporibus poſt IO. COCCEIVM, SALOMO TILLIVS, HENRICVS GROENEWEGEN, CAMPEGIVS VITRINGA, HENRICVS TEELMANNVS, IOANNES D' OVTREIN, aliique eruditiſſimi viri probare ſategerunt; nunc non diſputamus. † Legatur interim HENR. SCHARBAV obſeruatio, *de exceſſibus interpretationum propheticarum, in explicandis parabolis euangelicis*, quae exſtat in eius *parergis philologico-theologis, part. II. p. 29. ſeqq.* Iam de ſingularum parabolarum ſcopo indagando agimus, qui cognoſcitur vel ex *prologo*; vt Matth. XIX, 30. Luc. XII, 15. c. XVIII, 1. 9. vel ex *epilogo*, ſiue epiphonemate, quod parabolae ſubiicitur, vt Matth. XVIII, 35. c. XXV, 13. Luc. XII, 21. c. XIV, 11. c. XVI, 9. vel ex *occaſione & cauſſis dicendi.* Ita parabola *de diuite epulone ac Lazaro*, Luc. XVI, 19. docere Chriſtus Phariſaeos diuites & auaros, v. 14. voluit, *externarum opum adfluentiam non ſemper eſſe diuini fauoris ſignum.* Quum enim ſeruator v. 15. ſeqq. Phariſaeos legis neglectae reos egiſſet, idque v. 18. exemplo frequentiſſimorum inter ipſos repudiorum comprobaſſet; facile praeuidebat, eos ad diuitias ſuas, tamquam legis ſeruatae praemia, prouocaturos. Vnde ipſis in exemplo diuitis epulonis pingit hominem, opibus ac theſauris abundantem, ſed nihilominus Moſis ac prophetarum contemtorem, ad tartara poſt mortem praecipitatum. Sic ſcopus parabolae de *operariis in vinea*, Matth. XX, 1. ſeqq. certiſſime ex *occaſione*, quam Petrus Chriſto ſuppeditauerat, perſpicitur. Monere ſcilicet Chriſtus

† Conf. *de criteriis ſenſus myſtici p. 20. 21.*

Christus voluit, *vt qui in ecclesia, tum ratione donorum, tum operarum, inter primos habentur, modestiae studeant; ne, si insolescant propter dona, aut operibus suis confidant, inter nouissimos reiiciuntur*, vt haud infeliciter obseruauit POLYCARPVS LYSERVS, in *harmonia euang. lib. V. part. I. p m. 239.* Iste igitur scopus parabolae alicuius detectus, in eius explicatione defixis semper oculis respiciendus est, ne extra oleas vagemur.

§. XVII.

Denique *specialissimus* etiam scopus sollicite perueſtigandus est, tum in singulis facti alicuius *verbis ac phrasibus*,* tum in singulis facti alicuius *circumstantiis*,** quas sacri auctores consignauerunt: vbi adhibito iudicio spirituali cuncta cogitate ponderanda, atque occasio, adfectus, & quae alia se offerunt adminicula, in subsidium vocanda sunt.

* Merito huic studio velut fundamenti loco substernitur, *sapientissimum spiritum, qui nihil frustra agit, nihil etiam in scripturis frustra dixisse:* sed dum amanuensibus suis non rerum modo, sed & verborum conceptus suppeditauit; sapientissimas semper habuisse causas, cur inter plura synonyma, vel epitheta, aliis praeteritis, hocce selegerit? cur phrasin ita, nec aliter, formauerit? cur hoc, non alio, ordine voces collocauerit? cur haec adiecerit, illa omiserit? cet. Enimuero, finitus intellectus infiniti spiritus infinitam sapientiam numquam perfecte adsequetur; interim diligens & attentus interpres, plerumque ex adfectu dicentis, vel audientis, ex circumstantiis sermonis, ex parallelismo, ex rei natura & indole, aliisque vestigiis, satis probabiliter

liter & ipse id colligere, & aliis etiam eius rei rationem reddere potest.

Exemplum capiamus ex verbis Christi, doctoris sapientissimi, Ioh. III, 14. 15. *Quemadmodum Moses serpentem extulit in deserto, sic oportet filium hominis extolli; vt quisquis in eum crediderit, non pereat, sed vitam obtineat sempiternam.* Ex quibus sequentes formare licet quaestiones:

I. *Quo consilio Christus inter reliquos veteri oeconomiae typos serpentem aeneum selegit?* Resp. Quia Nicodemum de passionibus & morte sua, tamquam caussa meritoria regenerationis, instruere cupiebat; cui scopo vix vllum emblema aptius reperiri poterat; in quo & ipsi veteres Iudaei aliquid sublimius viderunt. conf. Sap. XVI, 7. 8.

II. *Cur Mosis expressam facit mentionem?* Resp. Quia Pharisaei, quorum sectae Nicodemus addictus erat, Ioan. III, 1. eius auctoritatem Christo opponere solebant, Ioan. V, 45. c. IX, 28. 29. vnde Christus docere voluit, Mosen & verbis & symbolis de se esse testatum, Ioan. V, 46. 47.

III. *Cur addit circumstantiam loci, in deserto?* Resp. Quia illa repraesentabat statum sterilem & corruptum populi Iudaici, tempore Messiae victuri, conf. Esa. LX, 3.

IV. *Quo consilio praenuntiat Nicodemo suam in crucem exaltationem?* Resp. Vt eius animum aduersus scandalum crucis praemuniret.

V. *Cur id non clarioribus verbis pronuntiat?* Resp. Quia id praesens auditoris infirmitas non permittebat; conf. Ioan. XVI, 12.

VI. *Cur inculcat probrosae huius exaltationis necessitatem?* Resp. Vt animus Nicodemi, ineuitabili rei necessitate audita, eo citius adquiesceret, & scopulos felicius vitaret; conf. Luc. XXIV, 26. 46.

VII.

VII. *Quo scopo se filium hominis adpellat?* Resp. Vt illam exprimeret naturam, quae passiones subire debebat; vti illam, quae passionibus infinitum addebat valorem, v. 16. commemorat.

VIII. *Cur integram salutis viam ad fidem reuocat?* Resp. Vt homini, salutis cupido, sine ambagibus vniuersi negotii nucleum ostenderet, eumque a conatu, per legis opera salutem impetrandi, auocaret.

IX. *Cur vniuersalitatis nota vtitur: omnis, qui credit?* Resp. Vt Nicodemus instrueretur, hanc salutem ad ipsos gentiles pertinere; multo magis ad Iudaeos, qualis ipse erat.

X. *Cur vtitur participio πιστεύων?* Resp. Vt indicet, fidem non esse cogitationem aliquam transitoriam, sed habitum, altis radicibus menti infixum. Esa. XXVI, 3.

XI. *Quo fine oppositionem formet, dicendo:* NON *pereat,* SED *habeat vitam aeternam?* Resp. Respicit ad luctam in animo candidatorum fidei, qui cum fluctuatione & metu pereundi ab initio conflictantur.

XII. *Cur partem oppositionis negatiuam adfirmatiuae praemisit?* Resp. Quia illud: *ah, perii! actum est de me!* primum est, quod ex pectore erumpit. Haec speciminis loco sufficiant.

** Sumamus historiam *baptismi* Christi, Matth. III, 13-17. & in scopum singularum *circumstantiarum*, quantum pote, penetrare studeamus. Quaeritur

I. *Quo consilio Christus munus suum per baptismum serius adgressus est, quam Ioannes?* Resp. Vt Ioannes prius officio suo per conciones respiscentiae defungi, tantamque sibi auctoritatem adquirere posset, vt deinde testimonium ipsius de Christo maioris momenti esset.

II. *Cur ex Galilaea ad ſacrum illud lauacrum venit?* Reſp. Vt impleret vaticinium Eſaiae cap. IX, 1. 2.

III. *Cur in Iordane ablui voluit?* Reſp. Quum baptiſmum conſtituere vellet ianuam, per quam regnum gratiae aditur; ſapientiſſimo conſilio illum fluuium elegit, qui olim Iudaeis oſtii loco in Cananitidem fuerat.

IV. *Cur Ioannem baptiſmi ſui miniſtrum eſſe voluit?* Reſp. Vt eius officium ac baptiſmum confirmaret, ſeque ipſi propius cognoſcendum praeberet, coll Ioan. I, 31.

V. *Cur Ioannes eum honorem recuſabat?* Reſp. Quia tum indignitatem ſuam, tum huius candidati ſummam maieſtatem agnoſcebat.

VI. *Cur Ioannes verbis etiam ſuam recuſationem expreſſit?* Reſp. Vt populo circumſtanti innoteſceret, Ieſum non eſſe ex grege peccatorum, qui baptiſmo poenitentiae indigeat.

VII. *Quare Ioannes mox meliora edoctus, conſentit?* Reſp. Ne per obſtinationem animi, tantae perſonae dignitatem laederet.

VIII. *Quo fine Chriſtus, aquis immerſus, illico rurſus emerſit?* Reſp. 1. Quia non opus habebat Ioannes, vt hic multas adderet exhortationes, ad vitae ſanctae ſtudium continuandum. 2. Vt IESVS teſtaretur ardorem, quo ad munus ſuum obeundum incitabatur.

IX. *Cur caeli aperti ſunt?* Reſp. Vt pateſceret, hunc hominem eſſe dominum de caelo, 1 Cor. XV, 47.

X. *Cur in baptiſmo ſpiritu ſancto denuo ungebatur?* Reſp. Vt adimpleret typum ſacerdotum V. T. qui & lotione, & vnctione ad munus ſuum conſecrabantur, Lev. VIII, 6. 12.

XI. *Cur*

XI. *Cur spiritus sanctus columbae specie descendit?* Resp. Vt & mansueta seruatoris indoles indicaretur; & veram terrae renouationem, vt olim post diluuium, adesse, significaretur, Gen. VIII, 8.

XII. *Quo scopo vox patris audiebatur?* Resp. Vt arctissimum vinculum cognationis, quae huic personae cum patre intercedit, promulgaretur.

§. XVIII.

Inprimis scopum verborum, epitheto-rum, ac phrasium singularum indagare iuuat, in *descriptionibus*, quas vates sacri de supremo Numine, eiusque maiestate, dederunt; * in *precibus* ** item, & *adlocutionibus*, siue ad Deum, siue ad alias personas directis. ***

* Esa. LIV. agitur de fecunditate ecclesiae N. T. post passiones Iesu Christi, c. LIII. descriptas; vnde Esaias, v. 5. Iehouam filium, huius ecclesiae sponsum, descripturus, cuncta, quae ipsi tribuit, nomina & epitheta sapientissime librat, & scopo suo adcommodat. Vocatur Messias 1.) *factor* ecclesiae, vt ostendat, ad hanc nouam creationem non minorem potentiam, quam ad veterem illam, requiri. 2) *maritus ipsius*; quia de multiplicatione filiorum spiritualium, quae fit in legitimo coniugio mystico, agitur, conf. Ioan. III, 29. Eph. V, 25 Apoc XXI, 9. 3) *dominus exercituum*, respectu multitudinis fidelium, ex gentibus colligendorum; conf Ier III, 19. 4) *goel*, siue *redemtor*, quia antea de miseriis ecclesiae egerat, ex quibus vindicanda erat per eiusmodi sponsum, qui proxima illam consanguinitate attingeret, eamque suo sibi sanguine emeret; Eph V, 25. 5) *sanctus Israelis*; quia a sponsa sua, Israele Dei, sanctissi-

ctiſſimo caſtiſſimoque cultu proſequendus erat. 6) *Deus totius terrae*; quatenus deſtructa idololatria, ab omnibus populis per vniuerſum orbem agnoſci colique debebat, vt verus Deus, Rom. III, 30. Vides, in tanto epithetorum cumulo ne verbulum quidem otioſe, & ſine deſtinato conſilio, eſſe collocatum. Ita enim procedendum, Eſa. I, 24. c. XLII, 5. c. XLIII, 1. 3 15. c XLIV, 6. Amos IV, 13. cet.

** Viri enim ſancti in *precibus* ſuis non promiſcue adhibent diuinae naturae epitheta, ſed ea ſapienter ſeligunt, quae ad rem praeſentem quam maxime faciunt; vid. Act. I, 24. Ioan. XVII, 11. 25. Neh. I, 5. c. IX, 6. 7. Dan. IX, 4. Pſal. VI, vbi octies nomen *Iehouae* ingeminatur. cet.

*** Ita Eſa XVIII, 2. elegantiſſima occurrit deſcriptio *Aegyptiorum*, ex attributis ſingularibus iſtius gentis contexta; cuius ſenſum & ſcopum erudite explanatum dedit doctiſſimus CAMP. VITRINGA, *comm. in Eſa. tom. I p.* 692. *ſeqq* Adde Eſa. XLI, 8. 14. c. XLVIII, 1. 2. c XLIX, 7. cet.

§. XIX.

Non minus ſollicite ſcopus circumſtantiarum omnium in *miraculis* Chriſti, * & eiusmodi hiſtoriis, in quibus *ius talionis* diuinae luculenter conſpicitur, ** rimandus ac meditandus eſt.

* Exempli loco ſit *primum Chriſti miraculum*, Ioan. II, 1. ſeq. ſecundum omnes circumſtantias adcurate deſcriptum. Quaeritur:

I. *Quo conſilio Chriſtus primum miraculum in nuptiis edere voluit?* Reſp. Vt oſtenderet, ſe ſponſum eſſe eccleſiae; Eſa. LIV, 5. iamque adeſſe conuiuium nuptiale, a caeleſti patre fidelibus N. T. paratum, Matth. XXII, 1.

II. *Cur id in Galilaea fieri voluit?* Reſp. Vt

satisfaceret vaticinio, Esa. IX, 1. quo praedictum fuerat, Galilaeam luce doctrinae ac miraculorum Messiae illustratum iri. Vnde Christus & primum, & vltimum miraculum suum in his regionibus edidit; & vtrumque quidem in aqua, Ioan. XXI, 1.

III. *Quo consilio praesentia matris commemoratur?* Resp. Vt ex matris humilitate filii maiestas tanto magis agnosceretur, & adpareret, Iesum aliquid amplius esse, quam Mariae filium.

IV. *Quo scopo discipulos huic actui interesse volebat?* Resp. Vt isti candidati, ac disciplinae suae tirones, in fide confirmarentur; coll. v. 11.

V. *Cur vini defectum non prius supplere voluit, quam manifestaretur?* Resp. Vt miraculi praestantia tanto magis in omnium oculos incurreret, neue quis aquam reliquo vino admixtam putaret.

VI. *Cur matrem, de praestando auxilio admonentem, durius compellat?* Resp. Vt testaretur 1. *diuinitatis maiestatem*, qua facultatem edendi prodigia non ex matre, sed ex patre habebat. 2. *officii dignitatem*, in quo a nemine sibi praescribi patitur. 3. *oeconomiae sibi propriae sublimitatem*, ad cuius administrationis consortium ne matrem quidem admittit. 4. *aduocatricis nullam esse necessitatem*; vt pluribus docet ABR. CALOVIVS *in bibl. illustr. ad Ioan. II*, 4. *p.* 686.

VII. *Cur horam suam, siue tempus definitum, se exspectare dicit?* Resp. Vt doceat non temere se adgredi miracula, ad preces matris, vel cognatorum, sed hora, a Deo definita; seque omnia debito tempore operari.

VIII. *Cur hydrias lapideas eligit, in quibus vinum faciat? Cur non pocula, aut vasa, antea vino impleta replere iubet?* Resp. Ne quis suspicari possit, aliquam commixtionem aquae & vini esse factam.

IX. *Quare additur, hydrias ad purificationem Iudaeo-*

Iudaeorum fuisse comparatas? Resp. Vt intelligeretur, vasa illa, vino mox implenda, numquam alii vsui fuisse destinata, quam aquae capiendae, cuius frequens apud Iudaeos vsus erat, ad purgandas manus & calices, Marc. VII, 4.

X. *Quo scopo hydriarum capacitas commemoratur?* Resp. Vt magnitudo miraculi ex copia noui vini adpareret. (Vox enim graeca μετρηταὶ respondet ebraicae בתים II. Par. IV, 5.)

XI. *Cur ministris, non discipulis, hauriendi officium iniungitur?* Resp. Vt ne minima quidem fraudis suspicio locum habere posset, vtque fide digniores haberet miraculi testes, qui probe conscii erant, se non vinum, sed aquam infudisse.

XII. *Quo consilio vinum deferre iubet curatori conuiuii?* Resp. Vt ille, tamquam vini peritus, ipse testimonium perhiberet, tum de veritate miraculi, tum de generosa vini procreati indole; quem in finem etiam honorificum eius viri de vino iudicium exhibetur, quod magnam habet auctoritatem, vt a sobrio & perito profectum. Hoc modo si inquiratur in miraculorum Iesu Christi, & aliorum etiam virorum sanctorum, circumstantias; tum demum veritas & sapientia, in illis prodita, sole clarius enitescit: qua in re inter veteres IOANNES CHRYSOSTOMVS excellit. Iungatur THEODORVS ANTONIDES, in *explicatione miraculorum Christi.*

** Sic Iud. XVI, 21. Simson 1) *oculis priuatur;* quia illos in amore duces infeliciter sequutus fuerat. v. 1. 2) *Gazae ludibrio habetur;* vbi primum amore impuro irretitus, v. 1. vnde IONATHAN, chaldaeus interpres, addit, *in loco, vbi se primum corruperat.* 3) *compedibus ligatur;* vt hoc modo vindicaretur licentia, manibus pedibusque temere concessa. 4) *ad pistrinum, tamquam mancipium, datur;* qui se mancipauerat mulieribus, effe-

minatisque cupiditatibus. Adde Iud. IX, 53. coll. v. 2. 5. 6. it. II Par. XXVI, 19. coll. Exod. XXVIII, 36. & Lev. XIII, 2. conf. beati viri, IO. HENRICI MAII *oeconomiam iudiciorum diuinorum*, & vener. IOACHIMI LANGII diss. *de poena talionis, theologice considerata, & exemplis biblicis illustrata.*

§. XX.

In toto autem hoc negotio eo adlaborandum est, vt, praetermissis inanibus coniecturis, * vbi certa scopi vestigia non comparent, eas tamen adferamus rationes, quae ad summum probabilitatis gradum pertingunt, seque auditoris conscientiae commendant; in reliquis, quae non adsequimur, nostrae tenuitatis conscii, imperuestigabilem verbi diuini sapientiam veneremur.

* Qualibus saepenumero iudaica ingenia miserandum in modum hoc in negotio indulgent. Quaeris, exempli caussa, quo consilio Deus murmura populi in deserto immissis *serpentibus* vltus fuerit? Respondetur in BAMMIDHBARRABBA: *Dixit Deus: veniet serpens, qui incepit lingua mala* (in paradiso) *& sumet vltionem ab eo, qui loquutus fuit lingua mala.* Si haec non placent, en aliam rationem, quam ex ingenio suo, inexhausto fabularum fonte, ibidem *f.* 275. *b.* producunt. *Serpens quamuis delicata quaeuis comedat, conuertuntur tamen ea in ore ipsius in puluerem. Israelitae autem comederunt Manna, quod conuersum fuit* (si traditio vera est) *in varii saporis cupedias. Ait igitur Deus: veniet serpens, qui, etsi diuersa comedat, tamen ea omnia ipsi vnius eiusdemque sunt saporis: atque vltionem sumet ab iis, qui vnam aliquam speciem comedunt, & tamen plures diuer-*

uersos percipiunt sapores. Plures naenias dabit IO. SAVBERTVS, in diss. de *serpente aeneo*, quae exstat in eius *palaestra theologico-philologica*, *p.* 328. *seqq.*

LIBRI SECVNDI
CAPVT QVINTVM
DE
INSTITVENDA CVM ANTECEDENTIBVS ET CONSEQVENTIBVS COLLATIONE.

Σύνοψις.

Connexio cum capite superiore ostenditur, §. I.

Contextus, siue *antecedentia & consequentia*, varie accipiuntur, §. II.

I. *Sensu angustiore*, §. III. vbi ad *connexionem* realem & verbalem diligenter attendendum, §. IV. & alia obseruanda sunt, §. V.

II. *Sensu latiore* §. VI. quae, quomodo definienda, §. VII. docetur.

III. *Sensu latissimo*, §. VIII. vbi subiiciuntur necessariae de conferendo contextu *obseruationes* & *cautelae*, §. IX. X.

§. I.

QVum scopus pericopae explicandae vix recte indagari possit, nisi ea, quae illam a fronte & a tergo circumstant, in consilium adhibeantur; * necessitas postulat, vt de *collatione* textus, *cum antecedentibus* & *consequentibus* rite instituenda, aliquid moneamus.

* HERMANNVS VON DER HARDT, in *elementis exeg. vniuerſ. cap. VI. p. 54. ſeq. Contextus, ſeu antecedentia, vti vocantur, & conſequentia, nihil aliud notant, quam habitudinem partium inter ſe in ipſo ſcripto: quomodo ex praecedentibus vel verba vel phraſes quaedam dependeant, indeque vim & lucem habeant; ſimiliter cum ſequentibus ita cohaereant, vt & illis multum lucis debeant. Series autem & vinculum verborum eſt ſeries rerum, earumque inter ſe habitudo. Verba enim ſunt ſigna rerum, quas animo voluit ſcriptor. Contextum ergo qui attendit, rem ſubſtratam conſiderat, quomodo illa comparata, & quomodo illius partes, ab auctore deſ[illegible]tae, ſint connexae. Porro contextus, ſeu rerum ordo atque ſeries, iunctum habet* SCOPVM *atque conſilium auctoris. Non enim res nuda, ſed ex ſcopo & intentione ſcriptoris aeſtimanda atque ponderanda. Videndum igitur in orationis contextu, quomodo conſilium illud ſnum ſcriptor per totam orationem ſuam diffuderit atque diſſeminauerit. Nam ab illo pendet totius orationis habitus.*

§. II.

Illa vero antecedentia & conſequentia plus minusue ſub ſe comprehendunt, prout vel *anguſtius*, vel *latius*, vel *latiſſime*, accipiuntur & extenduntur.

§. III.

Senſu *anguſtiore* ad contextum pertinent commata, quae textum proxime ambiunt & circumſtant, quaeque arctiori vinculo ita cum eo cohaerent, vt ſine illis plenum dicti ſenſum adſequi haud valeamus. *

* Ita qui *Col. I*, 5. explicare velit, is, contextum conſulturus, neceſſario a verſu 3. incipere, & vsque ad v. 8. lectionem continuare debet; alioqui enim ſenſus commatis quinti mutilus relinquitur. *Col.*

Col. II, 11. interpretaturo, proximi contextus loco legenda sunt, quae Paulus inde a v. 8-15. disserit. Facile tamen quisque intelligit, in textu libri, vel materiae *initiali* cessare antecedentia, strictius accepta, vt Ebr. I, 1. 1 Cor VIII, 1. Rom. IX, 1. in textu libri, vel materiae *finali* cessare consequentia, vt Matth. XXVIII, 20. Rom. XI, 36. cet.

§. IV.

In hac vero collatione diligentissime attendendum est, in libris maxime dogmaticis, * ad vincula *particularum*, quibus portio illa textus authentici, ** quam explicandam adgredimur, cum reliquo orationis corpore connectitur. ***

* In libris *historicis* facilior est contextus consideratio; in *paraeneticis* fere superflua, quum monita ista separata nullis plerumque vinculis inter se combinentur; in *dogmaticis* vero eo magis necessaria, maxime in epistolis PAVLI, qui ordinis & connexionis est obseruantissimus, ab ipso, quo praeditus erat, temperamento cholerico ita formatus, vt pluribus ostendit FRIDERICVS QVIRINVS GREGORIVS, de *temperamentis scriptorum noui testamenti, diss. I. §. XXIV.* Vt proinde mirandum sit, quomodo doctissimus IO. LOCKIVS neglectum ordinis ac methodi ipsi imputare potuerit, in *prolegomenis paraphrasium ac notarum in epistolas Pauli ad Galatas, Corinthios, Ephesios*, quod scriptum IO. CLERICVS recenset, in *biblioth. select. tom. XIII. num. II. p.* 41. vbi vir doctus, ex interpretatione CLERICI, ita de Paulo loquitur: *Il ne pouvoit pas demeurer dans un état de calme, qui lui donnat moyen d' observer l' ordre & la methode, d' ou nait la clarté du discours.* Rectius MATTHIAS FLACIVS, *clau. script. part. II. p.* 508. *Videmus mirabili arti-*

ficio compactum & connexum esse sermonem Paulinum: vt in quo non tantum constructio grammatica membra eius inter se connectat ac conglutinet; sed etiam rerum ipsarum naturalis connexio ac societas, ex sese inuicem pendens aut cohaerens, exsistat. Et ipsa sane inspectio docet, singulos fere versus suis vinculis ac particulis connectendi esse instructos; secus ac in stilo *Ioannis*, qui *aphoristicus* est, ita vt ponantur sententiae primariae, eaeque deinceps plenius declarentur, ac illustrentur, & pro ratione vrgentis adfectus, nouis cum momentis subinde repetitae, instillentur; vt obseruat ven. IOACHIMVS LANGIVS, in *commentatione de vita & epistolis Pauli. p.* 304.

** Non raro enim contingit, vt *in versionibus*, vel particulae connectentes prorsus *omittantur*, vt τὸ γὰρ in versione beati LVTHERI, Matth. XX, 1. Ioh. III, 16. Act. IX, 16. vel *non recte transferantur*, vt ibidem I. Tim. III, 2. οὖν, per *aber*, Marc. IX, 31. γὰρ, per *aber*. Act. IV, 12. γὰρ per *auch*. cet.

*** Connexio est vel *realis*, siue logica; vel *verbalis*, siue grammatica. In considerandа *reali* connexione perpenditur, quam relationem pericopa explicanda ad antecedentia habeat, vtrum occurrat tamquam noua propositio, an propositioni subordinetur, tamquam medius terminus, aut conclusio, aut argumentum commouens, illustrans, explicans; an vero comprehendat occupationem obiectionis, qua praeiudicium aliquod, veritati oppositum, remoueri debuit. Sic I. Pet. I, 10. infertur ex antecedentibus *conclusio* paedeutica ad vocationis & electionis confirmationem, bonorum operum studio promouendam. *Versu* 11. haec adhortatio *argumento* roboratur, quod desumitur a vocationis & electionis fine, certo scilicet ingressu in vitam aeternam. *Versu* 12. noua inde *conclusio* deriuatur, qua Petrus significat, se officio suo in christianis

exci-

excitandis non defuturum, quum excitatio illa tantae sit vtilitatis, vt ipsorum introitum in regnum gloriae promoueat. cet. Haec connexio realis locum etiam habet, vbi nullae comparent connexionis particulae, vt Matth. V, 3. 4. *Tristitia* enim illa salutaris v. 4. cum *paupertatis* spiritualis agnitione ac sensu v. 3. tamquam fructus cum arbore, tamquam effectus cum causa sua, cohaeret; licet duo ista commata nullo particularum glutine copulentur. Variat vero cohaerentiae modus pro argumenti varietate. In argumento *historico & prophetico* in cohaerentia potissimum notatur successio & vicissitudo rerum interposita; nonnumquam etiam lucta, vt teneamus, quaenam impedimenta fuerint superata, vel in prophetiis superanda, antequam consilium Dei ad effectum fuerit perductum. *Dialogi* quum absoluantur interrogationibus & responsionibus, vel narrationibus & narrationum interlocutionibus, praecipue exigitur ab interprete, vt obseruet, quomodo responsio interrogationibus satisfaciat, & desiderium inquirentis adimpleat. Argumentum *doctrinale* exhibet sermonem instructum ratiociniis, & omnis generis mediis, ad finem consequendum aptis, siue discutiat veritatem credendam, siue proponat officium curandum, siue etiam laboret de animo, in tentationibus nutante, confirmando. In quibus omnibus connexiones *illatiuae* & *cauſſales* potissimum respiciendae sunt; conf. SAL. TILLII *methodus concionandi, part. I. cap. III. §. V. p. 17. seq. & c. VI. p. 108.* Non contemnendum specimen connexionis logicae demonstratae dedit AVG. VARENIVS, in succincta *analysi & exegesi epistolae ad Romanos.* Adde infra dicenda c. VII. §. XXIV. *p.* 309.

In connexione *verbali* sollertissime attendendum est ad *particulas*, connexionis realis indices ac

testes. Quod enim nerui ac tendines sunt in corpore humano; id ipsum particulae sunt in oratione. Illis membrum membro; his dictum dicto adligatur; vt eleganter ait FRANCISCVS IVLIVS LVTKENS, theologus δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς, in *comment. posthumo ad cap.* VIII. *epistolae ad Romanos, p.* 55. Vnde haud postrema pars est prudentiae exegeticae, particulas connectentes, a quibus saepe genuinus sensus integri dicti pendet, recte obseruare; quod in commentariis suis SEB. SCHMIDIVS tanta cura facit, vt ad excessum nonnumquam accedere videatur. Ad *tria* autem potissimum officia redit, quidquid ea in re interpreti obseruandum est:

I. *Vt particulis praesentibus genuinam significationem*, quam συνάφεια realis, & rerum indoles requirit: *tribuat. Ea enim est particularum natura, vt ipsarum significationes ex illorum ratione, quae vel praecedunt, vel subsequuntur, potissimum eluceant; ita vt opus sit vsu, nec minore iudicio, quo, considerata tota sententia, eruantur illae, quae vnicuique in vnoquoque loco, pro ratione dispositionis & consequutionis, conueniunt adprime*, vt recte iudicat THOMAS CRENIVS, in *animaduers. philolog. & histor. part.* IV. *p.* 157. Tanto autem hic labor difficilior est in textu *ebraeo*, quanto plures significationes vna saepe particula, ob earum in hac lingua raritatem, sustinere cogitur. Ita ו ebraeorum omnem fere cohaerentiam ambitu suo complectitur, ac proinde *vicarius omnium particularum connectentium* dici potest. Vnde adhibito iudicio logico duae istae enunciationes, quas coniungit, inter se conferendae sunt, vt pateſcat, quam mutuam inter se habeant relationem. Sic Esa. III, 7. *non possum obligare* vulnus reipublicae, ו *in domo mea nec panis, nec vestis est*: facile adparet, posteriori membro *rationem* reddi prioris, vnde per ETENIM vertendum est. At

Gen.

Gen. I, 26. *consequutionem* denotat; VT dominentur. Iob. V, 7. *comparationem:* homo ad aerumnam nascitur, SICVT filii prunae in altum volant. Gen. XLIX, 25. *relationem:* a Deo patris tui, QVI opitulabitur tibi. Gen. XXIX, 15. *illationem:* an quia frater meus es, IDEO seruies mihi gratis? cetera vid. celeb. IO. ANDR. DANZII *interpres*, §. CXLIX. *p.* 188. IO. COCCEII *lexicon. ebr.* sub initium literae ר, & ROB. BOYLE, *de stilo scripturae sacrae*, p. 93. 94. Similiter particula כִּי ordinarie habet vim *causalem* & post antegressam negationem, *adversatiuam;* sed nonnumquam etiam per *si, ideo, profecto, fortassis, vtrum, quando, postquam, quamuis*, vertendum, etiamsi nonnulla loca, quae pro postrema significatione adduci solent, vt Gen. VIII, 21. dubio non careant. Eadem particula nunc rationem *rei*, nunc *dicti* reddit, vt Exod. XIII, 17. Ier. II, 28. Hab. III, 16. cet. conf. CHRISTIANI KOERBERI *lexicon particularum ebraearum:* neque contemnendum vsum CHRISTIANI NOLDII *concordantiae particularum ebr. & chald.* hic praestarent, nisi auctor in multiplicandis sine caussa particularum significationibus luxuriaretur. Addatur rev. IO. CHRIST. WOLFII *historia lexic. ebr.* *p.* 144. In *textu N. T. graeco* haec res minus impedita est, quum graeca lingua pluribus particulis abundet, de quibus exstat MATTHIAE DEVARII *de graecae linguae particulis liber singularis.* Interim & hic attentione opus est, vt vim, quam vbique in connectendo, pro materiae substratae ratione, postulant, ipsis adsignemus. Ita Rom. VII, 17. particulae νυνὶ δὲ non inseruiunt conclusioni, vt beati LVTHERI versio suadere videtur, sed oppositioni; dum pristinum ac praesentem Pauli statum disterminant; vt cap. VI, 22. Inprimis particulae *conclusiuae*, διὸ, διὰ τοῦτο, τοιγαροῦν, ὥστε, ἄρα κ. τ. λ. & *caussa-*

les

les ὅτι, γὰρ κ. τ. λ. haud fugitiuo oculo transmittendae sunt; de quibus conf. SAL. GLASSII *philol. sacr. p.* 1131 *seqq.* PHIL. ZEISOLDI *logicam sacr. part. III. p.* 1-889.

II. *Vt delitescentes eruat*, atque ex latibulis *participiorum & infinitiuorum* in lucem producat. Rom. III, 23. ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ θεοῦ. v. 24. δικαιούμενοι, quod participium ab ERASMO SCHMIDIO redditur, VT QVI *iustificantur*; a SYRO interprete & beato LVTHERO resoluitur per, ET *iustificantur*, quod & SEB. SCHMIDIO ad h. l. placet. Neque peccaret, qui particulam temporis adiiceret: *destituti sunt omni gloria*, DVM vel QVANDO *iustificantur*, qua versione eo magis omnis influxus operum ac meritorum ab actu iustificationis remouetur. Adde Ebr. IV, 13. c. X, 19. c. XII, 15. Eph. IV, 22.

III. *Vt absentes*, prout argumentum & contextus iubet, *dextre suppleat*. Sic verba Hos. IV, 18. סר סבאם הזנו *recessit potus eorum, scortando scortantur*, particulis suis instructa, hunc sensum fundunt: ETIAMSI ENIM *recesserit potus illorum*, h. e. etiamsi nonnumquam, excussa crapula idololatrica, ad sobriam ac saniorem mentem redituri videantur; (vt temporibus Eliae. I. Reg. XVIII, 39.) TAMEN *mox deterius scortantur*, a regibus & principibus suis ad idololatriam retracti. Sic I. Ioh. I, 6. suppleri potest: *Proinde* si dixerimus cet. Ex hypothesi enim, Deum esse lucem, v. 5. nunc porro infert, ambulationem in tenebris consistere non posse cum eius communione. Versu 9. Si *vero* confiteamur peccata. cet. Peccatorum enim negationi v. 8. hic opponitur eorumdem confessio. Inprimis particulae *comparationis* saepe deesse obseruantur, vt Ier. XVII, 11. Sicut *gallinago colligit* (oua) *quae tamen non peperit*: sic est, *qui per nefas sibi diuitias comparauit*.

it. Prou.

it. Prou. XXV, 11. 14. 18. c. XXVI, 23. & saepius in libro prouerbiorum.

§. V.

Ista vero connexio non cum partibus remotioribus instituenda est, vbi cum propinquioribus apte fieri potest: * neque statim dicendum est, auctorem & alia dilabi, quamdiu adsunt clara vestigia, quae filum orationis continuari ostendunt. **

* Ita sunt, qui Rom. V, 18. cum v. 12. tamquam *protasin* cum *apodosi* connectunt, hoc modo: *Propterea*, QVEMADMODVM *per vnum hominem peccatum in mundum intrauit* --- v. 18. *Quemadmodum*, inquam, *vnius delicto factum est, vt omnes homines damnarentur;* SIC ETIAM *vnius iustitia fit, vt omnes homines absoluantur, atque viuant.* Sed rectius acutissimus interpres, SEB. SCHMIDIVS *ad h. l. p.* 386. obseruat, istud hyperbaton nimis durum esse, nec necessarium, quum versus 12 suo ambitu & protasin & apodosin complectatur, hoc modo: QVEMADMODVM *per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors:* SIC *etiam eadem ratione ad omnes homines mors pertransiit.* Ita deinde v. 18. cum proxime praecedenti arctiori coniugio copulatur. Aliter se res habet post antegressas longiores *parentheses*, Paulo inprimis familiares. Sic Eph. III comma *decimum quartum* omnino cum *primo* connectendum est, intermediis versibus *parentheſi* inclusis.

** Ita Paulus laudato loco epistolae ad Romanos c. V, 12. minime extra oleas vagatur, aut otiosam digressionem instituit de comparatione Adami primi & secundi; sed materiam, priore capitis parte tractatam, continuat, teste particula διὰ τοῦτο. *Propterea*, quia scilicet ex iustitia fidei adeo praeclari

clari fructus naſcuntur, (quos v. 1-11. recenſuit) efficitur, meritum Chriſti multo efficacius eſſe primi parentis demerito; quod inſtituta inter vtrumque Adamum ſpirituali συγκρίσει vlterius oſtendit. Ita Eſa. LII, 13. non abrumpitur praecedens ſermo, ſed continuatur. Quum enim antea vates loquutus eſſet de ſucceſſu regni Dei inter gentes, per apoſtolos, ex impurorum Iudaeorum communione egreſſos, fundandi; iam DEVM patrem introducit loquentem, qui baſin & fundamentum magni illius operis oſtendit eſſe *obedientiam Meſſiae*, ac ſequuturam tolerata opprobria exaltationem.

Non raro in ſermonibus virorum ſacrorum accidit, vt relicto argumento, de quo verba facere coeperant, ad alia dilabi videantur, dum interim *dubium* aliquod, quod *ex antecedentibus* in animis lectorum ſubnaſci poſſit, praeoccupant, quo ſoluto, ad proſequendam coeptam materiam reuertuntur. Sic Eſa. XLIX, 24. propheta, poſtquam magna cecinerat de conuerſione ac vocatione gentium idololatricarum, ipſorumque etiam ſummorum principum ad regnum ac fidem Chriſti, videbat, ſpiritu ſancto admonitus, in animis fidelium *dubium* oriri, *ex ingenti poteſtate ſatanae*, qui hactenus gentes mundi in tenebris ignorantiae & ſuperſtitionis captiuas detinuerat, praedam tamdiu poſſeſſam nullo modo dimiſſurus. Quod proinde dubium Eſaias reſoluit, ac docet, omnino futurum eſſe, vt ſatanas arce ſua expellatur, & aduerſarii eccleſiae mutuis caedibus intereant. Similia obſeruare licet Eſa. XLV, 8. 9. c. LXVI, 1. 2. Ier. VI, 10. 20. c. XVII, 5. 10. 11. De *Paulo* idem obſeruauit IO. LOCKIVS, in *eſſai pour entendre ſaint Paul*, apud IO. CLERICVM, in *biblioth. ſelect. tom. XIII. p.* 41. eum ſcilicet in media ſaepe ratiocinatione interrumpere ſermonem, vt perſequatur aliam meditationem,

nem, aut obiectionem, ex propriis eius verbis enatam, de qua si dicenda dixerit, ad prius argumentum soleat reuerti. Vide Phil. I, 26. coll. c. II, 17. it. I. Tim. I, 3. 18. Inprimis in verbis CHRISTI id obseruandum est, qui spiritu omniscientiae praeditus, *ad tacitas saepe auditorum cogitationes respondet*, nondum verbis proditas & expressas. Sic Luc. VI, 39. praeoccupat obiectionem populi, Iesum esse doctorem nimis rigidum, qui omnia ad viuum resecta velit; se a suis doctoribus multo aliter esse instructos. Vnde haec verba cum antecedentibus ita connectit IO. CLERICVS, in paraphrasi, *harmoniae suae euangelistarum* subiuncta, *c. XXIII. p.* 122. *Cauete ne sequamini hominum, errori obnoxiorum, praecepta; sed videte, quid iusserit olim per prophetas, & quid nunc per me praecipiat Deus. Alioqui idem vobis, homines* (& laxos doctores vestros) *sequentibus, continget, quod contingeret caeco, alium caecum ducem sequenti.* cet. Adde, quae idem vir doctus in subiecta operi *dissert. II.* monet de responsis Christi ad tacitam potius cogitationem, quam ad verba, ab euangelistis expressa, spectantibus, *canone IV. p.* 520. nec non, quae supra a nobis monita sunt, *lib. I. cap. II. §. X. p.* 39.

§. VI.

Si paullo *latius* sacri contextus limites extendantur: initium *antecedentium* inde ducitur, vbi totius sermonis aut argumenti initium habetur; *consequentia* autem vsque ad eiusdem sermonis aut argumenti finem decurrunt. *

* Si e. c. locus 1 Cor. IX, 22. explicandus sit: *Quibusuis quiduis fui, vt omnino aliquos seruarem:*

rem: tum ad contextum, sensu latiore acceptum, integra tria capita, VII. IX. X pertinent, in quibus argumentum de vsu & abusu christianae libertatis in rebus mediae naturae pertractatur.

§. VII.

Haec vt facilius inueniantur, in cursoria bibliorum lectione * attente obseruandum est, vbi noua materia incipiat, vbi desinat; ** quodnam sit cuiusque sensi principale argumentum, quaeque momenta potiora illo contineantur. ***

* *Cursoria lectio* est illa sacrarum litterarum tractatio, qua omnes V. & N. T. libros cursim quidem, sed cum cura tamen, perlegimus, & quidem eum in finem, vt breui tempore historicam simplicemque rerum & verborum notitiam nobis comparemus, & hoc pacto ad futuram adcuratiorem, nec non pleniorem vberioremque rerum diuinarum cognitionem praeparemur: qualis lectio magnum vsum in studio exegetico habet. conf. IO. TRIBBECHO. VII diss. Ienae habita, de *lectione fontium cursoria.*

** Iam dudum scilicet monuit WOLFG. FRANZIVS, de *modo legendi scripturas*, *p.* 5. tot vna vice legenda esse capita, quot de vna materia congruere conspexerimus, vt hac ratione vnius historiae integrae integram cohaerentiam, & hinc factorum ac dictorum consequentiam causas, ex antecedentibus contextibus ipsis, citra interpretis aut commentatoris admonitionem, odorari, videre, palpare, & demonstrare paullatim aliis perdiscamus. Sic & IO. GVIL. BAIERVS in *compend. theol. exeg. p.* 16. *Lectiones*, inquit, *dispescantur, non tam pro aequali numero capitum, quam quoad inte-*

integras periodos, aut partes librorum, ne diuellantur, quae rectius coniungi debent. Ita in legendo MATTHAEO *duo capita priora* cohaerent, quibus historia vitae Christi priuatae traditur; *tertium* & *quartum* agit de initiis vitae publicae, & muneris prophetici; *quintum, sextum* & *septimum*, specimen muneris prophetici, concionem Christi montanam, exhibet; & sic porro.

*** Sic *tria priora Geneseos capita* sistunt *origines rerum omnium, inprimis ecclesiae.* Momenta specialiora sunt:

I. *Creatio totius vniuersi*, secundum dies descripta. cap. I, 1-25.

II. *Creatio hominis ad imaginem* DEI, v. 26. seqq. quae singularem requirit attentionem.

III. *Sanctificatio diei septimae*, in creationis memoriam, cap. II, 1-3.

IV. *Status paradisiacus*, v. 4-15.

V. *Interdictum de esu arboris*, v. 16. 17.

VI. *Specialis descriptio creationis mulieris*, v. 18-21.

VII. *Institutio matrimonii*, v 22. fin.

VIII. *Narratio lapsus*, cap. III, 1. seqq.

IX. *Datum contra culpam & poenam remedium*, v. 15-22.

X. *Eiectio hominis ex paradiso*, v. 23. 24.

Magnum esse huius rei vsum, quiuis facile videt. Quodsi enim ex eiusmodi penso dictum aliquod explicandum sit, statim adparet, quousque antecedentia & consequentia extendantur. Quae enim ad idem momentum speciale pertinent, ea exhibent contextum in sensu *angustiore*. Integrum vero pensum praestat contextum in sensu *latiore*. Tanto autem maior erit vtilitas, quanto adcuratius ista momentorum specialium obseruatio *scopo* auctoris subordinatur. Sic 1 Sam. IX. describitur *Sauli ad*

regnum vocatio, vbi occurrit I. *Descriptio personae* vocandae, v. 1. 2. II. Admiranda eius *ad Samuelem deductio*, vbi 1) *accessus ansa* & occasio, v. 3-10. 2) *accessus ipse*, v. 11-16. III. Singularis eiusdem *a Samuele exceptio*, 1) *ante* conuiuium, v. 17-21. 2) *in* conuiuio, v. 22. 23. 24. 3) *post* conuiuium, v. 25. 26. 27. Idem in libris dogmaticis obseruandum.

§. VIII.

Denique si *sensu latissimo* amplissimoque antecedentia & consequentia accipiantur, ad contextum referendus est integer liber; * immo quaecumque ad materiae illius pleniorem cognitionem, tum in antecedentibus, tum in consequentibus systematis biblici libris passim habentur: ** quod inprimis in interpretandis prophetarum vaticiniis obseruandum est. ***

* Ita si locus Eph. IV, 1. explicandus sit: *Exhortor ergo vos, ego propter dominum vinctus, vt vos geratis, prout dignum est ista conditione, ad quam vocati estis*: tum ad contextum latissime acceptum *integra epistola* referenda est. Habetur enim hoc commate *conclusio principalis*, quae ex antegressis capitibus deducitur; in sequentibus confirmatur, adque specialem cuiusuis vocationem adplicatur. Ita quum Esaias cap. LIII. ex instituto *de statu humilitatis* Messiae agere incipiat, docte obseruat doctissimus CAMP. VITRINGA, *comm. in Esa. tomo* II. *p.* 768. vatem iam superioribus concionibus passim aliqua interspersisse de probris & adflictionibus Messiae, eius gloriam praecessuris, quibus sibi aditum ad hanc tractationem parauerit, eique quasi praeluserit, vt c. VI, 3. seqq. c. VIII, 14. seqq. c. XXIX,

c. XXIX, 10. c. XLII, 1. seqq. c. XLIX, 7. c. L, 6. 7. Sic. WOLFG. FRANZIVS, diligentissimus scripturae tractator, *de interpr. p. 49. Nonnumquam propter vnum versiculum debet totum illud integrum scriptum, in quo difficilis locus continetur, a capite ad calcem perlegi.* Et *p. 51. Illud vsu mihi venit, in omnibus etiam prolixis prophetis, in quibus legendo plurimum profeci, & multorum locorum natiuam sententiam facillime impetraui, quando & eadem capita saepius, & ipsum integrum prophetam saepius a primo ad vltimum vsque caput euolui. Multoties enim scriptura clarioribus & specialioribus verbis dicit in sequenti aliquo loco, quod quasi inuolutum & obscurius profert in antecedenti capite.*

** Quum Zach. V, 5-11. describitur *impietas, ecclesiam N. T. inuasura*, & in *Sinear*, h. e. Babylone mystica, sedem stabilitura suam; ad *antecedentia* in sensu latissimo pertinet, quidquid inde a Genes. XI, vbi aedificatio turris in terra Sinear describitur, per omnem tractum vaticiniorum; quae ante captiuitatem Babylonicam edita sunt, de Babylone legitur; *consequentia* autem vsque ad finem Apocalypseos excurrunt, quae clauis est prophetiarum, de Babylone vmquam fusarum. Isto sensu latissimo WOLFG. FRANZIVS hoc adminiculum exegeticum accipit; vt adparet ex *praef.* tract. *de interpretatione, pag. 7. & 50. Non intra vnum versum concludi sese semper patitur illud, quod voco contextum; verum quandoque pro natiua acceptione vnius vocabuli inuestiganda, nedum pro sensu integri oraculi capiendo, consideratio illa sese extendere necessum habet ad aliquot versus antecedentes & consequentes, ad aliquot capita antecedentia & consequentia, immo* AD ALIOS LIBROS BIBLICOS, *vbi vel similia textus & similia dogmata exstant.* Ita nimirum FRANZIVS, ad pauciora capita methodum interpretandi reducturus;

parallelismum etiam scripturae sub hoc adminiculo comprehendit: de quo tamen nos peculiari opera, *capite IX*, deinceps pluribus agemus.

*** In his enim haec collatio antecedentium & consequentium eo extendenda est, vt *vaticinia* etiam *antegressa*, & quae *deinceps* de eodem argumento sequuta sunt, in subsidium vocentur, & cum eo, in cuius interpretatione versamur, curiose conferantur, vt hoc modo *gradus lucis* propheticae iucundius obseruentur. e c. Esa. VII, 14. *Ecce virgo grauida est, ac parit filium.* Hic ad *antecedentia* pertinent omnia illa diuinae sapientiae praeludia, quibus DEVS ad manifestationem huius arcani inde a rerum primordiis viam quasi parauit, vt Gen. III, 15. vbi Messias dicitur *semen mulieris*. Porro *extraordinariae* illae *generationes* in familia maiorum Christi, quando mulieres diu steriles, atque ob aetatem ad pariendum ineptae, filios ediderunt. Deinde *leges Mosis de statu virginitatis*, quibus Deus efficere voluit, vt natiuitas Messiae ex virgine certis criteriis agnosci ac demonstrari possit; vt erudite obseruat PETRVS ALLIX, in *vernünftigen Betrachtungen über die Bücher Mosis, c. XX. p. 337.* Ad *consequentia* referre licet Ier. XXXI, 22. *Creabit Iehoua nouum in terra, femina*, a viro non cognita, *circumdabit*, ac vtero concluſum gestabit *virum*; quo & NICOLAVS GVRTLERVS, in *systemate theologiae propheticae, p. 375.* refert verba Aguris, Prou. XXX, 19. quibus se non adsequi posse dicit *viam viri in virgine*, siue conceptionem Messiae in vtero virginis: cuius viri docti labor, modo laudatus, cum C. VITRINGA *typo doctrinae propheticae*, hoc in negotio cum fructu, sed & cum iudicio, adhiberi potest. Conferantur, quae diximus supra, cap. IV. §. VIII. p. 163.

§. IX.

§. IX.

Ceterum ex contextu, maxime propinquo, non ſolum de ſenſu totius dicti, ſed etiam de ſingularum vocum ac phraſium ſignificatione iudicium prudenter ferendum eſt: * neque vlla eſt admittenda explicatio, cui orationis ſeries ac cohaerentia contradicat. ** Non enim decet interpretem, de ſenſu verborum aliquid temere pronuntiare, nondum inſpectis eis, quae antecedunt, aut ſequuntur; * multo minus mutilare dicta, & extra ſuum contextum rapere. **

* Per *Leuiathanem*, Iob. XL, 25. non intelligendum eſſe cetum, multo minus, vt multi patres fecerunt, diabolum, ſed *crocodilum*; integer contextus docet, in quo occurrunt praedicata, quae in cetum minime quadrant, vt c. XL, 26. c. XLI, 6. 13. cet. vt pluribus docet SAMVEL BOCHARTVS, in *hierozoico*, variae eruditionis theſauro, *part. II. p. 770. ſeqq.* & IOBVS LVDOLFVS, in *comment. hiſtoriae aethiopicae*, *pag. 159 ſeqq.* Ita Chriſtum potuiſſe in patria nulla miracula edere, Marc. VI, 5. mirari deſinet, qui integrum contextum legerit, v. 1-6. ex quo patet, Nazarenos incredulos, prae contemtu ſeruatoris, quem noſſent humili loco natum, nulla humana illuſtrium magiſtrorum manuductione ad litterarum ſtudia formatum, v. 3. non facturos ſeſe operae pretium exiſtimaſſe, ſi ad eum, vt magno ab aliis ambitu factum, aegrotos ſuos deportarent. Qui proinde *occaſione deſtitutus*, contemtus atque repudiatus a plerisque, multa miracula facere non potuit (οὐκ ἠδύνατο) paucis tantum,

quos ipsi fors obtulit, manuum facta impositione, sanitati restitutis. Ita anceps & obscurum dubium face antecedentium dextre illustrauit vir magnus, GODOFREDVS OLEARIVS, in *obseru. ad Matthaeum*, *pag.* 427. Ita per *opus Dei*, Ier. XLVIII, 10. non quamlibet vocationem ad certum vitae genus intelligi, sed *opus vindictae*, in Moabitis exercendae, antecedentia & sequentia docent. Phil. I, 23. ἀναλῦσαι esse verbum nauticum, *soluere*, e litore *discedere*, vel etiam ex diuersorio; sequentia definiunt, vbi v. 24. opponitur *mansioni* in carne. Verba Gal. II, 16. *Scientes, quod non iustificetur homo ex operibus legis*, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως, nonnulli ex sectae suae hypothesi verti volunt, NISI *adsit fides in Christum*, qua praesente, hominem per opera omnino iustificari putant; vt illa particula occurrit Act. VIII, 31. Sed, quod h. l. habeat significationem exclusiuam: *non ex operibus*, SED per *solam* fidem, vt Matth. XII, 4. XXIV, 36. Apoc. IX, 4. sequentia clarissime euincunt. Statim enim subiicitur: *nos quoque in Christum credimus, vt iusti fiamus fide in Christum*, & NON OPERIBVS LEGIS, *quoniam legis operibus mortalium* NEMO *iustificatur*; vt pluribus solide, pro more suo, demonstrat theologus grauissimus, FRANC. IVLIVS LVTKENS, in *colleg. bibl. p.* 525.

** Ita Iudaei per צפוני *occultum*, quem dominus ablaturus sit, Ioel II, 20. absurde intelligunt *peccatum originale*, quatenus se per *inuidiam* & *odium* manifestat, a futuro redemtore abolendum, in *sepher lekach tobh*, *p. m.* 56. quum hic sententiae aperte refragentur consequentia: *Depellam illum in terram siticulosam & desolatam; primum agmen eius in mare orientale, & postremum in mare posterius, adeo vt adscendat foetor eius &c.* Haec equidem in agmina locustarum quadrant, minime vero in peccatum

tum originale. Eo etiam haud immerito retuleris, quum verba Esaiae, c. XIV, 12. *Quomodo decidisti de caelo, lucifer, fili aurorae?* tanto consensu a veteribus, inde a tempore TERTVLLIANI, ad *lapsum diaboli* transferuntur, cui proinde ex populari errore *luciferi* nomen adhaesit; integro contextu reclamante, qui principem Babylonium, in sublimi positum dignitatis fastigio, deiiciendum praedicit.

* Recte enim HILARIVS, *lib. IX. de trin. p.* 160. *Dictorum*, inquit, *intelligentia aut ex praepositis, aut ex consequentibus exspectetur;* & AVGVSTINVS, *de doctr. christ. lib. III. cap. II. Textus sermonis a praecedentibus & consequentibus partibus, quae ambiguitatem illam in medio posuerunt, consulendus est, vt videamus, cuinam sententiae de pluribus, quae se ostendunt, ferat suffragium, eamque sibi contexi patiatur.* Neque desunt inter *veteres*, qui hoc monitum obseruarunt. Sic ATHANASIVS *orat. II. contra Arianos: Perlegite* τὴν ἀκολουθίαν τῶν ῥημάτων, *ipsam consequentiam verborum, & videbitis ad filium pertinere, quod innuitur.* Sic HIERONYMVS, *quaest. IX. ad Hedibiam, tom. IV. part. I. p.* 183. vbi locum Pauli 2 *Cor.* II, 15. interpretatur: *Totum loci huius capitulum proponamus, vt ex praecedentibus & sequentibus possint intelligi media, quae ex vtroque contexta sunt.* Inter *recentiores* praeter alios commendari rursus meretur WOLFGANGI FRANZII exemplum, qui in *argumento* tractatus *de interpretatione, p.* 4. *Vere*, inquit, *illud adfirmo, me in praelectionibus & in excusis disputationibus ne vnum quidem vnquam allegasse, ex tanto numero, scripturae dictum, cuius sedem, & cum proxime antecedentibus & consequentibus testimoniis connexionem, non de nouo ante collectionem & conscriptionem inspexerim, probauerimque.* Digna theologo diligentia!

** Hoc modo enim nulla tam impia hypotheſis eſt, quae non ex verbis quibusdam ſcripturae, extra contextum ſuum raptis, ſaepe etiam ex illis ipſis locis, vbi illa perſtringitur ac refutatur, comprobari poſſit. Ita homo impius, qui Deum exſiſtere negat, prouocat ad verba Dauidis, tamquam ſuo dogmati patrocinantis, Pſal. XIV, 1. אין אלהים *non eſt Deus* Sed qui verba antecedentia & conſequentia legit, *ſtultos* ita dicere audit, qui perdite viuunt, & abominanda faciunt. Interim nihil frequentius eſt iſta verborum ſacrorum dilaceratione; adeo vt R. LIPMAN, in *Nizzachon*, p. 124. (ed HACKSPANII) non vereatur chriſtianis illam obiicere & exprobrare חנה זה כמנהגם לתפוס אות אחת בלי ראות מה שלפניה ומה של אחור: *Ecce! haec conſuetudo illorum chriſtianorum, vt vnicam arripiant litteram, non conſiderantes, quae antecedunt, aut quae ſequuntur.* Anne autem potiori iure hoc crimen iudaeae gentis doctoribus impingatur, illi facile iudicabunt, qui vel modice in ſcriptis eorum verſati ſunt. Vt enim de *cabbaliſticis* explicationibus nihil dicamus, in quibus contextus ſuffragium alto ſupercilio contemnitur; *talmudica* potiſſimum ſcripta prorſus eiusmodi explicationibus ſcatent, in quibus ſcripturae dicta, quae adlegantur, non ſecus ac diſiectae ac lacerae poſt naufragium tabulae in mari, contextu ſuo ſoluta, hinc inde natant.

§. X.

Denique omni quidem ſtudio inſtituenda eſt collatio antecedentium & conſequentium; cauendum tamen eſt, ne animum nimis fatigatum ad conſiderationem ipſius textus adferamus. Totum inſuper iſtud negotium recto magis iudicio, quam multis regulis dirigitur.

LIBRI

LIBRI SECVNDI
CAPVT SEXTVM
DE
SCRVTINIO ORDINIS TEXTVVMQVE SACRORVM ANALYSI.

Σύνοψις.

Ordo in exegesi commendatur, §. I. obseruandus

I. *In dispositione totius systematis biblici*, §. II.

II. *In chronotaxi librorum & textuum biblicorum*, §. III.

III. *In analysi & dispositione singulorum librorum*, §. IV.
1. historicorum, §. V.
2. propheticorum, §. VI.
3. paraeneticorum, §. VII.
4. psalmorum, §. VIII.
5. dogmaticorum, §. IX. cum obseruationibus & *cautelis*, hic obseruandis, §. X.

IV. *In analysi separatarum librorum partium*
1. breuiorum, §. XI.
2. longiorum, §. XII. cum *regulis prudentiae* hic attendendis, §. XIII.

V. *In ordine & consecutione verborum*, §. XIV. XV. XVI. XVII.

§. I.

Quum *ordo* sit velut anima rerum, merito etiam anima exegeseos dicitur; qua sublata, quidquid exegeta protulerit, non nisi confusos conceptus in animis audientium gignere potest.

§. II.

Obseruandus vero est ille ordo ante omnia quidem in *dispositione totius systematis sacrae scripturae*, vbi in antiquo pariter ac nouo foedere, libri historici primum locum occupant;* prima etiam proinde cura legendi, antequam ad dogmaticos & propheticos libros progrediamur.**

* Ordo librorum sacrorum veteris testamenti in ebraeo codice, nonnihil discrepat ab illo ordine, quem in graecis, latinis, aliarumque linguarum versionibus, obseruatum videmus. Codex scilicet ebraeus in tres partes a Iudaeis distinguitur, תורה נביאים, כתובים, siue, vt in prologo *Siracidis* graece exprimuntur, ὁ νόμος, καὶ οἱ προφῆται, καὶ τὰ λοιπὰ τῶν βιβλίων. Scilicet תורה LEX *quinque libros Mosis* comprehendit. נביאים PROPHETAE sunt vel ראשנים priores, *quatuor* scilicet historici, liber *Iosuae*, *Iudicum*, *Samuelis*, *Regum*; & אחרנים posteriores, *Esaias*, *Ieremias*, *Ezechiel*, *& duodecim prophetae minores.* Denique כתובים siue HAGIOGRAPHI vndecim, tres nimirum metrici, *Psalmi*, *Prouerbia*, *& Iobus*; & quinque *megilloth*, siue volumina minora, *Canticum*, *Ruth*, *Threni*, *Coheleth*, *Esther*; vnus propheticus *Danielis*; reliqui historici, *Ezrae*, *Nehemiae & Paralipomenon.* Fundamentum huius dispositionis IS. ABARBANEL, *praef. comment. in Iosuam*, constituit in diuerso reuelationis & influentiae gradu. Supremum enim prophetiae gradum Mosi adsignat; proximum prophetis tribuit; infimum, quem רוח הקדש adpellat, scriptoribus hagiographorum concedit; de quo discrimine fusius agit MAIMONIDES, *more nebochim lib.*

lib. II c. XLV. Sed merito ista distinctio, infirmis praeiudiciis innixa, refutatur ab ABR. CALOVIO, in *critico sacro, p. 384.* & IO. HENR. HEIDEGGERO, in *exerc. bibl. exerc. VII. §. LXX.* Ceterum de hac τειχοτομία (ad quam Christum etiam, Luc. XXIV, 44. adlusisse putat IO. LIGHTFOOTVS, in *horis ebr. & talmud. ad h. l. p 900.*) conf. IO FRISCHMVTHII dissertatio, *de diuisione scripturae in legem, prophetas & hagiographa;* ven IO. FRANC. BVDDEI *hist. eccles. V. T. tom. II. p. 988. seqq.* & quae de illo in compendio habet AVG. PFEIFFERVS, *crit. sacr. cap. I. quaest. 2 p. 17.*

Ab isto autem ordine, non sine ratione, cum LXX. & vulgato interprete recessit beatus LVTHERVS, ex cuius dispositione iunctim exhibentur I. libri HISTORICI, qui tradunt res patriarcharum & Israelitarum, tum *ante* possessionem terrae Canaan, quo pertinet *pentateuchus;* tum *in* ipsa occupatione eiusdem, vt liber *Iosuae;* tum *post* occupationem: & quidem 1. re publica *florente*, partim sub iudicibus, vt liber *Iudicum* & *Ruthae;* partim sub regibus, vt libri *Samuelis, Regum,* & *Chronicorum;* 2. re publica *collapsa*, vt libri *Ezrae, Nehemiae & Estheris.* II. libri DOGMATICI, *Iobus, Psalterium,* & *scripta Salomonis.* III. libri PROPHETICI, vbi *quatuor* prophetae *maiores,* inter quos etiam *Daniel* suo merito comparet, a Christo ipso hoc nomine salutatus, Matth. XXIV, 15. & *duodecim minores.* Ceterum, quomodo ordo librorum sacrorum a variis varie olim dispositus fuerit, diligenter recenset, & in aliquot tabulis exhibet, HVMFREDVS HODY, de *textibus originalibus bibliorum, p. 644.*

In N. T. idem ordinis genus obseruatur, vt praecedant I. libri HISTORICI quinque, euangelium *Matthaei, Marci, Lucae, Ioannis,* & *actus apostolorum*

lorum; II. sequantur DOGMATICI, epistolae *Pauli*, (quibus merito epistola ad *Ebraeos* subiungitur) *Iacobi*, *Petri*, *Iudae*, *Ioannis*; III. subiiciatur PROPHETICVS, *apocalypsis* Ioannis. Conf. ven. IO. GEORG. PRITII, viri nobis fauentissimi, *introductio ad lectionem N. T. cap. III. §. I.* Neque dubitandum est, hunc ordinem librorum vtriusque testamenti sapientiae diuinae esse conuenientissimum. Primum enim Deus certa *facta* inter homines edere voluit, ex quorum descriptione libri *historici* nati sunt. Hisce factis plurima *dogmata* innexa, & inaedificata fuerunt, quae libris *dogmaticis* exhibentur. Denique, in vsum & solatium futurorum temporum, *vaticinia* addita sunt, quae in libris *propheticis* cum admiratione leguntur. Obseruandum tamen, istam denominationem fieri a potiori. Nam & historicis libris vaticinia hinc inde interspersa sunt, quale illud 2 Chron. XV, 3. 4. 5. quod peculiari obseruatione olim illustrauimus, quae inserta legitur collectioni, sub titulo *freywilliger Hebopfer*, Berolini prodeunti, *sect. XXI. p. 1. seq.* vti & vicissim in propheticis dogmatica, & historica occurrunt, vt Esa. XXXVI. seqq. & in Ieremia passim.

** Quo quis enim familiarius cum libris historicis conuersatus fuerit; eo rectius dogmaticos & propheticos intelliget. Vt non inepte ABARBANEL, *comm. in prophetas poster. fol. 1. a.* posteriores prophetas *ramos priorum* adpellitet: siquidem illos nemo adcurate intellexerit, qui non faciem illius temporis, quo quisque vixit, ex libris regum & chronicorum perspectam habuerit. Similiter actus apostolorum quam plurimis epistolarum Paulinarum locis lucem adfundunt. In ipsis historicis res ita comparata est, vt praecedentes sequentibus subinde facem praeferant. Libri Mosaici, siquidem origines rerum descri-

describunt, per omnes sequentes V. ac N. T. libros lumen suum diffundunt, vnde ex Mosis oceano reliqua fluxisse, *Siracidis* ait, c. XXIV, 23. seqq. Liber Iosuae lucem accipit ex scriptis Mosaicis, acceptamque sequentibus reddit, siquidem origines politiae iudaicae, in Cananitide constitutae, eo describuntur; & sic in reliquis libris: de quorum admirabili inter se nexu conferantur, quae docte obseruauit PETRVS ALLIX, in *vernünftigen Betrachtungen über die historischen und prophetischen Bücher des alten Testaments, cap. I.*

§. III.

In maiori autem luce cuncta ponentur, si *ordo chronologicus*, quo & singuli vtriusque testamenti *libri*, * & cuiusque *libri partes*** se inuicem excipiunt, constanter ante oculos habeatur: cauſſis simul neglecti ordinis, quantum fieri potest, inuestigatis, vbi aliquid e propria sua sede in alienum translocatum occurrere videatur.***

* *Libros biblicos* minime secundum seriem chronologicam esse dispositos, nemo non intelligit. Vnde argumentum nimis infirmum, ac tanti critici acumine prorsus indignum est, quum IO. HARDVIN, probaturus, librum *Iobi* a Salomone esse scriptum, ad ordinem in codice ebraeo prouocat, vbi inter libros Salomonis, prouerbia nimirum, & canticum, medio loco legitur insertum; *operum select. pag. 533.* quamuis varia in variis exemplaribus sedes ipsi adsignetur, vt ostendit vir clarissimus, IO. GOTTLOB CARPZOVIVS, in *introduct. ad libros poeticos V. T. cap. II. p. 31.* Et historici quidem facilius in ordinem chronologicum redigi possunt; dogmaticorum

rum ac propheticorum magis dubia est chronotaxis. *Prophetis* V. T. canonicis, ex optimorum interpretum sententia, hic ordo adsignandus est. *Ionas*, anno mundi 3166. *Hoseas*, *Amos*, *Ioel*, *Esaias*, *Michas*, *Obadias*, *Nahum*, *Habakuk*, *Zephanias*, *Ieremias*, *Daniel*, *Ezechiel*, *Haggaeus*, *Zacharias*, *Malachias*, anno mundi conditi 3589. ante Christum natum 411. conf. IO. GOTTLOB CARPZOVII *introduct. ad libros prophet. V. T. p. 75.* Addimus tabulam chronologicam *librorum N. T.* ex venerandi praeceptoris, IO. HENR. MICHAELIS olim ore exceptam, & cum bona eius, vt speramus, venia, hic exhibendam.

A. C.	Imp. Rom.	
52	12	CLAVDII: *prior* ad *Thessalonicenses*, Corinthi scripta.
53	13	*Posterior* ad *Thessalonicenses*, ibidem.
57	3	NERONIS: *prior* ad *Corinthios*, Ephesi, aut Troade.
--	--	ad *Galatas*.
--	--	*Posterior* ad *Corinthios*, Philippis in Macedonia.
--	--	ad *Romanos*, Corinthi exarata.
60	6	*Iacobi* minoris epistola.
--	7	Prior *Petri* epistola, scripta Babylonea.
61	--	Euangelium *Matthaei*.
62	9	Epistola ad *Philippenses*, Romae.
--	--	--- *Ephesios*,
--	--	--- *Colossenses*.
--	--	--- *Philemonem*, ibidem.
63	9	--- *Ebraeos*,
--	--	Euangelium *Marci*.
64	10	--- *Lucae*.
--	--	*Actus apostolorum*.
65	11	*Prior* ad *Timotheum*, Philippis.
--	--	ad *Titum*.

A. C.

A. C.	I. R.	
67	13	*Posterior* ad *Timotheum*.
- -	- -	*Posterior Petri*, paullo ante martyrium.
71	3	VESPASIANI: epistola *Iudae*. Secundum alios A. C. 90. Domitiani 9.
91	10	DOMITIANI: tres *Ioannis* epistolae, Ephesi scriptae.
96	15	*Apocalypsis*, in Insula Pathmo.
97	1	TRAIANI: *Euangelium Ioannis*, quamuis alii probabilius Apocalypsin vltimum Ioannis librum fuisse putent, A. C. 98. scriptum, anno 2. Traiani. Addantur IOANNIS PEARSONII *annales Paulini*, & ven. IOACH. LANGII *comment. de vita & epistolis Pauli.*

** Ipsae partes, quibus liber aliquis biblicus constat, non semper secundum ordinem chronologicum dispositae sunt. Ita quinque extrema capita libri *Iudicum*, de idolo Michae, & bello Beniaminitico, ad historiam capitis secundi, vers. 10. pertinere, viris doctis obseruatum est; vid. SEB. SCHMIDII *adpendicem chronol. ad librum Iudicum, cap.* VIII *p.* 1599. *Psalmos* non eo ordine esse compositos, vt in volumine sacro exhibentur, nisi qui omnia ignorat, ignorare non potest. Etsi enim ratione materiarum forte aliquis nexus ex praesenti psalmorum ordine concinnari, & ad certae methodi leges reuocari possit, vt operose, per integrum volumen ostendit SAL. GESNERVS, in *meditat. psalterii, cap.* XIV *p.* 907. *seqq.* certum tamen est, vt KIMCHIVS ad psal. II. adnotat, *non eo ordine se excipere psalmos, quo scripti sunt*, sed potius, quo sunt a viris sanctis collecti, vel ex HVETII coniectura, quo sunt in templo decantati. Conf. ven. IO. HENR. MICHAELIS *adnot. vberiores in hagiographa, vol.* I. *p.* 9. & clar. IO. GOTTLOB CARPZOVII *introd.*

troduct. ad libros poeticos p. 126. Idem in maioribus etiam prophetis nonnumquam contingere, obſeruat CAMP. VITRINGA, in *prolegomenis ad Eſ. p.* 16. Sic chronotaxin concionum ac partium, quibus liber vaticiniorum *Ieremiae* conſtat, exhibet clar. CHRIST. BENED. MICHAELIS, diſſert. *de Ieremia eiusque vaticinio*, §. XX. Maxime chronotaxis viſionum, quae *apocalypſi Ioannis* continentur, interpretes exercuit, quam ex mente C. VITRINGA tabulis eleganter incluſam dedit CHRISTIANVS IOANNES BOMBLE. De ordinatione hiſtoriarum, ab *euangeliſtis* deſcriptarum, conſulendi ſunt, qui harmonias euangelicas dederunt, quos recenſitos vide in celeb. IO. ALB. FABRICII *bibliothe graec. lib.* IV. *c.* V. *p.* 212. IO. MICH. LANGII *praefat. ad Io. Clerici harmoniam euangeliſtarum.* IAC. LE LONG *biblioth. ſacr part.* II *p.* 376. & aliis. † Generatim vero in textibus ſacris ad ordinem temporum reuocandis laborarunt IO. LIGHTFOOT, in *harmonia chronica & ordine V. T.* IO. HENR. MAIVS, in *oeconomia temporum V. & N. T.* libro vtiliſſimo, & ad ſtudium exegeticum iuuandum compoſito. IAC. DORNKRELLIVS, *in bibliis hiſtorico-harmonicis*; quo & IAC. VSSERII *annales V. ac N. T.* pertinent. Adde, quae ſupra diximus, *cap.* II. §. VII. *p.* 117.

*** Non enim putandum eſt, iſtam emotionem textuum e ſede ſua propria, & translationem in alienam, ad imperfectiones ſcripturae pertinere, aut factam eſſe ab imperitis collectoribus eorum, quae auctores ſacri *in ſeparatis ſchedulis*, vel membranis ſcripſerint, vt ſomniat RICHARD SIMON, *hiſt. crit. V. T. libr.* I. *cap.* V. *p.* 33. Tam enim neglectam ſcribendi, ſcriptasque voluminis partes ſeiunctas, ad certiſſimam confuſionem, relinquendi rationem,

† Eleganti id compendio fecit Cl. IO. ANTON STRVBBERG in *harmonia euangelica manuali*; qui & *tabulam harmoniae & chronologiae totius ſacrae ſcripturae* promiſit.

nem, magnus criticus ex suo ingenio finxit, vt ostendit beatus IO. HENR. MAIVS, in *dissert. sacris*, *p.* 7. & clar. IO. MEYERVS, *diss.* II. *ad seder olam* §. XIII. Pertinet id potius ad vestigia maiestatis diuinae, quam spiritus sanctus in suo per scripturam incessu obseruat. Nonnumquam haud difficile est, *causas* istarum transpositionum indagare. Ita ea, quae Iud. XVII. seqq. narrantur, contigisse tempore illius ἀναρχίας, quae mortem Iosuae & seniorum excepit, Iud. II, 10. antea obseruauimus. Ratio autem, cur ad calcem libri narratio istorum euentuum reiecta sit, procul dubio est, 1) vt caussa exponatur tantarum calamitatum, in hoc libro descriptarum, scilicet apostasia populi, & summa eius corruptio, tum qua religionem, cap. XVII. XVIII. tum qua vitam ac mores, cap. XIX. XX. XXI. 2) Vt hoc modo transitus paretur ad libros Samuelis ac doceatur occasio electorum regum, summus scilicet in illa ἀναρχία libertatis abusus. Alias rationes profert IO. LIGHTFOOT, *tom.* I. *operum p.* 45. quae tamen nimiam redolent sublimitatem. At enim saepe fatendum est, causas mutati ac inuersi ordinis chronologici nos prorsus latere; vbi satius est, fateri ignorantiam, quam coniecturis longe petitis indulgere. Add FRANC. WOCKENII *pietas critica part.* II. *tota.*

§. IV.

Porro attendendum est, quo ordine cuiusuis libri auctor consilium suum exsequutus sit. studendumque, vt *singulorum librorum analysin* & dispositionem peruideamus: qua in re, pro diuersitate argumenti, diuersa agendi ratio tenenda est.

§. V.

In libris *historicis* sine magno negotio ordo inuenitur: si non secundum distincta

capita, * sed secundum distinctas materias attente perlegantur, quibusque illae partibus ac momentis constent, adhibito iudicio logico, considereretur. **

* Distinctio scripturae sacrae per *capita* non magnam prae se fert antiquitatem, quamuis IVLIVS BARTOLOCCIVS, in *biblioth. rabb. part.* IV. *p.* 186. omnem moueat lapidem, vt eam a *Mose* profectam, & textui coaeuam esse, demonstret. Veteres quidem Iudaei solebant libros sacros in סדרים certos *ordines*, siue certa segmenta maiora distribuere, quae vero a פרקים siue *capitibus* hodie vsitatis, quae a christianis demum ad Iudaeos transierunt, a MARDOCHAEO NATHANE, in *concord.* suis *ebr.* primum adoptata, multum differebant. Sic Masora finalis, Geneſi subiecta, librum illum XLIII. *sedarim*, at *L. perakim* constare, monet. Ista tamen dudum in desuetudinem venerunt; interim illorum index in frontispicio bibliorum IO. BVXTORFII videri potest. Addatur IO. HENRICVS HOTTINGERVS, *thes. philol. p.* 221. Insuper libri Mosis secantur in פרשיות *paraschas*, siue *distinctas sectiones* LIII, vel LIV, pro numero sabbatorum anniuersariorum; quae rursus sunt vel פתוחות *apertae*, quae, si *maiores* sint, tribus פפפ maiusculis; vt Gen. VI, 9. cap. XII, 1. si *minores*, vnico פ minusculo signantur, vt Gen I, 6. 9. 14 vel סתומות *clausae*, quae rursus, prout vel maiores, vel minores sunt, siue tribus סמס maioribus, vt Gen. XLIV, 11. siue vnico ס minori notantur, vt Gen. III, 16. 17. Exhibet paraschas illas omnes MOSES MAIMONIDES, in *hilc. sepher tora, cap.* VIII. §. IV. *f.* 89. Singulis paraschis respondent singulae הפטרות *haphtarae*, siue lectiones propheticae, quae vna cum paraschis recensentur peculiari לוח siue indice, ebraeo codici subiuncto, quem exhibet & illustrat ABRAHAMVS CALO-

CALOVIVS, *bibl. illustr. tom. I. p. 31.* Addatur de origine & historia harum sectionum IO. HENR. HOTTINGERVS, in *thes. philol p. 215.* DAN. LVNDIVS, & AD. ERDMANN MIRVS, in peculiaribus disput. *de paraschis & haphtaris.* CAMP. VITRINGA, de *synag. vetere, p. 964.* ven. IO. FRANC. BVDDEVS, *hist. eccles. V. T. part. II. p. 989. seq.* & IO. BVXTORFIVS, *de abbreu. ebr. p. m. 296* vbi docet, eas iam ante Christi tempora receptas fuisse; quamuis RICHARD SIMONIVS, *hist. crit. V. T. lib. I. cap. XXVIII. p. 143. seq.* eas, cum Elia Leuita, ad Masorethas Tiberienses referat auctores. Longe vero recentior est vsitata in *capita* distinctio, quae vulgo HVGONI cardinali, qui, anno MCCLX defunctus, primus concordantiarum biblicarum inuentor creditur, ab aliis STEPHANO LANGTHONO, archiepiscopo Cantuariensi, qui circa annum Christi MCC floruit, tribuitur: vt pluribus disputat IO. BVXTORFIVS, in *praef. concordantiarum ebraicarum.* Eam non vsquequaque adcuratam, & rei adcommodatam esse, docti dudum obseruauerunt: vnde *humana illa diuisio non plus iusto vrgenda est, sed ex ipsius potius textus visceribus argumenta pro cohaerentia rerum desumere par est*, vt sapienter monet vener. IO. HENR. MICHAELIS, in *praef. bibl. ebr. cap. II. §. V. p. 12.* Distinctionem autem in פסוקים siue *versus*, ab ipsis scriptoribus sacris profectam esse, qui punctorum vocalium & accentuum originem ad illos referunt, non possunt non adfirmare; de qua re conferatur IO. BVXTORFIVS *de origine punctorum, p. 80. seq.* ELIAE enim LEVITAE traditionem, quod ante Ezrae tempora vniuersa lex vnius instar versiculi fuerit, nullis distinctionum notis instructa, merito exsibilat IVL. BARTOLOCCIVS, *bibl. rabb. part. IV. pag. 186. seqq.* Ad-

datur IO. HENR. HOTTINGERI *thesaur. phil. p. 99. 124.* †

Nouum Testamentum diuisionem in *capita* & *versus* prorsus olim ignorauit. Quum autem frequenter auctores sacri in testimonium excitandi essent, ne taedioſum nimis foret, integrum saepe librum peruoluere; inuentae sunt distinctiones, quibus in segmenta quaedam liber vniuersus veluti conciderentur. Et apud antiquiores quidem occurrunt τίτλοι, *tituli*, κεφάλαια, *capita*, & στίχοι seu *versus*, de quibus pluribus agit DAN. HEINSIVS, in *aristarcho*, *cap. XIII. p. m. 254.* & ven. IO. GEORGIVS PRITIVS; in *introd. ad lect. N. T. cap. XXIV. XXV.* Hodie alia obtinet distinguendi ratio, vbi primum textus sacer in *capita*, ab incerto auctore introducta, deinde in *versus*, vel tmematia scinditur, quorum inuentionem ROBERTO STEPHANO, Lutetia Parisiorum Lugdunum petenti, debemus, vt HENRICVS STEPHANVS filius in *prafatione ad concordantias graecas*, testatur. De vtraque tamen distinctione idem, quod de capitibus V. T. antea monuimus, obseruandum venit: siquidem saepe diuisa sunt, quae arctissime cohaerent; quae minime cohaerent, coniuncta sunt. *Vnde*, iudice ven. AVG. HERM. FRANCKIO, *posit. hermeneneut. posit. VI. p. 249. haud inconsultum erit, adhibere vetustiora, & versiculis non interstincta exemplaria, ex quibus certius saepe iudicium de textu dubio formari potest.* Vide de distinctione librorum N. T. in capita & versus celeb. IO. ALB. FABRICII *biblioth. graec. lib. IV. cap. V. p. 221.*

** Ita qui librum *Ruthae* (a minoribus enim libris incipiendum est) attente perlegerit, facile hanc sibi ideam de eius oeconomia formauerit, vt describatur *Sors* Ruthae & Noomiae α) *tristior* cap. I. II.

† Conf. de partitionibus ebraei codicis ven. CARPZOVII *crit. sacram p. 141. seqq.*

I. II. β) *laetior* c. III. IV. vel *Nuptiae* Ruthae cum Boazo, quarum α) *occasio*, cap. I. II. β *consummatio*, cap. III. IV. vel *Duplex* Ruthae *matrimonium*, α) *primum* cum filio Elimelechi initium, & morte mariti solutum, cap. I. β) *secundum* cum Boazo, Salmonis filio, cuius notantur a) *praemissa*, ansam prabentia, cap II. b) *praeparatoria*, cap. III. c) *connubium ipsum* consummatum, & quae illud sequnta sunt, cap. IV. in *actibus* apostolicis dixeris describi I. *Adparatum diuinum ad fundationem ecclesiae christianae*, c. I-II. 21. II *Fundationem ipsam*, per vocationem noui populi ad fidem christianam α) vti facta *Hierosolymis*, spiritu Dei ad omnem successum cooperante, cap. II, 22. cap. VII. fin. β) vt diffusa & propagata per totam *Iudaeam*, *Samariam*, & *Galilaeam*, cap VIII, 1. cap. XII. fin. γ) vt amplificata *inter gentes*, Pauli maxime ministerio, cap. XIII, 1. ad fin. Vel, vt mauult PHIL. LIMBORCH in *comment. ad acta apostolorum*, describitur I. ministerium apostolorum inter *iudaeos* c. I-IX. eorumdem ministerium II. inter *gentes*, vbi labores 1) PETRI cap. X. XI. XII. 2) PAVLI, cuius notantur α) *itinera*, cap. XIII, 1-XXI, 19. β) *vincula*, cap. XXI, 20. ad fin.

§. VI.

In libris *propheticis*, qui futura canunt, vti historici praeterita narrant, obseruandum est, vbi noua concio, vel etiam nouum vaticiniorum genus inchoetur,* quod tamen certo definire haud mediocrem requirit saepe ad minutissima quaeque attentionem. **

* Ita *Zacharias* propheta in tres partes generatim dispesci poteſt, quarum *prima* est *emblemati-*

ca, quae post breue exordium c. I, 1-6. nouem visionibus absoluitur, c. I, 7 - VI. *Secunda didactica*, siue moralis, c. VII. VIII. *Tertia* denique *prophetica* de Christo eiusque regno, c IX - XIV. *Apocalypsin* in partes secturus, diuisionem secundum diuersas visiones, Ioanni obiectas, instituere potest, vt I. praecedat *prologus*, c. I, 1 - 8. sequuntur II. corpus *reuelationem propheticarum*, vbi ex mente clar. CAMP. VITRINGA α *status* ecclesiae *interior* sub emblemate septem ecclesiarum Asiae Lydianae depingitur, c. I, 9 - III. β) status *exterior* tribus visis exhibetur, cap IV - XXII, 7. tandem III *epilogus* c. XXII, 8. ad finem. Qui vero in disponendis prophetarum vaticiniis omnia in carcerem *septem periodorum* compingunt, saepe magis intricant, quam extricant ordinem, cuius rei specimina dedit HENRICVS GROENWEGEN, in *der Kette der prophetischen Gottes-Gelahrheit*, aliique multi de schola Cocceii. Quid vero de septem 10. COCCEII periodis habendum sit, candide exponit CAMP. VITRINGA, in *typo doctrinae propheticae, cap. VII. §. VIII. p. 147. seqq.*

** Vbi singulae conciones, praescriptis nouis titulis, ab antecedentibus distinguuntur, nemo facile errauerit, vt Hag. I, 1. c. II, 2. 11. 21. Id vero, vbi prophetae facere negligunt, difficilius est aliquid definire, vt fit in *Hosea*, cuius vaticinia in triginta libellos distinxit HERMANNVS VON DER HARDT, in *expositione Hoseae*; quo iure, quaue iniuria? nunc non disputamus. Inter canones verbi prophetici interpretandi hunc quoque refert CAMP. VITRINGA, in *typo doctr. proph. p. 179. In prophetiis continuis, quae per titulos siue inscriptiones vna ab aliis non distinguuntur, probe est attendendum ad initium & terminum concionum propheticarum.*

rum: quod discrimen difficilius quidem inuenitur, sed magni tamen momenti est, ne tamquam continua accipiamus, quae diuersa distinctaque sunt. Specimina huius diligentiae vir summus in suis ad *Esaiam* commentariis passim dedit.

§. VII.

Libri *paraenetici*, vt sunt prouerbia, ecclesiastes, Siracides, difficulter, & non nisi inuiti, in certum ordinem rediguntur; * quia tela sententiarum non continuo orationis filo pertexitur, sed miscellanea egregiorum monitorum copia larga manu, prout se occasio obtulit, suppeditatur.

* In introitu quidem *prouerbiorum* c. I-IX. nec non in additamentis Aguris & Bathsebae c. XXX. XXXI. aliqua in sententiis series deprehenditur; ipsum autem corpus interno eiusmodi dictorum nexu destituitur, quamuis illum coacte & infeliciter ostendere studuerit THOMAS CAIETANVS, cuius *enarrationes in parabolas Salomonis* Romae forma octaua prodierunt; & IACOBVS STOECKERVS, qui CLX. *homiliis* librum illustrauit, quae *Ienae* forma maiore, ante annos centum, excusae sunt. † Neque SAL. TILLII analyses, quas in *opere analytico tam.* II *p.* 16. *seq.* dedit, subtilitate carent, vtpote qui gnomas in ambitum septem periodorum concludit. Interim alio respectu commoda libri diuisio institui potest. Occurrit enim I. *Praefatio*, cuius scopus est, commendare sapientiam sub prouerbiis occultatam, c. I-IX. deinde II. *Corpus adagiorum*, aureas prudentiae spiritualis regulas exhibentium,

† In ostendendo prouerbiorum nexu nuper etiam laborauit Cl. ANDR. RENATVS KORTVM, cuius exstat *Erörterung der Frage, ob in den Sprüchen Salomonis eine intendirte Connexion und vvahre Verbindung sey.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0249
DFG

c. X - XXIV. denique III. *Adpendix*, quae continet α) *syllogen* nouam sententiarum cap. XXV - XXIX. β) *orationem Aguris*, c. XXX. γ) *Sermonem matris*, filium de necessariis erudientis, cap. XXXI.

De ordine libri *Coheleth* inueniendo nonnulli prorsus desperauerunt. Rectius tamen SAL. TILLIVS, in *opere analytico*, *tom.* II. *p.* 50. *Non*, inquit, *negandum est*, *digesta omnia esse a Salomone pro sapientia sua: quam si quis adsequi nequeat*, *minime tamen coniicienda est culpa in auctorem scripti*, *sed potius in nostram insciticm.* Non minus recte PETR. DAN. HVETIVS, *demonstrat. euang. propos.* IV. *p.* 413. de hoc libro: *Quisquis animum attentum*, *spiritus sancti gratia*, *luce & adflatu implorato*, *ad eum legendum adpulerit*, *nihil in eo salebrosum*, *nihil abruptum*, *nihil inane*, *aut imperfectum*, *sed plena omnia & integra reperiet.* Quam praesulis illius sententiam, si viueret, lubenter adprobaret LVTHERVS, quem illo loco vir doctus, ex incerto *sermonum conuiualium* loco, sibi perstringendum sumsit. Iungantur, si placet, quae in differt. nostra *de libro Coheleth*, de huius analysi disputauimus, §. XXI. † De *Siracide* videantur WOLFG. MELCH. STISSERI, & IAC. STOECKERI, *homiliae in Siracidem.* Addantur ABR. CALOVII *biblia illustr. V. T. tom.* III. *p.* 63.

§. VIII.

Psalmi ita tractandi sunt in analysi, vt quiuis tamquam peculiaris liber resoluatur ac disponatur; * qua in re subinde ad repraesentationem poeticam attento oculo respiciendum est. **

* Totum equidem psalterium, quasi alter pentateuchus, in quinque olim libros diuisum fuit, quo-

† Item IO. FRANCKIVS, in *systemate erbices diuinae*, & Cl. CHRIST. VVOLKII expos. vernaculam, sub tit. *Ruhe der Seelen.*

quorum quilibet voce אָמֵן *amen* clauditur, vid. psal. XLI. LXXII. LXXXIX. CVI. CL. de qua diuisione videatur IO. GOTTLOB CARPZOVIVS, *introd. in libros poet. V. T. p.* 131. Sed iam dudum HIERONYMVS, *praef. in psalmos*, obseruauit, nullo fundamento illam diuisionem inniti. *Nos*, inquit, *Ebraeorum auctoritatem sequuti, & maxime apostolorum, qui semper in nouo testamento psalmorum librum nominant, vnum adserimus psalmorum volumen; tom. I. p* 835. Singuli igitur psalmi seorsim disponendi sunt, quod eo faciliori negotio fieri potest, quo plerumque sunt breuiores. Sic psalmo I. exhibetur α) *piorum felicitas* v. 1-4. β) *impiorum infelicitas* v. 5. 6. Psalmo II. sistitur *rex Messias* α) *impugnatus*, v. 1-5. β) *confirmatus*, v. 6-9. γ) *venerandus* v. 10. 11. 12. Psalmo III. proponitur *Dauides*, (tamquam typus Christi) α) *hostibus circumdatus*, v. 1. 2. 3. β) *Deo confisus*, v. 4. 5. γ) sub eius protectione *securus*, v. 6. fin. cetera Conf. ven. IO. ANDR. SCHMIDII *liber psalmorum, in tabulas redactus.*

** Ita Psalmus XII. hoc modo constructus est, vt 1) aliquis sistatur, acerbissimas *querelas fundens*, cui 2) mox *Deus* v. 6. respondet, eumque certo *solatio* erigit, de quo Dei oraculo 3) qui querelas antea fuderat, sibi impense gratulatur, illudque summopere *laudat*. Sic psalmo II. *Dauid* primum loquitur, v. 1-5. deinde *Deus* pater v. 6. mox *filius*, patris promissa enarrans, v. 7. denique *Dauid*, vel spiritus sanctus v. 10. seq. sermonem claudit. Hac in re SAL. TILLIVM in *commentario ad psalmos*, excellere, supra iam adnotatum fuit, *cap.* II. §. V. Obseruauit id post BVGENHAGIVM etiam FRIDERICVS BALDVINVS, in *idea dispositionum bibl. part.* II. *cap.* V. *p.* 102. *In psalmis saepe mutantur personae. Modo Dauid in sua persona adloquitur Deum, modo impium;*

um; mox Deum ipsum, mox impios, aut alios loquentes introducit.

§. IX.

Libri *dogmatici*, inter quos epistolae apostolicae eminent, vbi *varium argumentum* continent, ita tractandi sunt, vt singula diuersi generis argumenta secernantur, & seorsim in sua membra resoluantur; * vbi *vnum argumentum* complectuntur, danda est opera, vt scopum totius libri, vt conclusiones, ad scopum adcommodatas, vt medios terminos, ad has confirmandas comparatos, suoque ordine collocatos, recte perspiciamus. **

* Ita in *priori ad Timotheum epistola* Paulus praescribit Timotheo 1) modum, *semet opponendi falsis doctrinis* c I. II. 2) modum, *promouendi ecclesiae aedificationem* & conseruationem, per constitutionem ministrorum, c. III. IV. 11. 3) modum *agendi in ecclesia*, c. IV, 12. VI, 10. cui 4) *conclusio* generalis, & quasi *postscriptum* apostoli subiungitur, c IV, 11.-fin. Haec sunt diuersa argumenta, quae in hac epistola pertractantur. Quibus cognitis, & a se inuicem separatis, singulorum structura ac dispositio specialior indaganda est. E. c. dum tertio momento praescribit *modum in ecclesia agendi*, id facit α) respectu *curae propriae* c. IV, 12-16. β) respectu *membrorum ecclesiae*, seniorum ac iuniorum, viduarum, presbyterorum cet. c. V-VI, 2. γ) respectu *seducentium*, c. VI, 3-10. & sic in reliquis. Sufficit enim rei methodum aliquo specimine declarasse.

** Epistola *Iudae* in vno argumento versatur. *Scopus*, v. 3. expressus, in eo consistit, vt apostolus fideles ad constantiam in fide adhortetur, & a defectione

ctione dehorteretur. *Concluſiones*, ad ſcopum obtinendum adcommodatae, v. 5. 17. 20. leguntur, licet abſint particulae concluſiuae. *Medii termini* deducuntur partim ab indole ſeductorum flagitioſa, partim a diuinis, quae eos exſpectent, iudiciis. Hinc eiusmodi analyſis naſcitur. I. INSCRIPTIO & ſalutatio, v. 1. 2. II. PROPOSITIO: *Retinete fidem ſemel traditam, & a ſeductorum inſidiis vobis cauete*, v. 3. III. CONFIRMATIO propoſitionis, vbi 1) *Dehortatio* a defectione; argumentis ductis α) ab *exemplis iudiciorum diuinorum*, v. 4-8. β) a *turpitudine vitae*, quam ſeductores agunt, v. 8-19. 2) *Adhortatio* α) ad *perſeuerantiam* in fide & caritate, v. 20. 21. β) ad *emendationem aliorum*, v. 22. 23. IV. CONCLVSIO, continens doxologiam, v. 24. 25.

§. X.

Ceterum, vti hic labor magnam requirit attentionis patientiam ac prudentem circumſpectionem; * ita non deſunt, quae eum quodammodo iuuare, facilioremque reddere poſſunt. **

* *Cautelae*, quas hic obſeruare prudentia iubet, ſunt potiſſimum ſequentes:

I. *Cauendum, ne nimis praeciſe & minutim omnia ad methodi quaeſitae & adfectatae regulas adſtringamus*; qua adcurationis ſuperſtitione vis ſaepe argumento, & ſimplicitati chriſtianae, infertur. Equidem libenter ſubſcribimus DAVIDIS HASSELII verbis, in praefatione, quam CHRISTOPHORI WITTICHII *commentario in ep. ad Ebr.* praemiſit; *Fruſtra ſunt, & tota errant via, qui apoſtolorum litteras ὕστερον πρότερον, ſine ordine, ſine methodo eſſe conſutas, clamitant; vtpote quae diuino plane ſcriptae ſunt filo atque nexu.* Recte tamen idem auctor mox ſubiungit: *Quamuis nullus diſſimulem, propius haec*

volumina

volumina accedere ad methodum naturalem, res, vt ſeſe dant, & ſponte apud animum cogitanti abiiciunt, euoluentem, quaque vſi ſunt ante Ariſtotelem plerique omnes philoſophi; quam ad Ariſtotelis argutam dialecticam. Addimus, in epiſtolis regnare *familiarius ſcribendi genus*, quod a tornato adfectatoque ordine abhorret.

II. *Cauendum, ne primus animo ideam aliquam ordinis concipiamus, deinde librum tamdiu verſemus ac laceremus, donec ad illam ſciagraphiam, mente praeformatam, nolens volensque ſeſe componat.* Ordo in re quaeratur, non res in ordine, male confícto. *Quidquid* enim *analyſis habet coacti, non ſponte e rei viſceribus fluentis, vitium eſt;* vt bene monet ven. AVG. HERM. FRANCKIVS; in *manud. ad lection. ſcripturae ſacrae, p. 81*

III. *Non putandum eſt, quae ad vnam libri materiam pertinent, ſemper vno loco coniuncta legi.* Saepe enim, quamuis non ſine graui cauſſa, adfectu duce, illa hinc inde diſperſa ſunt. Ita paſſim in *orationibus prophetarum* elenchi & conſolationes veluti per vices ſe alternatim excipiunt, reſpectu piorum & impiorum, ex quibus eccleſia iudaica compoſita erat, vt Eſa. XLIII, 1. 22. c. XLIV, 1. 6. 23. Ipſi etiam antiqui temporis *hiſtorici* in more habuerunt, non coniicere omnia, quae ad argumentum pertinebant, in vnum locum; ſed ea, vt vſu veniebat, diuidere, ſtudio nonnumquam elegantiae, Gen. XXXVIII. tot. 1 Sam. XXV, 21. Eſa. XXXVIII, 21. Idem in *epiſtolis* interdum obtinet. Pars prima epiſtolae ad *Corinthios* eſt *paracletica*, qua Paulus adflicta eius eccleſiae membra blando ſolatio erigere ſtudet, c. I, 3. c. II, 12. Deinde c. III. IV. V. *didascalica;* c. VI. *paedeutica* ſequuntur; at c. VII, 2. redit ad animos poſtratos vlteriori *ſolatio* refocillandos. Quod ſane non ex confuſo animo, ſed ex tenerrimo ac paterno ad-

adfectu, aegrotorum filiorum memoriam & curam idemtidem refricante, profectum est.

** Scilicet I. *Pleraeque epistolae Paulinae constant tribus partibus*, quarum duae sunt *minus principales*, exordium scilicet & conclusio; tertia *principalis*, tractatio, quae plerumque parte *dogmatica* & *paraenetica* constat. Sic Rom. I, 1-15. *exordium* habetur cum propositione, v. 16. 17. Pars *dogmatica*, c. I, 18-XI. Pars *paraenetica* c. XII, 1-XV, 13. *Conclusio* c. XV, 14. ad finem.

II. *Epistolae nonnullae cognati admodum sunt argumenti*, vnde vnius ordine bene perspecto, facilior est cognatarum dispositio. Sic in multis conueniunt epistolae ad *Romanos* & *Galatas*; ad *Ephesios* & *Colossenses*; posterior *Petri* & *Iudae*.

III. *Nonnumquam scriptores sacri ipsi ordinem dicendorum, quem vel in toto libro, vel in aliqua eius parte tenere constituerunt, tacite insinuant*. Sic Act. I, 8. primae lineae totius libri ducuntur. Testimonium enim apostolorum, in vrbe *Hierosolyma* describitur, c. II, 14. VII. In *Samaria* & confinibus regionibus, c. VIII, 1-XI, 19. in *remotioribus terrae partibus*, c. XI, 19. ad finem. Similiter Ebr. IX, 12. prima stamina sequentis tractationis ducuntur. Christum enim in expiando humano genere *proprio sanguine* vsum esse, v. 13-23. declaratur; ingressum esse in *sanctissimum*, v. 24. *semel*, v. 25-28. *aeternamque inuenisse redemptionem*, c. X, 1-18.

Addantur auctores, qui vel vniuersos, vel aliquot scripturae libros iusto ordine dispositos exhibuerunt, vt sunt MOSES PELAGHERVS, in *analysi typica omnium tum V. tum N. T. librorum historicorum, ad intelligendam rerum seriem, & memoriam iuuandam adcommodata*, quam IACOBVS BRANDMYLLERVS continuauit. HENNING. TEGETMEIERVS

MEIERVS analysin *psalmorum* & *XII. prophetarum minorum dedit.* Addatur IO. HIMMELIVS, prof. theol. Ienensis, in *memoriali biblico*, siue analytica dispositione, tum generali, tum speciali bibliorum. IO. HENRIC. HEIDEGGERVS in *enchiridio biblico*, quod perpetuo commentario illustrauit, & librorum sacrorum argumentum adcuratius digessit SALOMO TILLIVS, in *opere analytico.* Porro IO. ABR. KROMAYERVS, in *dispositionibus memorialibus librorum & capitum biblicorum V. & N. T.* ABR. CALOVIVS, in *bibliis illustratis.* IO. PETRVS GRVNEBERGIVS, in *tabulis oeconomicis in integrum sacrum codicem.* IO. GOTTLOB CARPZOVIVS, in *introductione ad libros canonicos V. T.* IOACH. LANGIVS, in *sciagraphia sacra, & historia ecclesiast. V. T.* in tabulas redegit libros historicos; in *commentatione de vita & scriptis Pauli*, epistolas apostolicas; vti ABR. GVLICHIVS *analysin librorum prophetitorum V. & N. T.* dedit; denique etiam IO. COCCEIVS & qui eius interpretandi methodum sequuntur, IAC. ALTINGIVS, & SEB. SCHMIDIVS suis in scripturam commentariis operosas librorum & capitum analyses inseruerunt; quo & GE. MICH. LAVRENTII commentarii analytici in plerosque N. T. libros pertinent. Addatur ven. IO. MICH. LANGIVS, de *recondito structurae biblicae artificio.*

§. XI.

In dispositione *separatarum* libri alicuius *partium* ita versandum est, vt, si textus sint *breuiores*, perspecta connexione, qua cum integro orationis corpore cohaerent, diuersa membra, quae pericopa complectitur, segregentur; deinde membrorum mutuus

mutuus respectus consideretur; denique membra illa in partes, quas continent, minores resoluantur. *

* E. c. Matth. VI, 33. *Quaerite primum regnum iustitiamque Dei, & ista omnia vobis addentur.* Hisce verbis Christus, quae hactenus de euitandis curis terrestribus dixerat, in summam colligit. Quaeritur 1. *quod membra* illis comprehendantur? Resp. Duo α) *quaerite primum regnum iustitiamque Dei* β) & *ista omnia vobis adiicientur.* 2) Quis *mutuus* sit illorum membrorum *respectus*? Resp. Se inuicem respiciunt, vt *antecedens* & *consequens*; vel vt *adhortatio*, & *adiunctae adhortationi promissio.* 3. Quae *partes subdiuisae?* Resp. Adhortatio exhibet *res quaerendas*, *quaerendi actum*, & *modum*; promissio sistit *res impetrandas*, ac *impetrandi rationem.* Vnde eiusmodi analysis prodibit. I. ADHORTATIO ad studium regni Dei, vbi 1. *res quaerenda*, βασιλεία τοῦ θεοῦ, καὶ ἡ δικαιοσύνη αὐτοῦ. 2. *quaerendi actus*, ζητεῖτε, 3. *quaerendi modus*, πρῶτον. II. PROMISSIO, vbi 1. *res impetrandae*, ταῦτα πάντα. 2. *impetrationis ratio*, προστεθήσεται.

Aliud exemplum addamus. Psal. XLV, 11. 12. post descriptum hactenus sponsum *sponsae officia* describuntur, vbi I. PRAEFATIO, quae continet excitationem ad attendendum, vbi 1. *excitanda*, o filia! 2. *formula excitandi* triplex, audi, vide, inclina aurem tuam! II. PROPOSITIO, vbi 1. *Officium* sponsae duplex α) *derelictio prioris status:* obliuiscere populi tui, & domus tuae paternae. β) *transitio in nouum dominium:* ipsi te prosterne. 2. *Argumenta*, quibus haec officia commendantur, desumta α) *ab vtili:* & delectabitur rex pulchritudine tua β) *ab aequo:* est enim dominus tuus.

Addamus textum propheticum. Gen. XLIX, 10. occur-

occurrunt I. *Duo* PRIVILEGIA, *tribui Iudae promissa*, vbi 1. *priuilegia* ipsa, sceptrum & legislator. 2. eorundem *durabilitas*, non recedet. II. *Constitutus priuilegiorum* TERMINVS, donec venerit Messias, qui describitur 1. ab *officio*, schilo, h. e. pacificator. 2. a *regno* inter gentes, cui erit obsequium gentilium. Eiusmodi anatomen analyticam multum lucis interpretationi adfundere, ac sensum litteralem expeditiorem reddere, immo vniuersam praxin hermeneuticam iusto ordine dirigere, nemo non intelligit.

§. XII.

Si pericopa *longior* fuerit, tum praetermissis minutioribus partibus, post formatum generale eius argumentum, partes maiores, quas suo ambitu circumscribit, indicandae, ac potiora momenta, partibus illis subordinata, ordine recensenda sunt. *

* Incipiamus a textibus *historicis*, quorum facilior est dispositio. Matth. IX, 27-30. describitur *Sanatio duorum caecorum Christo occurrentium*, vbi I. OCCVRSVS caecorum, quorum 1. *numerus*, duo caeci 2. *desiderium*, miserere nostri, o filii Dauidis! α) a Christo *exploratum:* creditis, posse me id facere? β) verbis *declaratum;* immo, domine! II. SANATIO ipsa miraculosa, cuius 1. *modus* per attactum & verbum. 2. *euentus*, aperti sunt eorum oculi 3. *consequens*, prohibita miraculi diuulgatio, vel breuius: Continet *narrationem de restitutione caecorum*, vbi I. *antecedens*, v. 27. 28. II. *restitutio* ipsa v. 29. 30. III. *consequens*, v. 30. In plerisque enim historiis quaedam quasi praeparatoria praemittuntur, deinde res ipsa exponitur, denique rem illam consequentia subiunguntur, vt obseruat FRID. BALDVINVS, in *idea dispositionum bibl. part.* II. *cap.* IV. *p.* 86.

p. 86. Longiorem pericopam breuiori subiungamus. 2 Sam. XI. XII. habetur *Crimen adulterii & homicidii, a Dauide commissum, ac a* DEO *remissum*, vbi I. Crimen COMMISSVM, & quidem crimen 1) *adulterii* cum Bathseba, c. XI, 1-5. 2) *homicidii* in Vria, cuius α) *ansa*, studium, scelus commissum occultandi, v. 6-13. β) *homicidium* ipsum, v. 14-25. γ) *consequens*, v. 26. 27. II. crimen DETECTVM, c. XII, 1-12. III. crimen DEPLORATVM v. 13. IV. crimen REMISSVM, v. 13. sed cum castigatione, quae 1) *describitur* v. 14-23. 2) *mitigatur*, v. 24-31.

Transeamus ad pericopas argumenti *dogmatici* & *moralis*. Phil. III, 17-21. exhibetur *Adhortatio ad imitationem apostolorum*, vbi I. adhortationis *argumentum*, v. 17. II. adhortationis *rationes*, desumtae 1) *a seductionis*, alioqui metuendae, *periculo*, v. 18. 19. 20. 2) *a recta* ac proba *apostolorum vitae ratione*, v. 21. Caput VIII epistolae ad Romanos complectitur priuilegia iustificatorum, vt sunt I. *Immunitas a condemnatione legis & dominio peccati*, quae 1) *proponitur*, v. 1-4. 2) *declaratur*, v. 5-8. II. *Inhabitatio & rectio spiritus sancti*, cuius proponitur 1) *necessitas* v. 9. 10 2) *vtilitas* v. 11. 3) *proprietates*, v. 12. 13. 4) *dignitas*, v. 14. 15. 16. III. *Ius & spes futurae haereditatis*, sub conditione crucis, quod 1) *proponitur*, v 17. 18. 2) *illustratur* a gemitu creaturae liberandae, v. 19-22 2) *declaratur*, v. 23. 24. 25. IV. *Spiritus sancti corroboratio* in infirmitate & precibus, v. 26. 27. V. *Cooperatio rerum omnium ad bonum finem*, cuius 1) *subiectum*, v. 28. 2) *fundamentum*, ordo salutis, v. 29. 30. VI. *Certitudo de futura aeterna salute*, cuius 1) *fundamentum* in amore Dei, v 31-34. 2) *adiunctum*, ordo crucis, v. 35. 36. 3) *firmitas immota & victrix* v. 36. 37. 38.

Referri huc possunt, praeter auctores ad finem §. X. laudatos, qui analyses & dispositiones perico-

parum, vt vocantur, dominicalium, quamuis non pari omnes dexteritate, dederunt; vt IO. ANDR. OSIANDRI *dispositionum euangelicarum fasciculi XIV.* TILEMANNI ANDR. RIVINI *mel homileticum, siue dispositiones euangeliorum:* eiusdem *lux ecclesiastica, siue dispositiones epistolarum.* IO. HVLSEMANNI *dispositiones epistolicae.* CONRADI THEODORICI, siue DIETERICI, *analysis logica euangeliorum.* CASP. FRID. NACHTENHOEFERI *pleiades sacrae;* vt alios † taceamus, in quorum nonnullis ἀκρίβειαν exegeticam, in aliis simplicitatem, multo fuco deformatam, in aliis alia multi fortassis desiderabunt. Quorsum etiam referas, qui separatim dicta biblica logice disposuerunt, vt FRID. WERNERI *dicta biblica ex V. & N. T. quae cum scopo euangeliorum conueniunt, disposita* IO. GRAEFII *continuatio daduchi sacri, continens dispositiones dictorum &c.*

§. XIII.

Ceterum in hoc etiam labore prudenter & cum iudicio versandum est, vt cuncta adcurate ac diligenter instituantur; vnde sequentes prudentiae regulas & *cautelas* obseruare iuuabit. *

* Nimirum I. *necesse est, vt sensum eius dicti, quod resoluere in suas partes constitutum est, antea quodammodo teneamus.* Saepe enim fit, vt, ex male intellecto pericopae sensu, spuria membra analyseos ambitum ingrediantur. Ita verbis, Eph. IV, 19. *Qui obducto callo se ipsos addixerunt libidini, ad omnem obscoenitatem ἐν πλεονεξίᾳ*, male aliquis diceret describi *vitia gentilium*, & quidem 1) *studium libidinis*, 2) *stu-*

† Io. Bened. *Carpzouium*, Io. *Foerstervm*, Io. *Graesium*, Io. Frid. *Rauchium*, Io. Frid. *Heinsium*, Sam. *Dietericum*, Io. Christ. *Lehmann*, Io. Ge. *Leig*, Io. Ioach. *Pinggiservm*, in hodego homiletico &c.

2) *studium opum*, siue *auaritiam* Nam πλεονεξία hic non auaritiam denotat, quae cum libidinosis adfectibus raro coniuncta est, sed *inexplebile voluptatis desiderium*, vt post HIERONYMVM recte FRID. BALDVINVS obseruauit. Quo animaduerso, haec analysis nascitur: Describitur *exercitium lasciuiae inter gentes turpissimum*, eiusque 1) *origo*, conscientia callo obducta & sensus expers, ἀπηλγηκότες. 2) *finis* εἰς ἐργασίαν ἀκαθαρσίας πάσης. 3) *modus*, ἑαυτοὺς παρέδωκαν τῇ ἀσελγείᾳ ἐν πλεονεξίᾳ. Gall. *avec un ardeur insatiable.*

II. *Non plus minusue sit in analysi, quam verba scriptoris continent.* Est autem *plus* in analysi, si membra ei inserantur, quorum nullum in textu est vestigium, vt si, verbis Christi, Marc. I, 17. *Venite post me, & efficiam, vt sitis hominum piscatores*, dicas contineri 1) *mandatum*, 2) *promissionem*, 3) *comminationem*; vbi comminationis nullum indicium in textu adparet. Mentio quidem fit *capturae hominum*, quae vero non fieri debebat ad perniciem, sed ad salutem; vnde haec ad promissionem referenda sunt. Contra *minus* est in analysi, si non omnes partes praecipuae, textu comprehensae, enumerentur. Vt, si diceres Psal. II, 11. 12. *Colite dominum in timore* cet. exhiberi. I. *Monitum ad Deum colendum.* II. *Rationes moniti*; imperfecta esset analysis. Duplex enim occurrit monitum 1) *ad colendum* Iehouam *patrem* 2) *ad osculandum* Iehouam *filium*; quibus subiiciuntur rationes, a *periculoso & vtili* deductae. Obseruandus igitur est canon, quem suppeditat ven. IOACH. LANGIVS, in *oratoria sacra, part. II. cap. II. memb. I. §. 99. Quot insunt textui distinctae, aut primariae circumstantiae ac materiae, aut vnius materiae distincta tractandi genera, aut distinctae species, aut primaria argumenta; tot fiant partes.*

III. *Singulae partes minores ſub membris ſuis maioribus, a quibus pendent, iuſte diſponantur;* quam ob rem in textu vet. teſtam. *accentuum* ratio habenda eſt; † Sic verba Pauli ad Philemonem, v. 5. *Audiens, qua charitate ac fide praeditus ſis, tum in Dominum* IESVM, *tum erga ſanctos omnes;* male diſponeret, qui diceret, laudari in Philemone I. *Amorem,* II. *Fidem*, cuius exponatur duplex *obiectum*, 1) *primarium*, Dominus Ieſus, 2) *ſecundarium*, omnes ſancti. Sancti enim ſunt obiectum amoris, non fidei. coll. Eph. I, 15. Verba Iacobi, Gen. XLIX, 3. 4. IO. CLERICVS ita transtulit: *Ruben primogenitus meus es, robur meum, & virium mearum primitiae. Praecellentia dignitatis & praecellentia potentiae inſtar aquae effuſa* eſt. cet. Ex qua verſione iſta naſceretur analyſis I. PERSONA PVNIENDA, quae 1) *nominatur*, Ruben 2) *deſcribitur*, primogenitus cet II. PERSONAE PVNITIO, quae conſiſtit in priuatione eximiae praerogatiuae, vbi 1) *praerogatiua* 2) eiusdem *priuatio:* inſtar aquae effuſa eſt. Accentus autem ebraei, quos vir doctus alto ſupercilio hic contemſit, talem poſtulant diſpoſitionem, multo concinniorem. Deſcribuntur I. FATA *Rubenis*, IVRE DEBITA, v. 3. quorum 1) *Fundamentum*, α) *indicatum*, Ruben, primogenitus es tu. β) *explicatum*, robur meum, & primitiae virium mearum. 2) *Forma*, quoad α) *eccleſiaſtica;* excellentia dignitatis β) *politica*, excellentia potentiae. II. FATA, *Rubeni* ex MERITO EVENTVRA v. 4. vbi α) *culpa:* o leuitatem inſtar aquarum! 2) *poena:* non excelles, cet. conf. de vſu accentuum analytico IO. FRANCKII *diacritica ſacra, part. II. p. 75. ſeq.*

IV. *Singulae partes in analyſi, quantum fieri poteſt, iuſtas accipiant denominationes*, quae tanto magis

† Vti egregio exemplo praeiuit clar. IO. FRANCKIVS, tum in commentario acroamatico in lib. *Cohelcth* & *Ruthae*, tum in *miniſterio accentuum ebraeorum*.

magis commendari merentur, quo adcuratius cuiusque partis argumentum exprimunt, & quasi fronti inscriptum gerunt. Equidem terminis philosophicis, atque etiam graecis (quibus MOS. PFLACHERI *analyseis typica* abundat) res saepe breuius & rotundius exprimi potest; si tamen illorum loco adhiberi possint adpellationes, quae membri illius naturam & argumentum designant, rectius procul dubio illae vsurpantur. Verba Pauli 2 Cor. IV, 17. τὸ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως κ. τ. λ. diuidi possunt in I. *Subiectum*, quod 1) *nominatur*, 2) *describitur*; & II. *Praedicatum*, vbi 1) *actus*, 2) *obiectum*, 3) *modus*. Rectius dicitur, hic describi *Laetam adflictionum cataſtrophen*, vbi I. *Adflictio*, descripta ratione 1) *breuitatis*, παραυτίκα 2) *leuitatis*, ἐλαφρὸν. II. *Adflictionis cataſtrophe*, 1) *indicata* κατεργάζεται 2) *exaggerata*, a gloriae consequentis α) *pretio*, βάρος β) *duratione*, αἰώνιον γ) *infinita excellentia*, καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολήν. In historicis res gesta in partes natura distinctas dirimatur, eisque imponantur denominationes, quae sese referunt ad euentum, in quo vltimus scenae actus, & id, quod exsequi Dei consilium decreuerat, inuenitur. Vnde in antecedentibus quaerere par est adparatum & molimina, ad illum exitum consequendum concepta. Ita 1 Sam. XI. habetur *Confirmatio Sauli in regno*, vbi I. *Medium confirmationis*, felix belli cum Ammonitis euentus, cuius belli describitur α) *ansa*, oppugnatio Iabensium ab Ammonitis v. 1-4. β) *adparatus* ad bellum, v. 5-10. γ) *praelium*, cum successu initum, v. 11. II. *Euentus exoptatus*, 1) *agnitio Sauli* a toto populo, v. 12. 13. 2) *confoederatio noua* in comitiis publicis, v. 14. seqq.

V. *In analyſi ordo potius naturae, quam verborum, attendendus eſt.* Vnde aliquando quae posterius dicta sunt, primo loco collocare oportet, quotiescumque ordo naturae illud requirit; quum

ſtilus rhetoricus nonnumquam eleganter admittat transpoſitiones, quas logicum dictamen in ſuum locum reſtituit, clarioris perceptionis cauſſa. Egregie ven. IOACH. LANGIVS, in *oratoria ſacra*, *p. 98. Partes ita ordinentur, vt antecedendis mentio ac cognitio ſequentem naturali ordine quaſi gignat & requirat: qui ordo vt conſtituatur in diſpoſitione, nonnumquam verborum & verſiculorum ſeries in textu deſerenda eſt.* Gen. I, 1. deſcribitur *Creatio huius vniuerſi*, vbi creationis I. *auctor*, Deus. II. *actus*, creauit, III. *obiectum*, ſiue res creatae, caelum & terra. IV. *tempus*, ab initio. Item Gal. III, 13. exhibetur opus redemtionis, vbi I. *Subſtitutio* Chriſti pro nobis in maledictionem, quae 1) *proponitur*: factus pro nobis maledictio. 2) *probatur* teſtimonio Moſis. II. *Subſtitutionis fructus* & conſequens: redemit nos a maledictione.

VI. *Cauendum, ne textus, maxime longior, per analyſin in partes nimis multas & minutas diſſecetur & diſcerpatur; omnisque coactio & adfectatio fugienda eſt.*

§. XIV.

Dum vero in ordine rerum obſeruando verſamur, ſubinde etiam ad *verborum* in propoſitionibus ac membris ordinem, attentis oculis reſpiciendum eſt, ſtudendumque, vt ex conſideratione rei, verborum ſitum diiudicemus, & quare hoc, non alio ordine, illa poſita ſint, adſequamur. *

* Ita in ſalutationibus Paulinis *gratia* ſemper *pacem* antecedit, Rom. I, 7. Col. I, 2. cet. neque natura rei alium ordinem admittit. *Pax* enim eſt fructus & effectus *gratiae*; neque quisquam conſcientiae tranquillitate frui poteſt, niſi de fauore diuino, & de reconciliatione cum ſummo Numine firmiter

miter persuasus. Sic 1 Tim. II, 2. *pietas* praecedit *honestatem*, quia illa fundamenti loco substernenda est, nisi haec similis esse debeat tectorio, quo sepulchrum, intus mortuorum ossibus repletum, incrustatur. Sic Matth. XV, 19. *malae cogitationes* inter ea, quae hominem polluunt, primum locum occupant, quia ex his quasi ouis ac seminibus cuncta scelerum genera excluduntur. *Blasphemiae* agmen claudunt, quia illae velut apex sunt putridae arboris, quae ex labe originis procrescit Intermedia secundum ordinem praeceptorem V. VI. VII. VIII. disposita sunt: *caedes*, *adulteria*, *stupra*, *furta*, *falsa testimonia*. Idem ordinis scrutinium instituere licebit Matth. V, 3 - 11. 2 Petr. I, 5 - 7. item in petitionibus orationis dominicae, de quibus videatur ANDREAVLII DORNMEIERI *philologia biblica c. X. p. 72.* Virile hoc merito dixeris adminiculum, quod multas bonae frugis meditationes suppeditare potest, quodque nec antiquae synagogae incognitum fuit, quippe persuasae in *scripturis sanctis ipsum quoque verborum ordinem mysterium esse*, quod HIERONYMVS etiam ad *Pammachium*, *de optimo genere interpretandi*, obseruauit, *tom.* IV. *part.* II. *p.* 250. Recentior autem schola iudaica, quae a maioribus hunc canonem acceperat; nec tamen ab eodem ducebatur spiritu sapientiae & prudentiae, nimium hic indulsit subtilitati ingenii sui, quo factum, vt abusus vsui noxium creauerit praeiudicium, ac si cum Iudaeis sapiant, qui in verbis aut phrasibus scripturae, aut verborum ac phrasium constructione & compositione, altius aliquod & subtilius mysterium rimantur. Qui censores si intelligerent, quam profundi & sublimis ingenii, diuini scilicet, opus sit verbum propheticum, clementius de hoc instituto sentirent. Abusui occurret prudentia interpretis, cuius erit, fictam quaesitamque subtilitatem a sobrio & spirituali

li acumine discernere. Conf. CAMP. VITRINGA *typus doctr. proph. p.* 186.

§. XV.

Inprimis ordo attendendus est in elegantissimis illis *gradationibus*, quae in verbo diuino, maxime prophetico, passim occurrunt, vt per quos gradus oratio vel *adscendat*,* vel *descendat*,** curiose obseruemus.

* Vt Esa. XLI, 10. *Corroboro te, etiam auxilior tibi, etiam sustento te dextra iustitiae meae.* Vbi elegantissima est gradatio 1. CORROBORO *te*, h. e. non destituam te gratia mea *interna*, fidem ac spem tuam sustinendo, vt ne concidant. Videbantur pii in hoc documento fauoris diuini prorsus adquiescere potuisse; sed additur 2. *etiam* AVXILIOR *tibi*, h. e. opem etiam *externam* in illo adflictionis statu tibi praestabo, vt emergere possis. Sed neque id satis erat. Quum enim adflictio ecclesiae primitiuae durare debebat per longum tempus, vbi difficile erat, non succumbere, & diuturnitate malorum vinci; adiicit 3. *etiam* SVSTENTO *te*, ne labascas, nouisque te subinde instruo viribus, ad perseuerantiam necessariis. Similis gradatio occurrit Esa. XLI, 20. *vt videant, & cognoscant, & cor adponant, & prudenter considerent.* Vbi 1. *videre* est oculis & sensu obseruare admirabile Dei auxilium. 2. *cognoscere* est non sensu corporis tantum, sed & sensu mentis percipere atque intelligere, illud auxilium, ecclesiae praestitum, esse opus diuinae omnipotentiae & gratiae. 3. *adponere animum* est non obiter & perfunctorie intelligere, sed cogitationi huic tenaciter inhaerere, & animo expendere, non causas tantum, sed & fines paradoxi huius phaenomeni; denique 4. *prudenter considerare* est has causas & fines, inuestigatione detectos, & hoc opus diuinae potentiae & gra-

& gratiae, cum aliis analogis Dei operibus comparare. Ita vim huius gradationis eleganter euoluit CAMP. VITRINGA, *comm. in Esa. tom. II. p.* 481. Addantur, quae ad Esa. XLI, 26. c. XLIII, 7. vir egregius adnotauit.

** Sic *retrogradus ordo*, vbi id, quod natura prius est, vltimo loco ponitur, obseruatur Esa. XLIV, 7. Quis sicut ego 1. *vocat*, h. e. opus liberationis populi per Cyrum, iussu voluntatis suae, exsistere facit? 2. *quis praenuntiauit illud*, siue clare praedixit? 3. *quis* id coram me *ordine disposuit*, siue quis mihi a consiliis fuit in rationibus illustris huius euentus ordinandis? Adde Esa. XL, 31. vbi a *volatu* ad *cursum*, a cursu ad *ambulationem* descenditur; it. Hos. IX, 11.

§. XVI.

Quum scriptura sapientissimum habeat auctorem, credere par est, ipsum etiam *defectum ordinis*, sicubi in verbis obseruetur, sapientissimas habere causas, quae ab exegeta sollicite indagandae sunt.*

* Nonnumquam scilicet I. *rei natura & indoles* id postulauit. Quaeris e. c. cur Rom. I, 29. 30. 31. it. Gal. V, 19. 20. 21. catalogus vitiorum gentilium adeo confuse recensetur, nulla habita ordinis ratione? In promtu causa est. Indicari debuit ipso verborum positu, summa, quae in sceleribus est, ἀταξία & confusio. Similiter beatus LVTHERVS, in *praef. ad libros V. T.* quaerit: *Quaenam ratio sit, quod Moses ita confuse, nullo certo ordine, leges tradiderit? cur non politicas & morales, cur non caerimoniales, cur non illas fidei & caritatis leges redegerit in suum ordinem?* Respondet vir summus: *Mosis liber est ceu forma & imago politicae vitae. Sic enim omnia describit, vt plerumque in politia geri solent.*

lent. Sic autem in rebus politicis fieri solet; iam hoc, iam illud opus vrgetur. Neque quisquam hominum ita suam vitam instituere potest, vt certo constituat, se hoc die nihil nisi spiritualia, alio nihil nisi politica tractaturum. Quemadmodum enim stellae caeli, & flores in agris, nullo certo ordine sunt dispositi: sic quoque cum legibus agitur. Et oportet hominem singulis horis paratum esse ad quodcumque opus, vt hoc, quod sese primum obtulerit, exsequatur. Ad hunc igitur modum & Moses suas leges nullo certo ordine proposuit. Sapientissime! Acceptum igitur scandalum fuerit, si quis ad haec & similia nimium haesitare velit, aut quasi obstupescere, quod non obseruentur in sacris eaedem scilicet elegantiae, & leges magisteriales, quae saepe neglecta rerum ipsarum cura, adfectantur. Conf quae ad hunc Lutheri locum adnotauit venerandus praeceptor, PAVLVS ANTONIVS, in spicilegio historico-ecclesiastico *ex praefatione Mart. Lutheri in libros V. T. p.* 26. Huc etiam referri potest, quod *praecepta decalogi* alibi in scripturis non semper eo ordine recensentur, quo exstant in Mose; e. c. Matth XIX, 18. 19 Marc. X, 19. Rom. XIII, 9. de quo videantur IO. IAC. STROMEYERI *disharmoniae decalogicae.*

II. *Adfectus dicentis* saepe verba & membra orationis quasi disturbat, & extra consuetum ordinem collocat. Ita Matth. V, 3. seqq. praedicatum subinde subiecto anteponitur: *beati sunt pauperes spiritu; beati lugentes* cet. Scilicet pectus Iesu Christi repletum erat intimo desiderio, homines beatos reddendi; hinc isti μαχαιρισμοὶ per os apertum primi ruunt in lucem, & se in auditorum aures quasi cum impetu effundunt. Exod. XXII, 19. verba ita se excipiunt: *Sacrificans diis, deuouetor, nisi Iehouae soli.* Secundum ordinem naturalem primo *culpa* exprimi debebat: *Quisquis sacrificauerit diis aliis, nisi Iehouae*

uae soli; deinde *poena: is deuouetor.* Sed ad detestationem criminis efficacius indicandam, poenae comminatio mediae & nondum absolutae criminis descriptioni miscetur. Sic Gen. XLIX, 6. *In arcanum illorum concilium ne veniat anima mea* Vers 7. *Maledicta ira ipsorum,* it. Ier. XIV, 14. Zach. X, 3. Act. IV, 7. Matth. XII, 50. cet.

III. *Arcanus interdum aliquis respectus* in verborum ordine latet, ex reliquis textus circumstantiis & rei indole eruendus. Ita *Ephraim* natu minor *Manassi* maiori, non sine nutu prophetico, praeponitur Gen. XLVIII, 5. coll. v. 18. 19. Sic Num. XII, 1. *Miriam Aaroni* digniori praeponitur, quia praecipuas in illo crimine partes habuisse, & Aaronem incitasse videtur; vnde etiam v. 10. sola punitur. Adde Luc. II, 32. Ezech. XIV, 14. Eph. II, 20. Matth. II, 13. 14. c. XIII, 52.

IV. *Recepta loquendi consuetudo* nonnumquam transpositionis caussa est. Ita e. c. mos est scripturae, Iudaeis dudum obseruatus, vt, vbi plures res, vel personas nominauit, amplius deinde commemorandas, retrogrado ordine a postrema ad primum pergat. Gen. X, 1. dicitur, filii Noae erant 1 *Sem.* 2 *Cham* & 3 *Iapheth.* Mox ordine retrogrado 1) posteri *Iapheti* v. 2. deinde 2) posteri *Chami* v. 6. denique 3) posteri *Semi* v. 21. recensentur. Sic & in N. T. vt Rom. XI, 22. Vide Dei 1. *benignitatem* & 2. *seueritatem*; 1. in lapsos *seueritatem*; 2. in te *benignitatem* &c. Adde Gen. I, 1. 2. Exod. XVII, 7. 1 Par. I, 28. 29. 34. Esa. LVI, 3. 7. Ier. XXXV, 16. coll. v. 17. 18. 19. Hos. VIII, 14. Zach. IX, 3. 4. Iob. XXVII, 5. 6. 7.

§. XVII.

Nonnumquam verba aliqua ita innexa sunt mediis duabus propositionibus, vt ad vtramque pertinere videantur; certe vt difficile

ficile sit definire, vtrum antecedentem, aut consequentem propiore cognatione attingant.*

* Contingere id maxime potest in textu graeco N. T cuius distinctio per commata & puncta non est tantae auctoritatis, vt nefas sit, illam mutare, quamuis non temere lacessenda sit. Conf. ven. IO. GEORGII PRITII *introductio ad lectionem N. T. c. XXVII. §. V. VI.* cl. IO. ALB FABRICII *bibl. graec lib. IV. c. V. p. 221.* & beati IO. HENRICI MAII *introduct. in stud. philol. crit. & exeg. cap. V. p. 42.* Ita e. c. Col I. postrema verba commatis 11. a quibusdam ad *antecedentia* referuntur: *Confirmati ad omnem patientiam & longanimitatem* CVM GAVDIO: vt hoc modo indoles patientiae christianae describatur, quae calamitates non modo vtcumque tolerat, dissimulato dolore; sed in iis etiam gaudet, Rom. V, 3. Iac I, 3. Ab aliis cum *sequentibus* nectuntur: CVM GAVDIO *gratias agentes patri*; coll. Psal. XCVII, 12. Neutrum fortassis male. Pariter Col. III, 16. verba ἐν πάσῃ σοφίᾳ monitum antecedens & consequens attingunt. Tum enim verbi diuini tractatio, tum aliorum institutio sapienter tractanda est. In ebraeo codice *accentus*, diuinum prorsus inuentum, sententiam ferunt, quae coniungenda, quae disiungenda sint? Esa. XL, 3. קול קרא במדבר פנו דרך יהוה vox במדבר antecedentibus aequae ac consequentibus iungi posset; sed accentus hanc postulant distinctionem. *Vox clamantis: in deserto parate viam Iehouae*, quae distinctio posterioris hemistichii analogia confirmatur. Vti enim illud vult *viam rectificari in solitudine*; ita prius vult *parare viam in deserto*, vt post IO. OECOLAMPADIVM dudum obseruauit SEB. SCHMIDIVS, *comm. in Esa.* ad *h. l.* Vnde etiam Matth. III, 3. ita distinguendum est. Quorsum Rom. I, 17. pertineant vo-

ces ἐκ πίστεως in sententia illa aurea Habacuci: ὁ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται, vtrum ad subiectum, an ad praedicatum? difficile est determinare, quam Hab. II, 4. in accentibus sit varia lectio, de qua pluribus agit HENR. HOEPFNERVS, *disp. XII. de iustificat. p. 376.* Certissimam viam iniuerit, qui retulerit ad vtrumque, hoc modo: *iustus ex fide, viuet ex fide.* coll. Rom. V, 1. Gal. II, 20.

LIBRI SECVNDI
CAPVT SEPTIMVM
DE
CONSIDERATIONE VOCVM AC PHRASIVM SINGVLARVM.

Σύνοψις.

Ad *vocum* ac *phrasium singularum considerationem* progrediendum est §. I. quam illae habent

א *Per se & extra contextum* spectatae §. II. quae haurienda est

I. *ex vocis etymologia* §. III.

II. ex *radicibus cognatis* §. IV.

III. ex *vsu biblico* §. V. qui in primis *formalem* vocis *significationem* suppeditat §. VI.

IV. *ex oppositione* §. VII.

V. *ex linguis orientalibus cognatis* §. VIII. *caute* tamen conferendis §. IX.

ב *Intra contextum* §. X. vbi instituenda est

I. *Explicatio verbalis* §. XI. & quidem

1. *terminorum simplicium*, vbi

a) vocis *significatio famosa* retinenda. §. XII.

b) συγχύσεις inter *plures*, quae se offerunt, significationes

nes §. XIII. nec non inter notionem *tropicam* & *propriam* eligendam, tentanda §. XIV.

c) vna significatio interdum alteri *subordinanda*, vel cum altera *coniungenda* §. XV.

d) *restrictio*, vel *extensio* significationis caute tractanda §. XVI.

e) *differentia* vocum *synonymicarum* excutienda §. XVII.

f) *epithetorum* vis considerandа §. XVIII.

2. *totius enunciationis* §. XIX.

II. *Explicatio realis* §. XX.

1. quoad notiones simplices, quae *subiectum* ac *praedicatum* constituunt §. XXI.

2. quoad *additamenta*, quae subiecto, vel praedicato adhaerent §. XXII.

3. quoad *subiecti ac praedicati nexum*

a) *internum* §. XXIII.

b) *externum* cum proxima enuntiatione §. XXIV.

4. quoad rei *partes* distinctius euoluendas §. XXV.

5. quoad integram *propositionem* vlterius *confirmandam* & *illustrandam* §. XXVI.

6. quoad *vim totius argumentationis* ponderandam §. XXVII.

§. I.

Post textum adcurate dispositum, & in sua membra apte resolutum, sequitur, vt singulae voces ac phrases, * quae aliquid obscuritatis continent, diligentius excutiantur.

* Per *voces* non solum nomina & verba, sed omnia etiam genera particularum, quin & praefixa & suf-

& ſuffixa ebraeorum, intelligimus; ſiquidem ab hiſce etiam multum ſaepe momenti pendet. Ita *ſuffixum* primae perſonae aliter accipiendum eſt in verbis Dauidis, Pſal. IV, 2. שמע תפלתי *audi orationem* MEAM; hoc eſt, quam ego ad te fundo; aliter in verbis Dei Eſa LVI, 7. שמחתים בבית תפלתי *exhilarabo eos in domo orationis* MEAE; hoc eſt, quae ad me funditur. Quae ſi cogitaſſent Iudaei, propriae linguae non ſatis gnari, numquam, Deum preces fundere, inepte ſcripſiſſent, in tr. *Berachot* f. 7. תפלתכם לא נאמר אלא תפלתי מכאן שהקדש ברוך הוא מתפלל *Non dicitur, in domo orationis* EORVM; *ſed orationis* MEAE: *exinde* diſcimus, *Deum etiam preces fundere.* Et ne quid ignorare vaniſſimi homines viderentur, en formulam etiam precum, ab ipſis conſignatam: *Quae vero*, inquiunt, *ſunt illa precum verba? Sic prodente R. Sutra, Tobiae filio, ſecundum Raf* (idoneum ſcilicet teſtem, & arcanorum diuinorum participem!) *ſunt iſta: Ita velim iubeamque ego, vt miſericordia mea vincat iram meam, & vt miſerationes meae obuoluant reliqua mea attributa; atque vt cum liberis meis miſericorditer agam, eosque intra benignitatis penetralia ſtatuam.* Inepta haec ſunt, & non excuſanda, vt oſtendit vir, harum rerum peritiſſimus, IO CHRISTOPHORVS WAGENSEILIVS, in *telis igneis ſatanae p.* 187. Interim hinc adparet, minimos etiam apices, (vt *h. l.*) in interpretatione locorum non eſſe negligendos. Per *phraſes* autem intelligimus integras conſtructiones, idiotiſmos & formulas loquendi.

§. II.

Hac in re vt felicius interpres verſetur, opus eſt, vt non ignoret, ex quibus fon-

fontibus genuina vocum, quam per se habent, significatio deriuanda sit; in quibus tamen commonstrandis viri docti non idem sentire obseruantur. *

* WOLFG. FRANZIVS in praef. tract. *de interpretatione*, p. 13. *concordantiarum* vsum, tamquam adminiculum prorsus diuinum, commendat, ad certam significationem vocis difficilioris suppeditandam. IAC. RHENFERDIVS, in diss. *de ratione obseruandi genuinam vocabulorum ebraeorum significationem*, quae Franequerae MDCCIV prodiit, eamdem iniit viam, quam ANTONIVS SCHORVS in linguae latinae vocibus, ad notiones suas genuinas reuocandis, ingressus erat, in commentatione, *phrasibus linguae latinae* praemissa. Nimirum verborum simplicium vim maxime aestimari dicit, aut *rebus*, quibus tribuuntur; aut *contrariis*, quibus opponuntur; aut *finitimis*, quibus adiunguntur; aut iis, *quibus explanantur*. EDVARDVS POKOKIVS, in *notis miscellaneis ad portam Mosis*, *p.* 3. *seqq.* operosiorem viam commonstrauit, indagandi genuinam vocum significationem; nimirum 1. vt *diuersa loca*, in quibus vocabulum legitur, inter se *conferantur*, quo obscurior locus per clariorem illustretur. 2. vt *perpenso diligenter loco*, dignoscatur, quae vocis πολυσήμου significatio ei quadret. 3. vt *versiones antiquae*, graeca, chaldaica, syriaca, cet. consulantur. 4. vt *rabbinorum antiquorum* pariter ac *nouorum*, qui multa a patribus accepta habent, explicationes inquirantur. 5. vt *vicinarum linguarum*, chaldaicae, syriacae, arabicae & aethiopicae collatio instituatur. In quibus tamen adminiculis plurimis multum incertitudinis esse, IAC. GVSSETIVS, in *praef. ad commentarios linguae ebraicae* pluribus ostendit. Hinc alii, ambagum pertaesi, bre-

breuiorem commodioremque viam inuenire ſtuduerunt, qua hanc adire Corinthum liceret, dum ſcilicet ipſis Ebraeorum litteris quendam valorem, notionemque quaſi hieroglyphicam, ex illarum ductibus aeſtimandam, inſitam eſſe putauerunt: vt adeo ſingulis conſonantibus ſua per ſe conſtet ſignificatio; dum exempli cauſſa א notat *actiuitatem* & *motum* omnem in genere, ב *trinam dimenſionem*, ג *flexum* & *obliquitatem*, ד alio factam *protruſionem*, atque *promotionem*, ה *praeſentiam*, vel *adeſſentiam demonſtratiuam*, ו *copulationem* atque *annexum*, cetera. Sic ארץ *terra*, notat א *motum*, qui ר *erumpit*, ץ cum *violentia*. Haec ſententia, cui FRANC. HELMONTIVS, in *alphabeto naturali p. 84.* quodammodo praeluſerat, noſtra aetate a viro, doctrina pariter & ingenio pollentiſſimo, CASPARE NEVMANNO, in *Geneſi* & *Exodo linguae ſanctae*, nec non in *claue domus Heber* orbi erudito epoſita, (de quibus laboribus videatur *curriculum vitae Caſp. Neumanni*, eius *trutinae religionum* praefixum; a vener. VALENTINO ERNESTO LOESCHERO, *lib. I. de cauſis linguae ebraeae c. X. p. 139. ſeqq.* & paſſim in *relationibus innocentibus* adprobata; a PAVLO MART. ALBERTI, in *porta linguae ſanctae*, adoptata; & a ven. IO. GVIL. ZIERROLDO vlterius exculta fuit. Nec intra otioſas ſpeculationes res ſubſtitit; verum actu etiam ad aliqua loca ſcripturae ſacrae, immo ad integros ſacri codicis libros, adplicata, & in vſum deducta fuit. Ita clar. CASP. NEVMANNVS, diſſertatione epiſtolari ad illuſtrem LEIBNIZIVM, ex hypotheſi ſua expedire conatus fuit difficultates *de Vrim & Thummim*, & *de cibo Samariae obſeſſae*, qui 2 Reg VI, 25 חֲרִיוֹנִים dicitur: quae vox compoſita eſt, cuius poſterior pars יוֹנִים *columbas* denotat, prior חֲרִי, ex viri celeberrimi ſen-

tentia, motum, vbi aliquid ח *colligitur*, atque ר *eliminatur*, י *longis ductibus*, h. e *collectanea electamenta frumenti, columbis destinata*. ven. IO. GVIL. ZIEROLDVS edidit *analogismum nominum & rerum ex psalmo I.* Stargardiae MDCCI. nec non באר היטב *s. expositiones variorum locorum scripturae*, per varias sectiones vernacula lingua continuatas; item commentarium in *ecclesiasten Salomonis*, & *Iobum*. Nuper etiam autor anonymus sub titulo, *einges Christen Ergebenen*, Vratislauiae edidit *tentamen interpretationis cantici canticorum* methodo Neumanniana; vt alia taceamus. Quamuis vero noua ista hypothesis ab inuentoribus & amatoribus suis, vt fieri solet, mirificis laudibus ornata fuerit, tamquam *lux, ebraismi tenebras & ambiguitates tandem aliquando dissipatura, qua adsolutissima philologorum capita infixitis dubiis liberentur;* aliorum tamen virorum doctorum plausum mereri non potuit, quibus plus ingenii ac lusus, quam veritatis atque vsus habere visa fuit, quaeque in illis ipsis vocibus, quae quam maxime philologorum capita adfixerunt, quaerentem destituit, & loco certi, stabilis atque indubii significatus, *vagam & in mille formas flexilem ideam* parit, quae adflictis addit adflictionem. Quantopere enim auctores ac patroni huius hypotheseos inter se dissentiant, in adsignanda singulis consonantibus significatione hieroglyphica & essentiali, quiuis obseruat, qui eorum inter se meditationes contulerit conf. *Unschuld. Nachrichten anni MDCCXIII p.* 322. † Examini vero illam sententiam subiecit clar. CHRIST. BENED. MICHAELIS, in diss. *de vocum seminibus ac litterarum significatione hieroglyphica*, Halae MDCCIX habita. Addatur IO. IAC. SCHVDT, in *genio*

† Addatur ven. CARPZOVII *critica sacra p.* 190. *seqq.* vbi etiam haec hypothesis modeste expenditur.

genio & indole linguae sanctae, p. 32. & IO. PETR. REVSCHIVS, in dyade philologica, de *naturali fundamento linguae Ebraeorum*, Ienae MDCCXVIII nec non HENR. SCHARBAV, in *parergis philol. theol. part. II. p. 127. seqq.* qui historiam huius inuentionis succincte exhibet.

§. III.

Si vox, cuius significatio indagatur, deriuata sit, merito ad primam eius *originem* recurritur, vt ex etymi notione de significatu vocis, inde descendentis, iudicium quodammodo formari queat;* quamuis modum ea in re obseruare, vsumque consulere, par sit. **

* Si significatio vocis יתרון Cohel. I, 3. indaganda sit, ad eius radicem יתר descendendum est, quae significat, *residuus fuit*, vnde יתרון est aliquid *restans*, siue *bonum residuum*, *superstes*, adeoque etiam *constans* ac *perenne*. Ita per גליונים Esa. III, 23. quod R. SALOMO, KIMCHIVS, & alii de *speculis* interpretantur, rectius intelligendae esse videntur *vestes pellucidae*, a luxu inuectae, corpus muliebre magis *nudantes*, quam tegentes; a radice גלה *reuelare*, *retegere*: vt post IACOBVM GVSSETIVM, *comment. linguae ebr. p. 169 etiam* CAMP. VITRINGA ad *h. l.* obseruauit. Plures sunt in illo contextu Esaiae obscuriores voces, quarum significatio ex etymologia coniectanda est, de quibus conf. IO. CHRISTOPH. FISCHERI diss. *de ornatu mulierum*. Eodem subsidio etymologico, in multis animantium nominibus explicandis, docte vsus est viri docti prodigium, SAMVEL BOCHARTVS, in *hierozoico*. Pariter se res habet in N. V. Quid Col. II, 23. ἐθελοθρησκεία denotet, optime ex origine vo-

cis perdiscitur. θέλην enim est velle; θρησκεία, *cultus*. Hinc ἐθελοθρησκεία non proprie significat *cultum electitium*, sed *voluntarium*, siue *spontaneum*, qui proprio instinctu, sine coactione, praestatur, vt solet cultus, humano ingenio excogitatus. Sic ἐθελοδουλεία est *voluntarium & ad omnia promtum seruitium*; ἐθελοκακία *spontanea & deliberata malitia*, cet. vt pluribus ostendit ER. SCHMIDIVS, in *notis ad N. T. f.* 1205.

** Scilicet 1. *Vbi incerta est vocis origo, nihilque ad sensum eruendum conducit, non consultum est, illi operose inhaerere, aut ineptas fingere deriuationes.* Ita dubium est etymon vocis ארנבת *lepus*, Leu. XI, 6. צפרדע *rana*, Psal. LXXVIII, 45. ὄινον, *vinum*, Marc. II, 22. Ita ineptire videntur, qui cum R. IOSEPH, *caeli* nomen שמים deriuant ex שם, מים, *ibi* sunt *aquae*: vel cum R. SALOMONE & BECHAI ab אש *ignis*, & מים *aqua*, quia *caeli ex igne & aqua sint compositi*. Neque IAC. GVSSETII, in *comm. linguae ebraicae, p* 865. sententia iis, qui coacta fastidiunt, sese commendauerit, qui a מים *aqua*, & נשא *tulit*, *transtulit*, denominationem arcessit, *quia caelum transferat aquas ex proprio illarum loco, attollens & retinens sursum*; qui vir doctus, nisi tantopere contemneret linguarum orientalium cognatarum adminicula, facile concessit in sententiam illorum, qui a radice arab. *samawah*, *altus fuit*, deducunt. Quo etiam pertinet, quando idem vir celeberrimus, *p.* 273. vocem חנפה *hypocrisis*, Ier. XXIII, 15. deriuat ex חן פה *gratia oris* ac faciei externae, nihil boni intus habens; quum potius origo vocis ex חנף *contaminatus fuit*, deducenda esset. Plures eiusmodi incertas deriuationes in GVIL. STVCKII *antiquitatibus conuiualibus* occurrere, obseruat Cl. IO. LAVR. MOSHEIM, *obseru. sacr. lib. I. p.* 416.

Ad

Addatur Cl. LAMBERTI BOS diss. *de etymologia graeca*, ad calcem *exercit. philol. in N. T.*

II. *Non nimium in eruenda significatione primae origini fidendum est, quum* vsus *& consuetudo, penes quam ius est & norma loquendi, aliam saepe, & a vocis etymo diuerssissimam significationem introducat.* Sic vox προφητεία ex etymologia habet significationem *praedictionis*, a πρὸ & φημὶ; sed ex vsu etiam denotat *interpretationem scripturae*, Rom. XII, 6. Idem in voce סרים, ἄφεσις, περιποιεῖσθαι, Act. XX, 28. & aliis multis, accidit. Addantur ANDREAE IVLII DORNMEYERI *philologia biblica*, *cap. X. p. 67.* & HERM. VON DER HARDT *grammaticae exegeticae fundamenta; cap. IV. p. 44.*

III. *Vocum peregrinarum, textui interspersarum, deriuationes, ex illa lingua aduocandae sunt, cui suam originem debent.* Male igitur IVSTINVS martyr, AMBROSIVS, LACTANTIVS, *instit. lib. IV. cap. XXVI, 40.* vocem πάσχα, a graeco πάσχειν deriuauerunt, cum origine sit ebraea פסח *transitus*; cum terminatione chaldaica פסחא. Male nomen κῆφας, quod origine syriacum est, & *petram* denotat, ab OPTATO MILEVITANO a κεφαλὴ deriuatur; quae inuentio non displicet BARONIO, qui *tom. I. annal. ad an. XXXI. n XXVII. Adposite*, inquit, *quod apud Syros* petram *solidam sonat nomen Cephae, apud Graecos* caput *significat, ac si diuina quaedam dispensatione factum videtur, vt vna eademque voce, duabus linguis Petri principatus exprimeretur.* Nimirum magno viro idem fere accidit, quod BALBO cuidam, qui *Neptunum* deducebat a *nando*; quod in persona Cottae falsa ridet CICERO, *lib. III. de natura deorum, §. LXII.* aitque, *Balbum magis sibi in ea originatione visum natasse, quam ipsum Neptunum.* Adde SAL. GLASSII

philol. sacr. lib IV tract III obs. V. p. 1275. & quos supra laudauimus auctores *lib I. cap. II. §. XIV. p. 49.* Magis vero peccant, qui vocabula, origine ebraea; ex aliis linguis arcessere student. Quo pertinet IO. PETRI ERICI, Isenacensis, & professoris Patauini, labor, qui scripsit *renatum e mysterio principium philologicum*, quod quidquid hodie linguarum est, ex graeco sermone profluxisse contendit. Sic *Mosis* nomen deducit ἀπὸ τῦ μόχθ, *vitulo*, ob tuberculos, vt ait, in fronte prominentes, *Adami* ab ἄδημ@, q. d. *peregrinus* & exul extra patriam, *Caini* ab ἀχεανος, quod est *leguminis genus*, cuius primitias Cainum DEO obtulisse putat; de quibus inepriis vid. *acta erudit. Lipsi. mense Iulio. MDCLXXXVI. p. 330.* †

§. IV.

Non raro etiam *ex radicibus cognatis*, * quarum magna est in lingua ebraea copia, adcuratior vocis significatio perspici potest, quae proinde diligenter inter se conferendae & perpendendae sunt.

* Cognatio illa radicum potissimum deprehenditur I. In *verbis imperfectis*, quae vel vnam ex litteris *quiescentibus*, vel *posteriores similes*, vel *nun* habent; quippe quae non solum formas suas inter se saepe permutant, sed etiam, ob litterarum cognationem, vel (α) prorsus eamdem habent significationem: vt יעט & עטה significationem *amictus*, בוז & בזה *contemtus*, יצר & צור, *formationis*, מול & נמל *circumcisionis*, כפת & כפן *incuruationis*, הום & המם *tumultus*: vel (β) euidenter saltem cognatam notio-

† Eadem hypothesis de lingua graeca reliquarum matre, arrisit PERMANNO VON DER HARDT, quem consutauit cel. CHRIST. BENED. MICHAELIS, tum singulari de hoc argumento dissertatione, tum in *commentatione apologetica, cap. I.*

notionem obtinent, vt זוע *moueri*, & יזע *sudor*, a vehementiori *motu* exiſtens; בלה *veterascere* & נבל *marcescere*, ſi folia quaſi inueteraſcunt; חול *dolere* & הלה *aegrum esse*, vel animo, vel corpore; שוע *opem* clamando *implorare*, & ישע *opem ferre* cet.

II. In *reliquis verbis* duplici potiſſimum modo iſta cognatio conſpicitur (α) *per* transpoſitionem *radicalium*, vt כסל & סכל *ſtulteſcere*; גזר & גרז *amputare*, פרץ & פצר *vim inferre*, (β) *per* litterarum *eiusdem organi* commutationem, vt עלז & עלס *exſultare*, רגז & רגש *commoueri*, בריאים & מריאים *ſaginata*, שחק & צחק *ridere*, סגר & סכר *claudere*, קשה & קשח *durum esse*; item *dentalium cum linguali-bus*, vt קוט & קוץ *fastidire*, פתר & פשר *interpretari*, זחל & רחל *timere*, טבח & זבח *mactare*, cet. Excellit in hac radicum cognatione obſeruanda IO. FORSTERVS, Reuchlini diſcipulus, & IO. AVENARIVS, in *lexicis* ſuis *ebraicis*. Addatur ven. VAL. ERN. LOESCHERI docta commentatio *de cauſſis linguae ebraeae lib.* II. *cap.* VI. *p.* 361, vbi *de familiis ebraearum vocum* pluribus agitur; it. clar. CHRIST. BENED. MICHAELIS diſſ. *de vocum feminibus*, *cap.* I. §. XV. *p.* 19.

§. V.

Accedat *vſus biblicus*, praeſtantiſſimum certiſſimumque hoc in genere adminiculum,* vbi vox, concordantiarum ope, vbiquumque in ſcripturis occurrit, indagatur, atque ex locorum omnium inductione & collatione certa eius ſignificatio definitur. **

* Vſus eſt quam maxime iſthoc ſubſidio vir diligentiſſimus, IOANNES FORSTERVS, qui Witebergam olim eruditionis ebraicae laude illuſtrauit. Is enim, neglectis rabbinis, (conf. *infra p.* 534.) codicem ſacrum diligenter conſuluit, & quoties de voce ali-

qua obscuriore agebatur, euolutis plerisque locis, tandem ex eorum collatione significationem in dictionario suo illi adscripsit; quo nomine laudatur ac defenditur ab ABR. CALOVIO, in *proleg. ad biblia illustrata*, §. XIX. p. 16. Eandem viam se tenuisse testatur eiusdem academiae decus, WOLFG. FRANZIVS. Sic enim ille in *praef.* ad tr. *de interpretat.* p. 12. *Quando*, inquit, *dictum aliquod, prima fronte obscurius visum, cupio explanare, & in eodem oraculo animaduerto vnum aliquod vocabulum, in quo singularis vis est, ibi* 1. *ingredior in concordantias, siue ebraeas, siue N. T. graecas, cum illo vocabulo, cuius significationem cupio eruere.* 2. *Quia in concordantiarum codice vna vocula sub vna radice interdum plus quam centies ponitur, nulli parco labori & tempori, sed ordine iuxta manuductionem & indicationem concordantiarum quaero omnia illa centum, ducenta, aut plura loca, in ipsis bibliis ebraeis, aut N. T. graeco.* 3. *In capite biblico, in quo iuxta adnotationem concordantiarum reperio thematis, seu radicis istius voculam, ante omnia diligenter considero illum ipsum versiculum in quo vocula exstat.* 4. *Interdum illud totum caput ab initio ad finem, immo interdum tria capita, vnum, quod antecedit, alterum, quod sequitur, cum intermedio, voculam complectente, percurro, vt ex aestimatione integrorum contextuum veram significationem inueniam.* Idem in *introductione*, illi tractatui praemissa, p. 60. narrat. Eandem methodum ingressus est DANIEL FESSELIVS, in *aduersariis sacris*, vbi subinde inuestigare solet, quot modis vox aliqua in sacro codice adhibita inueniatur; deinde eos modos omnes, tamquam varias significationes, certo ordine, plerumque ad causarum seriem exacto, philosophice disponit, remque omnem in tabellam redigit; quod institutum etiam placuit GODOFR. WEGNERO, vt adparet ex

spe-

specimine sui conatus, anno MDCLXX edito, quod euolutionem radicis בראּ complectitur; nec non clar. CHRIST. STOCKIO, *in claue linguae sanctae* Sed inter primos laudari meretur, qui inter vltimos ad hanc rem accessit, IAC. GVSSETIVS, in *commentariis linguae ebraicae*, qui ipse in *praefatione* operis methodum, quam sectatus est, exponit.

** Septies e. c. in sacro codice occurrit vox עלמה *almah*, & semper quidem de *puella virgine*, cuius pudorem vir nondum retexit: (recte enim IAC. GVSSETIVS, *comment. linguae ebr.* pag. 608. *D.* obseruat, sic dici in antithesi ad illum actum, quem scriptura dicit גלח ערוה *galleh eruah*) scilicet 1) *Gen. XXIV*, 43. de Rebecca virgine; 2) *Exod. II*, 8. de iuuencula Mosis sorore; 3) *Psal. LXVIII*, 26. vbi *alamoth tophephoth* sunt virgines pulsantes tympana. 4) *Cant. I*, 3. vbi *alamoth* virgines, sustinent emblema castarum animarum, quae se a mundi commercio puras seruauerunt. 5) *Cant. VI*, 8. vbi *virgines* opponuntur maritatis. 6) *Prou. XXX*, 19. vbi inter quatuor imperserutabilia refertur דרך גבר בעלמה *via viri in virgine*, qua phrasi, ex optimorum interpretum mente, denotantur clandestini amores & congressus, quos vir exercet cum virgine hactenus intacta atque innupta, quae vero eo ipso virgo esse desinit, quamuis forte ab aliis, rei ignaris, adhuc pro virgine colatur atque honoretur. † Conf. IO. CHRISTOPHORI WAGENSEILII *tela ignea satanae*, *p.* 399. & IO. SAVBERTI dissert. *de Haalma*, in *palaestra philologico-theol. p.* 140. Quum igitur in omnibus reliquis locis haec vox denotet *virginem innuptam*, & *virum nondum expertam*,

† NIC. GVRTLERVS in *syst. theol. proph. p.* 375. per *viam viri in virgine* intelligit conceptionem Messiae in vtero virginis.

merito etiam 7) *Esa.* VII, 14. ita accipitur. Plura eiusmodi specimina significationis, per inductionem locorum exploratae, dabit WOLFG. FRANZIVS de *interpretatione p.* 490. 700. cet. & MARTINVS GEIERVS, passim in doctissimis suis commentariis.

§. VI.

Ex ista vero locorum inter se collatione is maxime fructus reportandus est, vt *generalem* vocis *conceptum*, sub quo reliquae specialiores significationes comprehenduntur,* quantum fieri potest adaequamur: quae res ad iugulandam linguae sacrae aequiuocationem ambiguitatemque, quae ipsi ab hostibus acerbe exprobratur,** quam plurimum confert.

* Inter viros doctos, qui operam dederunt, vt quaeuis vox ebraea vnicam *significationem formalem* retineret, ex qua reliquae omnes deriuari possint, post IO. FORSTERVM, qui aliquid in ea re tentauit, primo loco nominandus est SAMVEL BOHLIVS, qui Rostochii anno superioris seculi trigesimo septimo edidit XII. *disputationes, pro formali significationis eruendo in explicatione scripturae;* quibus PHILIPPVS HARTMANNVS, Bohlii discipulus, decimam tertiam adiecit, quae & magno *thesauro philologico* disputationum, qui in Belgio MDCCI. prodiit, *tom I p.* 1. *seqq* insertae leguntur: quem scopum etiam vir eruditus in *disputationibus de Dei attributis* sibi proposuit; nec non in *commentario biblico-rabbinico super orationem tertiam Esaianam* c. VII-XII. Equidem optimam & laudabilem docti theologi intentionem fuisse, negari non potest; ad quam tamen obtinendam non semper vsus est legitimis mediis. Primum enim formalem illum ac generа-

neralem conceptum non tam ex collatione locorum, quam ex foecundo, quod nactus erat, ingenio formauit; deinde plerumque abstractis eius, quos vocibus adsignat, conceptibus abstrusa admodum subtilitas ineſt, vt quum *disput. VII. §. XXXVI* significationem formalem radicis אמר esse dicit, *intendere aliquid, & quidem magis abstracte, quam cogitando fieri potest*, item quum *disput. II. §. XVIII.* formale radicis כרך constituit in *demissione*, & quae sunt his similia, saepe satis coacta. Denique res non caret periculo, quum veritatis hostes vel facile abuti possint laxis illis & amplissimis significationibus; vel ad imitationem illarum alias, suis hypothesibus fauentiores, ingenio duce, comminisci. Videantur eruditorum de BOHLII labore iudicia in AVG. PFEIFFERI *critica sacra; cap V. sect. II. p. 175.* & *thes. hermen. cap. VI. p 288.* in VAL. ERN. LOESCHERI tr. *de caussis linguae ebraeae, lib. I. cap. X. p. 132.* IO. CHRISTOPH. WOLFII *historia lexicorum ebraic. p. 220.* IO. HENR. MAII *introd. ad studium philol. & crit. cap. IV. §. X.* ac IAC. GVSSETII *comment. linguae ebr. p. 948. seqq.* Maiori laude hoc in campo versatus est hic ipse IAC. GVSSETIVS, qui ex sola locorum biblicorum collatione, ac diligenti consideratione analogiae ebraicae, in significationum ad vnum conceptum generalem reductione, egregia praestitit; quamuis, quum non tam lexicon scribere, quam multorum annorum labore collecta in lucem edere visus sit, largum adhuc spicilegium aliis reliquerit instituendum conf reu. IO. CHRISTOPH. WOLFII *histor. lexicorum ebr. p. 200. & acta eruditorum MDCCII. p. 443.*

Supereſt, vt rem aliquot *exemplis* declaremus. שפה generatim & *formaliter* significat *marginem* & *extremitatem* alicuius rei. *Speciatim* α) extremitatem oris, siue *labium*, idque vel *proprie*, pro parte oris,

oris, quae loquelae organon est, vt Psal. XXII, 8. vel *metonymice*, pro sermone, qui labiis profertur, Gen. XI, 1. β) extremitatem fluuii siue *ripam*, Gen. XLI, 3. γ) extremitatem maris, siue *littus*, Exod XIV, 30. δ) extremitatem vasis, calicis cet. siue *marginem*, 1 Reg. VII, 26. ε) extremitatem vestimenti, siue *fimbriam*, Exod. XVIII, 32. Ita notio *extremitatis* sese per omnes significatus diffundit, & prout illa ad res diuersas adplicatur, diuersas accipit denominationes. Similiter radix אדם a qua primus homo nomen sortitus est, formaliter denotat *pulchrum ac formosum esse*, cuius significationis vestigia non solum in lingua aethiopica adhuc supersunt, teste doctissimo viro, IOBO LVDOLFFO, in *hist. aethiop. lib. I. cap. XV. n. 17.* sed etiam in ipsa scriptura, Thren. IV, 7. Prou. XXIII, 31. deprehenduntur. Primus igitur homo nomen suum non a rubedine accepit, quia ἀπὸ τῆς πυῤῥᾶς γῆς φυραθείσης, *ex humo rubra macerata* factus sit, vt vult IOSEPHVS, *antiqu. lib. I. cap. II.* vnde enim hoc probabitur? sed ab *absoluta perfectaque elegantia ac pulchritudine*, quae in ipso, beneficio imaginis diuinae, resplendescebat. Quum autem, quae suauiter *rubent*, vulgo pro pulchris habeantur, hinc etiam radix, pro captu materiae subiectae, *notionem ruboris* habet; conf. IO. HENR. MAII *theol. prophet. p. 149.*

Magnas saepe difficultates hoc adminiculo facile remoueri posse, sequentia exempla docebunt. 2 Sam. VIII, 18. *filii Dauidis* כהנים dicuntur Luth. *Priester.* Quomodo vero *sacerdotes* esse potuerunt, qui non fuerunt ex tribu leuitica oriundi? coll. Num. III, 10. Nimirum formalis conceptus rad. כהן est *accedere;* in Piel, *accedere facere*, seu *adplicare, propius admouere*, coll. Esa. LXI, 10. Igitur כהנים sunt, *quibus propius, quam aliis, accedere licet*, siue ad *Deum*, vt sacerdotibus, siue ad *regem*, vt ministris

ſtris primariae dignitatis, quales erant filii Dauidis, הראשנים על יד המלך *primi ad manum regis*, vt vocantur 1 Par. XVIII, 17. Similiter, quum Pſal. XL, 7. Meſſias picit: אזנים כרית לי quae Ebr. X, 5. ita adlegantur: σῶμα κατηρτίσω μοι; facile haec inter ſe componi poſſunt, ſi notetur 1) radicem כרה formaliter & abſtracte conſideratam, habere notionem *parandi*, *formandi*; vbi autem ad foueae parationem & excauationem transfertur, *fodiendi* ſignificationem induere poteſt. Rectiſſime igitur per graecum καταρτίζειν redditur. 2) in ebraeo exprimi partem, ſcilicet *aures*; in graeco totum, ſcilicet *corpus*, vt ſenſus emergat: *praeparaſti ac formaſti mihi corpus, auribus inſtructum, & ad extremam obedientiam paratum.* Ita ſane prorſus non opus eſt, vt cum ISAACO VOSSIO, de *translatione LXX. interpretum cap. XXI. p. 66.* textum ebraeum hic a Iudaeis corruptum eſſe, fingamus.

** Solent enim ebraismi hoſtes id quam maxime vrgere, vni ſaepe vocabulo decem pluresue ſignificationes, prorſus nonnumquam contrarias, in lexicis adſignari, vnde ſatis adparere putant ſummam ebraeae linguae ambiguitatem. Inflant hanc tibiam, quanta vi poſſunt, *pontificii*, quorum intereſt, ſcripturam dubiam incertamque reddere. Eo fine inter recentiores RICH. SIMON ingenio ſuo abuſus eſt, in *hiſt. crit. V. T. lib. I. cap. XXXI. & lib. III. cap. II. III.* Add. IAC. GORDONI HVNTLABI ſpecimen ambiguitatis ebraeae linguae ad Gen. I, 1. in SAL. GLASSII *philol. ſacr. p. 272.* Eadam chorda oberrat BENED. SPINOZA, in *tractatu theologico-politico, p. 93.* quo etiam IO. CLERICI labor ſpectat, *artis criticae part. II. ſect. I. cap. V.* Et negari ſane non poteſt, plurima lexica ebraica hoc vitio laborare, vt vni voci quam plurimas, easque diuerſiſſimas ſaepe ſignificationes, tribuant. Ita

ערב

ערב significat *miscere*, *negotiari*, *spondere*, *dulce esse*, *oppignorare*, *gratum esse*, *pertexere*, *adhesperascere*, *obscurari*. Ita חלל *fodiendi*, *saltandi*, *vulnerandi*, *profanandi*, *tibicinandi*, & *incipiendi* notionem habere dicitur, vt alia multa taceamus. Augetur malum per *significationes antiphrasticas*, vbi eidem voci contrariae significationes subiiciuntur, vt e. c. ברא & *creandi* & *exscindendi* ברך & *benedicendi* & *execrandi*, עזב & *deserendi* & *auxiliandi*, תאב & *desiderandi* & *abominandi* potestatem habeat. Doctissimi viri saepe ad hoc asylum ἀντιφράσεως sese receperunt, in difficultatibus quibusdam textuum sacrorum resoluendis, vt EDVARDVS POKOKIVS, in *notis miscell. ad portam Mosis, p 14.* Addatur IO BRAVNIVS, in *selectis sacris*, *lib. V. p 657.* & IO. CLERICVS, *ad Leu. XI, 4.* Verum IAC. GVSSETIVS, *comment. lingu. ebr. p. 150. 154.* non nisi in casu euidentis necessitatis eo deueniendum esse, prudenter censet; PAVLVS BERGERVS vero in *diss. de antiphrasi scripturae sacrae*, *Witeb. MDCCII* illis omnino nuncium mittendum esse, statuit.

Iste vero morbus, in quem linguam ebraeam nonnulli coniecerunt, non certius sanari potest, quam si vel omnibus, vel pluribus saltem radicibus vnus aliquis ac primarius significatus tribuatur, ex quo reliqui deriuari possint, cuius specimen AVG. PFEIFFERVS, *thes. herm. p. 256.* dedit in rad. דבר eiusque deriuatis. Addimus alia. Radici ערב nouem fere diuersas significationes in lexicis adsignari, paullo ante diximus, quae tamen omnes generatim *mixtionem* inuoluunt. Illa commixtio si fiat in commerciis, *negotiationis* nomen adsumit. In *sponsione* personae non minus inter se miscentur, & vna alteri quasi substituitur, quod & in *oppignorationes* rerum contingit. Quia vero eiusmodi mixtiones

nes ciuiles non fiunt, nisi res, de quibus agitur, placeant, hinc etiam notionem *iucundi* induit; vel etiam, quia mixtio & temperatura diuersarum qualitatum *dulcedinem* ac suauitatem nonnumquam inducit. Denique, quia vesperascente caelo fit mixtura lucis & caliginis, *vesperascendi* etiam & *obscurandi* significationem accipit. Ita adparet: omnes: vt videntur, disiunctissimos huius vocis radios in centrum *commixtionis* coire, vt pluribus ostendit IAC. GVSSETIVS, *comm. linguae ebr. p.* 637. Addamus exemplum antiphrasticum. Ad vocem ברך in *Piel* 10. BVXTORFIVS, in *lexico ebraico & chald. p.* 90. adscribit, *benedixit*, *salutauit*, *valedixit*: per euphoniam est etiam quandoque *maledixit*. Enimuero ברך in genere significat *precari*, *adprecari* alicui aliquid. Id si sub *aditum* fiat, *salutandi* verbo exprimitur, vt Gen XLVII, 7. si fiat sub *abitum*, tum recte vertitur per *valedicere*, vt Gen. XLVII, 10. Ita 1 Reg. XXI, 10. Naboth accusatur *valedixisse Deo & regi*, h. e. vtrique obsequium & cultum debitum renuntiasse. Quorsum & nonnulli referunt verba vxoris Iobi, cap. II, 9. *valedic Deo & morere*, quandoquidem aliud quid exspectandum non restat. Quamuis alii in mitiorem illa partem interpretentur; *lauda modo Deum & morere*; quasi miretur, maritum adeo omnem sensum exuisse, vt possit Deum adhuc laudare in tantis malis, quum mors oculis insideat. Ita vero non opus est ad antiphrasin deuenire, & de *maledictio e* cogitare. Haec via si teneatur in sermone ebraeo tractando, innumerae aequiuocationes excludentur, sanctissimaeque linguae sua firmitas, suusque nitor restituetur, ac simul calumniatores eius ad pudorem ac silentium redigentur. Addatur HENR. GOTTLIEB REIMER praefatio, *de praetexta amphibolia & difficul-*

cultate linguae ebraeae, quam praemisit tractatui, *de discrimine inter litteras seruientes & non seruientes.*

§. VII.

Non raro etiam vis ac significatio vocis ac phraseos ex *oppositione* intelligitur, si illa loca diligenter obseruentur, in quibus voci indagandae alia opponitur, praesertim si id frequentius contingat. *

* Ita Esa. XLV, 1. הרורים opponuntur τῷ ישר ei, quod est *rectum*; adeoque *curua & anfractuosa*, intelliguntur: quod etiam linguae chaldaicae subsidio conformari potest, in qua הרר est *circuire*. Similiter Esa XXXII, 5. ex oppositione perspicitur, quid sit נבל & נריב. Scilicet נריב est homo recti animi, & ingenui sensus de religione, vel, vt 10. COCCEIVS in *lexico* describit, *qui vult & agit, quae hominem bonum & liberum decent.* At נבל est homo *flagitiose stultus*, *impius*, pessimis imbutus sententiis de Deo, prouidentia, ac religione. Ita radici רשש Ier. V, 17. opponitur Mal. I, 4. בנה aedificare, vnde illam *destruendi* notionem haberet adparet. Quid sit ὑπόϛασις, Ebr. XI, 1. oppositum vocabulum ὑποϛολῆς, Ebr. X, 39. perspicue docet. Quam maxime autem huic exercitio libet *prouerbiorum* Salomonis, ob crebras, quae ibi occurrunt, antitheses inseruit.

§. VIII.

Denique in vocibus, quae semel, vel rarius occurrunt, quarumque proinde significatio ex vsu biblico definiri non potest, ad *linguas cognatas orientales* confugere licet, quae plurimas radices deperditas vocum

cum ebraearum adſeruant, veramque earum notionem haud raro oſtendunt. *

* In explicandis vocibus *graecis* N. T. quae *ſemel* tantum occurrunt, (quarum IO. LEVSDENIVS MDCLXXXVI numerauit) non adeo laboramus, quum innumera exſtent graecae linguae monumenta, ex quibus iſte defectus ſuppleri poteſt. Ita e. c. verbum ἀναζωπυρεῖν ſemel tantum in N. T. occurrit II Tim. I, 6. vbi Timotheus iubetur ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα θεοῦ. Interim vocis ſignificatio ſatis adparet α) *ex notione partium*, ex quibus componitur, ἀνὰ *rurſus*, denuo, ζωόω *viuifico*, & πῦρ *ignis*. Vnde exprimit illam actionem, qua ignis, cinere obductus, adhibito folle, (qui ζώπυρον dicitur) rurſus ſuſcitatur, vt redardeſcat. β) *ex verſione LXX*, vbi Gen. XLV, 27. occurrit, item I. Macc. XIII, 7. γ) *ex auctoribus profanis*, PLVTARCHO & XENOPHONTE, apud quos legitur. Sic XENOPHON, *hiſt. graec. lib. V. p.* 449. ἐκ δὲ τούτου πάλιν τὰ τῶν Θηβαίων ἀνεζωπυρεῖτο. *Poſtea rurſus Thebanorum res quaſi* REVIVISCERE *coeperunt, vt iam aduerſus Theſpienſes bella mouerent.* Iubetur igitur Timotheus dona ſpiritus ſancti, quae acceperat, precibus, meditatione, & iugi pietatis exercitio fouere & augere, quo pectus igne illo caeleſti incaleſcat, & ipſe ζέων πνεύματι reddatur. conf. CHRISTOPH. SONTAGII *ſpicilegium obſeruationum exegeticarum in ſex* ἅπαξ λεγόμενα *N. T. obſ. IV. p.* 12.

In *ebraicis* vero vocabula ſemel, vel rarius occurrentia maiorem difficultatem adferunt, quum praeter ebraeum codicem, mole ſane exiguum, qui non poteſt omnes nobiliſſimae linguae radices angusto ambitu complecti, non ſuperſit alius liber, qui puri ebraismi

reliquias contineat. Vbi igitur vocabulum ἅπαξ λεγόμενον sese obtulerit, ibi ante omnia *contextus* consulendus est, & coniectandum, quam vocis significationem ea, quae circumstant, postulare videantur, vt sensus minime contortus & coactus prodeat; qua tamen in re caute agendum esse, recte monet IO. CLERICVS, *art. crit. part. I. c. IV. p.* 91. Deinde in ipso ebraeo codice circumspiciendum est, an hinc inde exstent *formae cognatae*, quae aliquid lucis rariori vocabulo adfundere possint. Denique, post inspectas antiquissimas istius loci *versiones*, *linguarum orientalium* cognatarum auxilium implorare iuuat, vt notionem, hoc modo detectam, ex illarum thesauris confirmemus. e. c. *Esa. V*, 25. *Fiet cadauer ipsorum* בְּסוֹחָה *in medio platearum.* Contextus praescribit, vt aliquid significetur, quod in plateis iacere, & omnium pedibus conculcandum expositum esse solet, de quo tollendo, & in terram recondendo, nemo cogitat. Inuenitur Thren. III, 45. cognatum סְחִי *quisquiliae, purgamentum.* Denique radix *arabica* significat *euerrere* domum, *purgare* limo puteum, cet. & nomen *Cosahh* denotat *sordes*, *purgamenta*, quae verrendo eiiciuntur; aethiopice autem *stercus*, seu *excrementum*, vt Phil. III, 8. Accedit consensus LXX interpretum, qui reddiderunt ὡς κοπρία. Hoc igitur modo vera huius vocis, quamuis ἅπαξ λεγομένης, significatio extra dubium posita est. Ita dum *Esa. LVI.* 10. falsi doctores dicuntur *canes muti*, *nescientes latrare*, חֹזִים *decumbentes*, *amantes dormitare*; facile ex contextu adparet, voce חֹזִים quae semel tantum exstat, eiusmodi actum exprimi, qui somnolentiam, torporem, vel aliquid cum somno cognatum, inuoluat; quique oppositus sit radici חָזָה a qua prophetae חוֹזִים dicebantur, ad quam vates tacite per elegantissimam paronomasiam adludit. Hic vero

vero succurrit lingua *arabica*, vbi radix *hadsah* significat *somniauit, delirauit per somnum.* Consentiunt graeci interpretes, qui reddunt ἐνυπνιαζόμενοι, coll. Iud. vers. 8. & AQVILA Φανταζόμενοι. Falsi enim prophetae falsis rerum imaginibus & ipsi deludebantur, & alios deludebant; hac ipsa in parte *canibus* dormitantibus similes, qui somnia sua latratu, vel gestu nonnumquam patefaciunt, vt docte obseruat SAM. BOCHARTVS, in *hierozoico part. I. p.* 980.

Equidem sunt viri eruditi, qui vel praeconceptis opinionibus imbuti, vel linguarum orientalium notitia destituti, hoc adminiculum spernunt, inter quos etiam IAC. GVSSETIVS nomen suum profitetur, in *comm. linguae ebraeae p. 6.* Rectius hac in parte IO. CLERICVS, *artis crit. part. I. cap. IV, p. 88. Quum constet*, inquit, *arabicam, chaldaicam, syriacam, ebraicam linguam dialectos esse potius, quam linguas diuersas: interdum ad ebraicarum vocum significationem adsequendam confugere ad vicinos populus prodest, quibus linguis alii etiam aethiopicam priscam adiunxerunt.* Similiter AVG. PFEIFFERVS, in *thes. hermen. cap. VI. p. 259. Egregie ebraismo suppetiantur linguae cognatae, praesertim arabica, in hunc usque diem florentissima.* quod *p. 289* pluribus argumentis confirmat. Eadem monet EDMVNDVS CASTELLVS, vir harum rerum peritissimus, in *praefatione lexici heptaglotti.* Addatur IO. FRISCHMVTHI programma, *quo arabicae linguae vsum amplissimum commendat.* Qui exempla desiderat, adeat SAM. BOCHARTI *hierozoicon*, opus orientali litteratura ad stuporem vsque refertum. LVDOVICI DE DIEV *animadversiones ad V. T.* ALBERTI SCHVLTENS *animadversiones ad Iobum, & reliquos V. T. libros.* EDVARDI POKOKII *notas miscellaneas ad portam Mosis.* ABRAH. HINCKELMANNI *praef. in Coranum*, IO. HENR.

HOTTINGERI *smegma orientale p.* 107. 201. qui integrum fere lexicon radicum ebraeae linguae deperditarum, atque ex reliquis orientalibus restitutarum, exhibuit. Iungatur etiam AVG. PFEIFFERI *critica sacra, cap. X. p.* 286. & IO. HENR. MAII *supplementum ad lexicon ebraicum Io. Cocceii.*

Huc quoque pertinent, qui *lexica harmonica linguarum orientalium* scripserunt; inter quos haud dubie palmam omnibus praeripuit EDMVNDVS CASTELLVS, in *lexico heptaglotto*, quem laborem etiam suscepit IO. HENR. HOTTINGERVS, in *lexico harmonico heptaglotto*. VALENTIN. SCHINDLERVS, professor linguarum Helmstadiensis, & Wittebergensis, in *lexico pentaglotto*, quod post auctoris obitum in lucem prodiit. IO. FRID. NICOLAI, in *hodogetico orientali harmonico*. LVDOVICVS THOMASSINVS, presbyter oratorii Parisiensis, in *glossario vniuersali ebraico*. Neque CL. CHRISTIANVS STOCKIVS, in *claue linguae sanctae*, istud adminiculum neglexit; vt alios taceamus, quorum catalogum dabit reuer. IO. CHRIST. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. II. p.* 548. 635.

§. IX.

Interim caute ac prouide ea in re versandum est, neque aliarum linguarum opem implorare licet, nisi post fruttra excussos linguae ebraicae sinus; * neque istis coniecturis plus, quam decet, fidendum, ** aut simplici soni conuenientiae, in linguis maxime europaeis, nimis innitendum est. ***

* Quid enim, quaeso, opus est, aliunde corrogare, quae domi habes? Ita nemo prudens adprobauerit PETRI KIRSTENII audaciam, qui in

notis

notis ad *euangelium arabicum Matthaei*, *f. 6* nomen *Immanuel* deducit ex arabico עם *populus* & כיל *robur*, vt fortitudinem *populi* denotet, quidquid contra dicat Matthaeus cap. I, 23.

** Non enim putandum est, hasce linguas ita ἐκ παραλλήλου sibi inuicem respondisse, vt eaedem radices eamdem in omnibus, aut similem, semper significationem habuerint. Saepe enim contingit, vt vna eademque vox in linguis adfinibus varia significet, vnde nihil hic adfirmandum est, quasi exploratum, quod non res ipsa, & series orationis, manifestissimum faciat; vt recte monet IO. CLERICVS, *art. crit. part. I. c. IV. p. 89. seq.* & in diss *de optimo genere interpretandi*, §. X. Insuper nemo negare poterit, linguas istas partim ex babelica confusione, partim ex seculorum fluxu, in plerisque ab ebraismo, etiam vbi conuenire videntur, insigniter discessisse, atque adeo in re magni momenti illis solis fidem habendam non esse, iudice reu. VAL. ERN. LOESCHERO, in *de caussis linguae ebraeae* commentario, *lib. I. cap. X. p. 138*

*** Recte AVG. PFEIFFERVS, *thes. hermen. cap. VI p. 266. Collatio linguae ebraeae cum armenica, iberica, aliisque europaeis, non quidem omnino aspernanda est, ob rudera linguae primaeuae in omnibus caeteris residua; cautione tamen opus est, quum voces europaeae, aliaeque exoticae, sono saepe cum ebraeis conueniant, licet sensu diuersissimae, vt* כלב *canis* & germ. *Kalb*, אור *lux* & Germ. *Ohr*, auris cet. Sicubi vero accidat, vt & sono, & significatione, conueniant, vt אור *ignis* & *uro*, אש *esch* & *aestus*, *aestas* לט לוט *latere*. עגב *amare* & ἀγαπᾶν. כלא *prohibere*, claudere, & κωλύειν. שאב haurire & *schoepfen*. זור *coquere* & *sieden* cet. tum haec conuenientia *subsidio mnemonico* inseruire potest. Plura

talia adnotauit IO. AVENARIVS, in *lexico ebraico*, qui & in præfatione modum ostendit, quo in eruendis eiusmodi originibus versari liceat. GEORGIVS CRVCIGER, in *harmonia quatuor linguarum cardinalium, ebraicae. graecae, latinae, & germanicae* MERICVS CASAVBONVS, in commentatione *de quatuor linguis, ebraica, graeca, latina, & saxonica.* THOMAS HAYNE, in dissertationibus *de linguarum harmonia*, quas cl. THOMAS CRENIVS in *analectis* recudi fecit. Celeb. HENR. MVHLIVS, in diss. *de origine variarum linguarum, stirpeque ac matre graecae, latinae & germanicae, ebraea.* Nec contemnendum eiusmodi vocum numerum congessit ven. IOACH. LANGIVS, in appendice *clauis ebraei codicis.*

Speciatim cum ebraea comparauit linguam germanicam ANDR. HELVICVS, in *originibus dictionum germanicarum ex ebraeo idiomate.* Graecam IO. CONR. KESLERVS, in diss. *de conuenientia ebraeorum & graecorum.* Danicam PETRVS WANDALINVS, in *catalogo trecentorum vocabulorum danicorum, ex ebraea lingua originem ducentium.* Laponicam OLAVS RVDBECKIVS, in *epistola ad Ioannem Wallisium, quam bibliothecae ebreae parti II.* inseruit reu. IO. CHRIST. WOLFIVS, *p. 639.* qui etiam *p. 637.* de clar. PHILIPPI MASSONII conatibus, linguam *sinensem* cum ebraea conferendi, videri potest.

§. X.

Non sufficit vero cognitam exploratamque habere vocum, quam *per se* habent, vim atque significationem; sed porro, adhibito iudicio critico, dispiciendum est, quae significatio voci *intra praesentis contextus vincula* tribuenda sit. *

* Non

* Non enim satis est, scire, quid vox, vel phrasis significare *possit*; sed quid hoc loco, pro circumstantis orationis argumento, *debeat* significare, diligenter considerandum est.

§. XI.

In hoc autem negotio si muneri suo satisfacere velit interpres, duo ipsi agenda incumbunt. Primum est, vt *verborum* vim ac significationem, quam loco praesenti continent, adsequatur. Alterum, vt *rerum*, verbis significatarum, naturam & indolem, ex suis fontibus deductam, solide explanet ac proponat.

§. XII.

In definienda igitur *vocum* intra contextum notione, opera danda est religiosissime, vt significatio, vocabuli ac phraseos prima, propria, ac vsitata, retineatur tamdiu, donec ab illa recedere manifestis indiciis cogamur. *

* Trita est regula: *Quaelibet vox stat pro significatu suo famosiore.* Vel, vt SAM. PVFFENDORFIVS, *de iure naturae & gent. lib.* V. c. XII. §. 3. exprimit: *Verba intelligenda sunt in proprio suo & famoso significatu, quem ipsis imposuit popularis vsus.* Vnde & SAMVEL BOHLIVS, in dissertationibus *de regula rustica, in explicatione scripturae reducenda*, inter alia monet, vt is, qui hac regula vti velit, *vi naturae semper sumat vocem in primaria & suprema significatione tamdiu, quam non veritas & color discernens aliud iubeat, & palpabilitas aliud doceat.* Ita, vt a minutioribus incipiamus, vsitata & consueta notio particulae ἐν haec est, vt designet *locum ac spatium, in quo res aliqua subsistit.* Vnde haec vsitata significatio merito retinetur Matth. XXII, 37. vbi

vbi iubemur Deum diligere ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ, vt ita demonſtretur *ſedes interna* amoris diuini; vti altera phraſi, Luc. X, 27. Deum amare ἐξ ὅλης τῆς καρδίας, *externa teſtimonia* & *actus amoris* indicantur, qui ex fonte interno in conſpectum hominum promanant. Vox אלהים a radice arabica *alaha*, colere, *adorare*, deſcendens, proprie & primario deſignat *Numen ſummum, religioſe colendum*; coll. Deut. IV, 35. יהוה הוא האלהים Haec conſueta & famoſa eſt huius nominis ſignificatio, quamuis 10. CLERICVS, ad *Gen.* I, 1. ſine vlla ratione ſtatuat, hoc nomen in ſcriptura *ex aequo creaturas eximias, & creatorem ſignificare*; quam ſententiam ſolide refellit ven. SAL. DEYLINGIVS, *obſeru. ſacr. lib.* I. *obſ.* II. *p.* 8. Praeter hanc etiam improprie de *angelis* & *magiſtratibus*, ſed multo rarius & infrequentius, adhibetur. Famoſa igitur illa ſignificatio merito retinetur Gen. XXI, 19. vbi אלהים *Deus* dicitur aperuiſſe oculos Hagaris. At Pſal. LXXXII, 6 ſ. contextus & analogia fidei ab hoc famoſiore ſignificatu diſcedere, & locum de *magiſtratibus iudaicis*, qui Dei vices gerebant, explicare cogunt; niſi Deum mortalem fingere velis. Similiter nomine שועלים vt plurimum *vulpes*, voce זנב *caude animalis* in ſacris paginis deſignatur, a quo famoſiore ſignificatu ſine vllo idoneo fundamento receſſit, qui in *obſeruat. ſelectis*, *tom.* VIII. *obſ.* XIV *p.* 383. in loco illo notiſſimo Iud. XV, 4. loco *vulpium* captarum, caudisque, face interpoſita, iunctarum, orbi erudito obtrudere voluit *manipulos ſtramineos* (*ſtrohwiſche*) duabus *extremitatibus* ſibi inuicem obuerſos; aliorum hinc riſum, illinc iram nouo ſuo conatu meritus. Sic & in integris phraſibus. E. g. *tollere animam ſuam ad aliquid*, eſt vehementer aliquid deſiderare, vt Pſal. XXV, 1. Pſal. LXXXVI, 4. Pſal. CXLIII, 8. Vnde merito etiam ita accipitur *Hoſ.*

IV,

IV, 8. *ad iniquitatem eorum tollunt animam ſuam*, h. e. ſacerdotes inhiant peccatis populi, vt canis offae, cogitantes, ſecundum KIMCHIVM: *quando peccauerint, ſacrificia pro peccato & reatu adducere cogentur, quae comedemus.* Rectius, quam alii vertunt: *ad ſuam nequitiam excitant animum quisque ſuum.* Ceterum famoſa illa vocis ſignificatio non pendet a teſtimonio lexicorum, ſed a *conſtanti ſcripturae vſu.* Vnde facile adparet, quid de pontificiorum accuſatione habendum, qua certitudinem noſtrarum interpretationum vltimo reſolui cauillantur in fidem lexicographorum; ac proinde nobis occinunt: *annon maior ſit auctoritas patrum, quam vnius, aut alterius miſelli lexicographi?* Ἄτοπα haec eſſe, quiuis videt. conf. AVG. PFEIFFERI *theſ. herm. cap. VI. p.* 282.

§. XIII.

Quodſi vox, vel phraſis occurrit, quae ad res plures ſignificandas apta nata eſt; tum ſtatim ad σύγκρισιν procedendum, videndumque eſt, quaenam ex notionibus praeſenti loco quam optime conueniat. *

* Multus eſt IO. CLERICVS, *art. crit. part.* II *ſect.* I *cap V.* in exaggerandis difficultatibus, quas vocabula πολύσημα in interpretanda ſcriptura lectori obiiciant. Sed plures ſaepe, non optimo conſilio, fingi ambiguitates, quam reuera exſiſtunt, non diffitendum eſt. Facile enim de eligenda inter plures ſignificatione conſtare poteſt, ſi in conſilium adhibeatur.

I. *Rei natura & indoles.* Ita ſane non eſt Oedipo opus, vbi *pes* vel *corporis* humani, vel *lecti*, vel *carminis* intelligatur: ipſa ſubſtrata materia id declarat. Quidnam ſit σὰρξ καὶ αἷμα, cum quo Paulus Gal. I, 16. non ſtatim contuliſſe dicitur, quum ad munus apoſtolicum obeundum vocaretur, ex rei indole

dole obscurum esse non potest. Nequaquam scilicet caeca, & corrupta natura, hanc enim neque citius (εὐθέως, v 16.) neque serius (ἔπειτα, v. 18.) consulere par erat; verum *alii homines mortales*, quos ebraei בשר ורם adpellare solent, quales erant seniores apostoli, diu post haec demum a Paulo salutati. *Prophetiam* illam, quam apostolus iubet Rom. XII, 6. secundum analogiam fidei administrare, non esse posse donum diuinum; futura vaticinandi, res ipsa loquitur. Illud enim nulla prorsus norma regitur, sed ab ipso diuino influxu & moderamine totum pendet; vt supra obseruauimus, *cap.* I. §. II. *p.* 89.

II. *Scopi consideratio.* Vtrum verbum τηρεῖν, Ioan. XV, 20. in *meliorem*, an *deteriorem* partem accipiendum sit, scopus docere potest. Constitutum enim erat optimo seruatori, non laeta, sed *tristia* discipulis suis praenuntiare, ad magistri exemplum forti animo toleranda, vt sensus sit: si mea verba *insidiose obseruauerunt*, vestri etiam sermones eadem fata inter Iudaeos pertinaces habebunt. Conf. LXX. Gen. III, 15. Marc III, 2. Verbum *pascendi*, metaphorico sensu acceptum, modo imperandi ac *regendi*, vt Psal. LXXVIII, 72. modo *docendi* notionem habet, vt 1 Petr. V, 2. Posteriore autem, non priore sensu, accipi Ioan. XXI, 15. 16. *pasce oues meas*, ex scopo Christi adparet, qui hoc triplici mandato Petrum non rerum gubernaculis admouere, sed denuo confirmare voluit in munere apostolico, cuius priuilegiis per trinam Christi abnegationem excidisse videbatur.

III. *Antecedentium & consequentium collatio*, quam haud immerito WOLFG. FRANZIVS, de *interpret. praef. p.* 14. *normam* esse ait, *qua res, difficillimae visae; tum quoad linguam, tum quoad ipsam materiam, penitissime certissimeque ita inuestigen-*

gentur, vt conscientiae sufficienter tranquillentur, adeo vt ne minimum quidem dubium ipsis relinquatur. Ita Matth. XXI, 25. per *caelum* intelligi, Philo Iudaeorum, ipsum DEVM, antithesis docet, quia sequenti statim membro caelum *hominibus* opponitur: *baptismus Ioannis fuitne ex caelo, an ab hominibus?* At quum Luc. XII, 56. Pharisaei faciem *caeli* contemplari dicuntur, illa pars *aëris* intelligitur, in qua mouentur nubes, quarum v. 54. mentio facta erat. Rursus, quum Phil. III, 20. conuersatio fidelium *in caelis* esse dicitur, vel puer intelligit id non de aëre, seu regione nubium intelligi posse; sed necesse est, caelos accipi pro *sede gloriae diuinae*, quia, tale caelum intelligendum esse, sequentia docent, vnde dominum nostrum Iesum Christum expectamus. Luc. I, 78. vocem ἀνατολὴ quae & *plantam*, Zach. III, 8. & *exortum sideris* designat, h. l. posteriore sensu esse capiendam, sequens versus 9. ostendit, vbi adparitura dicitur esse ἀνατολὴ illis, qui *sedent in tenebris & vmbra mortis;* vt adeo hoc nomen non ex re hortensi, sed astronomica, hoc in loco desumtum sit.

IV. *Collatio parallelismi realis.* Ita quum dubium forte esse possit, vtrum Psal. CIV, 4. per רוחות intelligendi sint *venti*, an *spiritus* ac genii caelestes; locus parallelus Ebr. I, 7. 14. omne dubium tollit, vbi haec πρὸς τοὺς ἀγγέλους scripta dicuntur. phrasis Gen. XIX, 26. inuoluat, vbi de vxore Lothi dicitur ותבט מאחריו *respexit a tergo eius*, Lothi) locus parallelus Luc XVII, 31. 32 docere potest, ex quo adparet, eam non simpliciter vultum ad vrbem reflexisse, sed *redisse in Sodomam*; aliquid supellectilis inde exportaturam, vbi sulphureo imbre oppressa, cumulus bituminis facta est. Conf. HENR. BENEDICTI STARCKII *ebraismos etymologicos, p. 80. seq.*

Obser-

Obseruandum tamen est 1. *parallelismum verbalem*, vbi eadem vox, vel phrasis recurrit, *non semper sufficere ad litem dirimendam. Idem* enim *verbum*, vt dudum monuit AVGVSTINVS, de *doctr. christ. lib III. cap. XXV. non semper idem vbique significat:* siquidem saepissime in diuerso contextu eadem vox ac loquutio diuersum nanciscitur significatum. Ita procul dubio vanus esset, qui verba 1 Petr. IV, 12. μὴ ξενίζεσθε τῇ ἐν ὑμῖν πυρώσει, ita explicanda censeret: *ne*, solo patrio relicto, *peregrinemini*, aliorum hospitia quaerentes, *in aestu adflictionem* cet. quia verbum ita occurrat Act. X, 6. cap. XXI, 16. Alio enim significatu h. l. accipi, res ipsa commonstrat, scilicet de illa animi commotione, *qua quis inexspectata rei alicuius insolentia percellitur, eaque offenditur.* Eo minus autem hoc mirabitur, qui cogitauerit, saepe in eodem contextu vocem diuersimode adhiberi, vt Ioan. I, 10. in *mundo* erat, & *mundus* per eum factus est, & *mundus* eum non cognouit. Matth. VIII, 22. *mortuos* sine suos *mortuos* sepelire cet.

Deinde obseruandum 2. *parallelismum profanorum auctorum non semper esse tutum adminiculum, ad veram vocis significationem definiendam.* Quo pertinet, quando 10. CLERICVS, malae caussae patrocinaturus, in *art. crit. part. II. sect. I. cap. VII. p. 210.* conquisitis multorum profanorum auctorum locis, probare adnititur, φύσιν denotare *indolem gentis*, vt, quando Paulus Eph. II, 3. dicit: ἤμεν τέκνα φύσει ὀργῆς, nihil amplius dicere voluerit, quam *iudaicae gentis indolem fuisse nequissimam, & ira diuina dignam.* Sed contextus potius hic attendendus est, ac rei indoles, quam corrogata profanorum suffragia. Eramus, inquit Paulus, *filii natura irae*, quasi filii irae naturales, in oppositione ad eos, qui

filii

filii dicuntur adoptione, quales fiunt homines post natiuitatem per commissa scelera; vt sensus sit: *Nos Iudaei perinde, vt reliqui homines, quos male prae nobis contemnere solemus ob generis nostri sanctitatem, omnes eramus aliquando irae diuinae obnoxii, & quidem ex ipsa natiuitatis origine, qua naturam a parentibus, non sanctam, sed inquinatam accepimus.* Vt adeo haec verba opposita sint fastui iudaico, quo se iactabant esse *semen sanctum*, vtpote *filios Abrahami*, Ioh. VIII, 33. 41. gentiles vero, quod ex parentibus idololatricis essent progeniti, tamquam ex natiuitate peccatores & immundos, alto supercilio contemnebant, coll. Gal. II, 15. vt docte obseruauit GVIL. ESTIVS, apud ABRAH. CALOVIVM, in *bibl. illustr. ad h. l. p.* 673.

In primis 3. *cauendum, ne vocibus, quas scriptores sacri peculiari sensu vsurpauerunt, eas supponamus ideas, quas profanorum auctorum vsus suppeditat.* Ita toto caelo aberraret, qui vocabulum *iustitiae* in epistolis Paulinis eo sensu acciperet, quo in scriptis Aristotelis occurrit. *Carnis* vocabulum, & adpellatio *veteris hominis*, qua Paulus prauam concupiscentiam, & labem originis significare solet, hoc sensu apud profanos auctores numquam legitur. Phrasis sacra, *legem cordi inscribere*, ex AESCHYLI, PINDARI, TERENTII, CICERONIS, SENECAE monumentis exponi non potest, vt praepostere facit IO. CLERICVS, *art. crit. part. II. sect. I. cap. IV. p.* 162. Ita Paulus peculiares suas voces, ἀπιστία, πίστις, πνευματικὸς, ψυχικὸς, στοιχεῖον, σῶμα, cet. peculiaresque loquutiones ac formulas, vt *sub lege esse, sub peccato esse, peccato mortuum esse, in mundo viuere, in carne confidere* cet. quae eo sensu, quo a Paulo adhibentur, apud alios graecos auctores nuspiam occurrunt. Sunt hae ῥήσεις ἰδίαι, quales ex Platonis,

tonis, aliorumque philosophorum scripris, collegerunt HARPOCRATION, GALENVS, & alii; de quibus videatur celeb. IO. ALBERT. FABRICII *bibl. graec lib. IV. cap. XXXIX §. 10.* Vti IO. BAPT. BERNHARDVS *lexicon philosophiae aristotelicae, platonicae, & stoicae*; PETRVS PETITVS, *lexicon peripateticum* scripserunt. Peculiares voces ac formulas scriptorum N. T. collegit IO. VORSTIVS, in *philol. sacra, class. I. XIV. XXVII. XXVIII. XXX.* & TOB. EKHARDVS, in *technica sacra.* Addatur beati LVTHERI *praef. in epist. ad Romanos.*

V. *Historia coaeua*, sive circumstantiae historicae illorum temporum, quibus sacer scriptor vixit. Paulus 1 Cor. XV, 32. dicit, *se cum bestiis Ephesi pugnasse.* Vbi sunt, qui Paulum Ephesi reuera cum belluis decertasse, sed caelesti auxilio seruatum fuisse, putant. Alii vero per *bestias* intelligunt *homines barbaros & ferocis ingenii*, (Plutarchi phrasi θηριώδεις τυράννους) quorum impetus Paulo Ephesi sustinendus fuerit; coll. 2. Cor. I, 9. Quod illorum temporum consuetudo firmare videtur, qua illi quibus res erat cum hominibus effrenatis atque indomitis, θυριομαχεῖν dicebantur. Sic IGNATIVS in ep. ad *Tarsenses* (*I. A Syria Romam vsque* θυριομαχῶ, *cum bestiis depugno, non quod a feris brutis deuorer, sed* ἀπὸ ἀνθρωπομόρφων, *a feris, humanam formam gerentibus.* Quod in *epistola a Romanos §. V. de militum* custodia interpretatur, dicens: *se noctu diuque decem leopardis, quae militum est custodia, fuisse adligatum.* Adde 2. Timoth. IV, 17. Ita quaeritur inter eruditos, quid per φελόνην intelligatur, quam Paulus Troade adportari voluit, 2. Tim. IV, 13. num *paenula*, sive *pallium*, pluuiae ac frigori arcendo aptum? quod inepte CORNELIVS A LAPIDE in *cucullam* transmutat) an *theca* aliqua libraria?

an

an ipse *liber*, probabiliter facer V. T. codex, *thecae insertus ac inuolutus?* Vltimam significationem elegit HECTOR GODOFR. MASIVS, vir doctissimus, in diss. *de pallio Pauli*, eamque vero similibus rationibus ex circumstantiis illorum temporum stabilire studet. Adde ven. IOACH. LANGII comment. *de vita & epist. Pauli*, *p.* 166. *seqq.*

§. XIV.

Eodem modo, si vox aliqua & *propriam & tropicam* significationem sustinere potest, diiudicandum est, vtra alteri sit praeferenda. * Quo plura vero eiusmodi criteria in vna voce vel phrasi concurrunt; eo esse possumus de eius significatu certiores.

* Ita *calicem irae diuinae*, Esa. LI, 17. metaphorice esse accipiendum, de diuinis poenis, certa proportione Hierosolymae destinatis, *res ipsa* loquitur, quum ira diuina, res prorsus spiritualis, non possit calice, ex quacumque materia confecto, capi. Matth. V, 16. per *lucem*, quam in discipulis suis Christus vult lucere, lucem fidei ac bonorum operum intelligi, *contextus* docet, & scripturae *parallelismus*, Eph V, 8. 1 Ioan. I, 7. Per *contritionem capitis serpentis*, Gen III, 15. intelligendam esse dissolutionem operum diaboli, Ioannes declarat, 1. epist. III, 8. Ceterum repetendum, quae de propria vocis notione, non facile deferenda, supra monuimus, *lib. I. cap. III. §. VI. p.* 59.

§. XV.

Si tamen contingat, vt plures eiusdem vocis significationes scopo dicentis, atque orationis cohaerentiae, pulchre conueniant, nullumque gignant sensum, analogiae fidei

fidei aduersum; tum videndum est, vt illas vel sibi inuicem prudenter subordinemus, vel inter se apte coniungamus. *

* Nimirum, si vox aliqua pluribus gaudeat significationibus satis famosis, neque per suppeditatas regulas, quaenam eligenda, quaenam excludenda sit, determinari possit, tum duo adsunt adminicula haud contemnenda, ad quae licet confugere.

I. SVBORDINATIO, quando e. c. *sub eodem genere plures species*, aut *sub eodem actu plures agendi modi comprehenduntur*. Luc. II, 14. Christo nato proclamabatur: εὐδοκία ἐν ἀνθρώποις. Vbi particula ἐν & *subiectiue* & *obiectiue* accipi potest. Promittitur scilicet a. bona voluntas Dei erga homines; b. bona voluntas hominum erga Deum. En εὐδοκίας diuersas species, sibi inuicem subordinandas, dum vna, tamquam effectus, ex altera, tamquam causa sua, nascitur. Ita vocabulum ἀναστάσεως, Rom. I, 4. & *actiuam* & *passiuam* significationem admittit. Christus enim demonstrauit se Dei filium a. dum alios mortuos propria auctoritate vitae restituit, coll. Ioan. V, 18. 21. c. XI, 25. dumque b. ipse ex mortuis resurrexit, coll. Ioan. II, 18. 19. cap. X, 17 18. Priorem sententiam tuetur ERASMVS SCHMIDIVS; posteriorem interpretes communiter sequuntur. Neutra aliquid a scopo Pauli & contextu alienum complectitur, vnde vna alteri commode subordinari potest. Ita & in constructionibus ac *phrasibus integris*. Christus e. c. *exaltabatur a terra*, Ioan. XII, 32. modo *ignominioso* in crucem, modo *glorioso* ad dextram Patris. Neutrum commode excludi potest, quamuis alterum primario, alterum secundario

dario & consequenter intendatur. Post gloriosam enim demum exaltationem, quam ignominiosa antecedebat, tractus ille promissus feliciori successu fieri coepit.

II. CONIVNCTIO, siue *syllepsis* plurium cognatarum, interque se non pugnantium, significationum, quae vna voce, siue ambigua, siue latiore, exprimuntur. Ita quum Christus, Matth. VI, 33. πρῶτον vult operam dari regno Dei, merito *prioritatem* & *dignitatis* & *temporis* simul innui putamus. Deum ille Ioan. I, 29. dicitur agnus Dei αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, sistitur nobis vt peccata α. *tollens*, ac per imputationem passiuam in se suscipiens; β. *ferens*, luendo illorum poenas; γ. *auferens* e conspectu fori diuini. Quum enim spiritus sanctus per Ioannem nihil adiecerit, quo ampla huius vocis significatio restringatur: merito tres illos actus cognatos inter se coniungimus. Ita & in constructionibus. Dum 1 Cor. II, 1. euangelium dicitur μαρτύριον τοῦ θεοῦ genitiuum illum α. *obiectiue* accipere fas est, vt sit sermo, qui de Deo, eiusque benigno erga peccatores in Christo adfectu, testimonium perhibet; β. *subiectiue*, in quo Deus ipse testatur de filio suo, Ioan. V, 37. 1 Ioan. V, 9. Neque putandum est, hoc modo *scepticismum exegeticum* introduci, vel vnius loci *plures* hoc modo effingi *sensus*, quod tamen supra refutauimus, *lib.* I. *cap.* III. §. VIII *p.* 64. Recte enim ven. HENR. MVHLIVS, diss. de *sensu scripturae mystico*, c. III. §. VI. *p.* 52. *Tunc omne illud, quidquid significare possunt verba, significare subinde dicimus, quum & quoties ista plura, quae significant, sibi sunt subordinata & coniuncta, vel talem inter se habent conuenientiam, vt sub communi illa, quam subeunt, ratione, iisdem verbis, in eodem loco, tamquam omnino ad rem praesentem facientia, apte proponi atque significari possint. Atque de his dicimus, quod sensum spiritus sancti, in isto loco plene intentum, con-*

ſtituant; ſed qui pluribus veluti partibus ramisque conſtet: quae plurium partium copulatio vnum tamen verum ſignificatum, vnumque ſenſum plenum, & quidem litteralem, ſiſtat. Neque minus ſolide in ſchediaſmate *de eo, quod iuſtum eſt circa puram doctrinam cuſtodiendam, p.* 182. *Haec plurium partium copulatio nequaquam dicenda ambiguitas eſt, nec ſenſum ſcripturae, ſi recte calculum ponimus, incertiorem,* ἀμφιδέξιον, *vel* ἀμφίλοξον, *ſed foecundiorem & pleniorem potiſſimum reddit. Namque ambiguum, & multum foecundumque ſenſum valde inter ſe diſcrepare, quotusquisque diffitebitur?* † Neque eſt, vt haec obſeruatio cuiquam noua & inſolens videatur: ipſum ſeruatorem noſtrum hic ducem habemus. Nimirum cum vox פקח קוח Eſa. LXI, 1. tum ad aperturam *oculorum*, tum ad aperturam vinculorum & *carceris* deſignandam apta eſſet, vtramque ſignificationem, quum haec verba Luc. IV, 18. praelegeret, inter ſe coniunxit, τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει, vt docte animaduertit CAMP. VITRINGA, *comm. in Eſa. tom. II. p.* 962. Idem iam dudum AVGVSTINVS obſeruauit, *lib. XII. confeſſionum, cap. XXXI. Quum alius dixerit, hoc ſentit Moſes, quod ego: & alius, immo illud, quod ego: religioſius me arbitror dicere, cur non vtrumque potius, ſi vtrumque verum eſt?* cet. Qualia etiam monet *lib. III. de doctr. chriſt. c. XXVII.* Neque aliis viris doctis haec methodus ignota fuit. Sic EDMVNDVS DICKINSON, in *phyſica vetere & vera, cap. VII. §. XIII. p.* 130. רקיע inquit, *eſt a themate* רקע *quod eſt* expandere, *ſimulque* conſtringere *& firmare. Non quod Moſes inopia coactus fuerit, vnum*

† Addatur CHRISTIANI BIBLIOPHILI, hoc eſt, IO. GEORGII VNKAVPII opuſculum exegeticum de *foecunditate ſenſus in ſcripturis ſacris*, Stutgardiae, MDCCIX. in forma duodecima editum.

vnum verbum ad plures atque diuersas significationes adsciscere. Sed Mosi cui semper placuere compendia, consilium fuit, vnica voce duas coniunctasque tantae rei vires adaequare. Vt rectissime dici possit expansum pariter ac firmamentum. Quamuis de notione *firmandi*, quam vir clarissimus huic radici tribuit, res nondum posita extra controuersiam videatur. Similiter clar. CHRISTOPH. CELLARIVS, in *dissert. acad. p. 732.* vbi de diuersis significationibus vocis πολίτευμα, Phil. III, 20. disseruisset, quae & *conuersationem*, & iura ciuitatis, siue *municipatum* designat; subiicit: *Quae ergo praeferenda sententia? vtraque bona, & apostoli diuino sensui adcommodata. Quapropter* CONIVNGENDAE *potius quam separandae sunt hae duae explicationes, praesertim quod* πολίτευμα, *si vim vocis recte inspiciamus, vtramque ferat, neutram a se alienam esse patiatur.* Adde HERM. WITSII, *oecon. foed. p. 586.*

§. XVI.

Vis ac significatio vocis non est enerüanda ac *restringenda*, vbi spiritus sanctus eam non restringit, certisque limitibus circumscribit;* vti nec *extendenda* est vltra suos limites, vbi rei natura, & orationis scopus ac series, aliaeue circumstantiae restrictionem postulant: ** quod praesertim in verbis, tropo adfectis, prouide obseruandum est. ***

* Interpretis nimirum est, conceptus suos attemperare conceptibus scriptoris sacri, vt nec amplitudine illos excedant, neque anguſtia infra illos deprimantur. Vnde AVG. PFEIFFERVS, in *thes. herm. p. 283.* hoc axioma tradit: *Tanta cuique voci tribuenda est emphasis, quanta potest.* SEB. SCHMIDIVS, in *colleg. bibl. priori, p. 81. Quinis textus*

tam late accipiendus, quam poteſt; & in colleg. poſteriori, p. 2. Tanta vnicuique ſcripturae loco tribuenda eſt emphaſis, quanta poteſt, ne ſine ratione ſcripturae vim imminuamus. IO. CONR. DANNHAVERVS, *herm. ſacr. p. 405. Vela ſenſui laxanda ſunt, quousque ſpiritus ſanctus non reſtringit, praeſertim in beneficiorum deſcriptione, vt, Deus vult* OMNES *homines ſaluari*, cet. Quin & philoſophi id praecipere ſolent. Sic IO. CLAVBERGIVS, *operum philoſoph. p. 853.* monet, *ne verba alicuius orationis facile reſtringantur, ſi latiorem eius ſignificationem profunda auctoris ſapientia concedat, nec aliae interpretandi leges abnuant.* Ipſos ſacros ſcriptores in hoc obſeruando canone habemus duces & antefignanos. Quum enim logicorum regula ſit, *propoſitiones indefinitas habendas eſſe pro particularibus*, illi contra voces, indefinite & illimitate poſitas, vniuerſalibus interdum aequipollere, paſſim nos ſuo exemplo docent. † Ita quod Eſaias XXVIII, 16. indefinite dixerat המאמין לא יחיש quodque LXX. indefinite reddiderant, ὁ πιστεύων οὐ μὴ καταισχυνθῇ; id Paulus Rom. X, 12. ita exprimit: πᾶς ὁ πιστεύων, nimirum vt nos doceret, verba illa latiſſime, & ſine vllis ſpinoſis reſtrictionibus eſſe accipienda. Similia exempla occurrunt *1 Cor. XV, 25. Ebr. II, 8. Gal. III, 10.* ad quem locum videatur SEBAST. SCHMIDIVS, in *collegio bibl. priori, p. 233.* Addimus alia exempla. Quum Paulus Rom. III, 19. dicit, quod πᾶς ὁ κόσμος ſit diuino iudicio obnoxius, male H. GROTIVS latitudinem vocis reſtringit, dum adnotat: *Omnis mundus, id eſt,* MAXIMA PARS HOMINVM, *poenas grauiſſimas meruit, non ſane ob aliquid adnatum, ſed ob facta perfida & crudelia, maxime ſaeuitiam in chriſtianos.* Per *omnem* enim *mundum* omnes populos intel-

† Plura exempla collegit PHIL. ZEISOLDVS, in *logica ſacra N. T. pars. II. obſ. IV. p. 23.*

intelligi, Iudaeos & Graecos v. 9. & omnes in vniuersum homines, quotquot extra Christi communionem ad legis, a se violatae, poenam obstricti sunt, contextus aperte indicat. Similiter κατώτερα μέρη τῆς γῆς, in quae Christus descendisse dicitur, Eph. IV, 9. latissime sumta, integrum statum *exinanitionis* complectuntur; inde a conceptione, coll. LXX. interpr. Psal. CXXXIX, 15. vsque ad mortem & sepulturam, Psal. LXIII, 10. & LXXI, 20. Ezech. XVI, 20. sicut per *adscensum* in excelsa integer status *exaltationis* designatur, obseruante HERM. WITSIO, in *exercit. XVIII. in symb. apost. p. 279.*

** Hic obseruandus adplicandusque est notissimus ille canon: *Talia sunt subiecta, qualia permittuntur esse a suis praedicatis, & vice versa.* Nimirum

I. *Natura subiecti restringit saepe praedicatum.* Ita quum Paulus de Corinthiis, ad Christum conuersis, eisque spiritu sanctificatis, 1 Cor. I, 2. c. VI, 10. 11. nihilo minus c. III, 1. adfirmet, quod adhuc sint *carnales;* haec vox non in omni sua, quam habere potest, vi ac emphasi accipienda est, vt notet homines, corruptae carnis dominio subiectos, vt Rom. VIII, 9. sed de iis, qui adhuc a praua natura vehementer adficiuntur, & magna intellectus imbecillitate laborant, vel qui adhuc sunt *infantes in Christo*, vt apostolus declarationis caussa statim subiungit, coll. Ebr. V, 13.

II. *Natura praedicati saepe restringit subiectum*, vt 1 Cor. X, 23. OMNIA *mihi licent*, scilicet, quae pertinent ad genus rerum honestarum atque adiaphorarum. Sic Tit. I, 15. πάντα καθαρὰ τοῖς καθαροῖς. In quem locum recte IO. IOACHIMVS ZENTGRAVIVS, *comm. in ep. ad Titum, disp. II. p. 10. Non hic gnosticorum impurae fauet disciplinae; vti constat, Carpocratianos statuisse, se habere potestatem*

operandi omnia, quaecumque sint irreligiosa & impia, apud IRENAEVM *lib. I. contra haeres. cap. XXIV. sed de rebus mediis & externis agit, quibus bene & male possumus vti; quales erant cibi, lege Mosaica hactenus interdicti.*

III. *Materia substrata & contextus* nonnumquam restrictionem significationis subministrant. Ita quum Christus, Matth. V, 48. nos iubet esse τελείους, *perfectos;* antecedentia ostendunt, eum id velle, vt amor noster erga alios integer sit, non mutilus, neque restrictus ad solos amicos. Ita Rom. XIV, 1. *infirmus in fide* est, cuius cognitio de libertate christiana, ac lege rituali, infirma est, quique, hanc per Christum esse abrogatam, nondum est conuictus. v. 2. Φάγειν πάντα, est vesci cibis, lege rituali prohibitis. v. 3. μὴ ἐσθίων est, qui, reuerentia legis Mosaicae ductus, a quibusdam cibis, olim interdictis, religiose abstinet, v. 6. ἡμέραν κρίνειν est obseruare discrimen dierum, lege Mosaica praescriptum. v. 16. τὸ ἀγαθὸν est christiana libertas a iugo legis caerimonialis, per Christum parta. v. 20. καθαρὰ sunt illa, quae olim lege ciborum vetita, nunc fidelium vsibus concessa sunt. v. 22. πίστις est firma persuasio, res, olim a lege pro impuris declaratas, nunc puras esse & licitas. cet. Idem saepe contingit in notionibus *compositis*, quae aut pauciores habere possunt, aut plures partes, quarum proinde modo amplior, modo arctior est significatio; vt obseruat. IO. CLERICVS, *art. crit. part. II. sect. I. cap. VI. p. 193.*

*** Ita, dum Christus semet ipsum cum *fure* comparat, Apoc. III, 3. comparatio, excluſa omni ἀνομίᾳ, restringenda est ad *subitum & improuisum aduentum:* vnde etiam statim additur: *neque scies, quae te hora adoriar*, coll. Luc. XII, 39. 40. Pariter quando Deus Hos. V, 12. dicit: ego ero sicut *tinea* Ephraimo, & sicut *caries* domui Iudae; id dicit, se

se regnum israeliticum & iudaicum *lentis iudiciis & occulta maledictione* esse absumturum, quo modo vestes a tinea caeco morsu absumi solent, vt docte monet SAMVEL BOCHARTVS, in *hierozoico*, *part.* II *p.* 917. Intra hosce ergo terminos comparatio consistit, nec vltra illos extendenda est.

§. XVII.

Opera porro danda est, vt *differentias vocum*, quae imperitioribus *synonymicae* videri possint,* adcurate perspiciamus: quae obseruatio & ad vim ac sapientiam orationis detegendam,** & ad proscribendas ex scripturis sacris otiosas tautologias,*** plurimum facit.

* Similiter se res heic habet, ac in lingua latina, vbi multa pro perfecte synonymis habentur quae tantum ex parte conueniunt. Ita *silere* dicitur, cuius loquentis sermo comprimitur; *tacere*, qui ne loqui quidem coepit. *Reperire* dicimur nostra; *inuenire* aliena. *Dignitatem* viris; *venustatem* feminis tribuendam putat Cicero, quamuis ista discrimina non semper obseruentur. Conf. AVSONIVS POPMA, *de differentiis verborum*, cui & CORNELII FRONTONIS, FL. CLARI, AGRAETII, SOSIPATRI CHARISII, SERVII, AELII DONATI, SEXTI POMPEII FESTI, NONII MARCELLI, de eodem argumento obseruationes subiunctae sunt. Idem & in linguis sacris obseruandum. Exempli caussa, non putandum est ἐντάλματα καὶ διδασκαλίας ἀνθρώπων, Coll. II, 22. rem prorsus eamdem designare. Sed διδασκαλίαι complectuntur *veritates*, ad credendum, vel sciendum propositas; ἐντάλματα praescribunt *leges*, quid factu vitatuque opus sit. Hae illis nituntur, & ex visceribus illarum deriuantur. Rom. XIV, 13. πρόσκομμα notat *leuiorem offensam*, qua alicuius conscientia

entia laeditur ac perturbatur; σκάνδαλον vero *grauius offendiculum*, quo quis ad apostasiam a religione christiana sollicitari possit. Ita 1 Tim. II, 1. variae denominationes precum; Psal. CXIX, variae appellationes verbi diuini occurrunt, vt sunt תורה, ערות, מצוה, דרכים, חקים, משפטים, sed in omnibus illis synonymis diuersus ad diuersa verbi diuini attributa respectus latet; de quo conf. MART. CHEMNITII *loc. theol. part. II. f.* 4. Excellit in hoc studio IO. COCCEIVS, in *lexico*, ac scriptis suis exegeticis, quamuis nimis nonnumquam anxius differentiarum obseruator. Dudumque eadem monuit ANDR. GERH. HYPERIVS, *de recte formando theologiae studio, lib.* II. *cap.* VIII. *obs.* III. *Sollertis lectoris officium est, diligenter excutere vocum, quae adfines videntur, proprias differentias.* Addantur ex Iudaeis SALOMONIS VRBINATIS; ex christianis IO. PLANTAVITII commentationes, *de synonymis ebraicis;* & HERM. SAMVELIS REIMARI dissertationes *de differentiis vocum ebraicarum*, Witebergae ante paucos annos habitae; item VALENTINI ERNESTI LOESCHERI, de *caussis linguae ebraeae, lib.* III. *cap.* III. *p.* 457.

** Verba Deut. XXXII, 6. Annon ille est pater tuus, qui te sibi *comparauit*, ipse *fecit* te, & *stabiliuit* te: possunt ad idem tempus & beneficium complexum; possunt tamen etiam ad diuersa tempora & distincta beneficia referri. Posterius suadet maior emphasis & elegantia. *Comparatio* igitur, est liberatio populi ex Aegypto. *Factura*, est formatio populi in rem publicam & regnum Dei, per legislationem aliaque beneficia, huic similia. *Constabilitio* populi, est confirmatio status eius in Canaane, variis temporum articulis facta, praecipue sub regibus, Dauide & Salomone; vt apte monet CAMPEGIVS VITRINGA, in *typo doctrinae proph. p.* 185. vbi etiam

iam obſeruat, veteri ſynagogae hunc morem ſcripturas interpretandi, non incognitum fuiſſe. Idem etiam *in integris phraſibus ac membris orationis* attendendum eſt. Solent equidem iudaei interpretes lectoribus ſuis ad nauſeam vsque occentare ſuum illum canonem: כפל הענין במלות שנות *idem dicitur mutatis verbis;* ſed multum ſic elegantiae & ἐνεργείας verbo diuino detrahitur. Ita e. c. Eſa XI, 4. idem dici putat KIMCHIVS, mutatis phraſibus, quum propheta ait: *Percutiet* Meſſias *terram ſceptro oris ſui*, & *ſpiritu labiorum ſuorum interimit improbum*; ſed minus recte. Per *terram* quidem intelligendam eſſe terram iudaicam, ſecundum praedictiones Chriſti a Romanis vaſtandam, & anathemate feriendam, nemo fortaſſis diffitebitur. At per רשע *improbum*, Paulus 2 Theſſ. II, 8. intellexit *inſignem quendam aduerſarium Chriſti*, a Iudaeis, Chriſti oſoribus, diſtinctum, cuius lapſu illuſtranda eſſet Chriſti Ieſu gloria. Sequutus nimirum eſt vir diuinus illam interpretandi rationem, quae verbis maximam dat emphaſin. Eſt autem emphaſis maior, ſi iudicia intelligantur diſtincta. Ita Pſal. XXII, 23. priora verba: *Adnuntiabo nomen tuum fratribus meis*, indicant, quid Chriſtus, ex mortuis redux, facere velit *extra eccleſiam*; alterum hemiſtichium: *laudabo te in medio eccleſiae*, quid facere velit *in coetu fidelium*, ex genere humano collectorum. Et ſic innumeris locis aliis, maxime in pſalmis & ſcriptis prophetarum, vbi ſaepiſſime vnum membrum alterum declarat; ſed ita tamen, vt ſemper nouum quid accedere, obſeruetur.

** Scilicet ταυτολογεῖν HESYCHIO eſt τὰ αὐτὰ λέγειν. Vnde ταυτολογία eſt eiusmodi vitium ſermonis, quo plures voces dictionesque ſynonymicae praeter neceſſitatem de re eadem crebrius adhibentur, quae tamen neque ad explicationem, neque ad

emphasin, neque ad exprimendos adfectus, neque ad linguae sacrae genium maiestatemque requirebantur. Eiusmodi tautologias sacris paginis exprobrauit IO. CLERICVS, tum in *arte critica*, tum passim in *commentariis* suis. Ita *art. crit. part.* II. *sect.* I. *cap.* III. *p.* 151. putat, nisi quis loco 1 Cor. VIII, 5. 6. vocem *reuera* interponat, *frigidam & inutilem esse in re clara* ταυτολογίαν. Similiter *diss.* III. *de scriptore pentateuchi*, *p.* 31. *repetitiones crebriores otiosas &*, falce scilicet critica, *resecandas*, in scriptis Mosaicis vir acutus obseruauit. Addatur eius comment. ad Gen. I, 2. II, 17. III, 6. VI, 1. XII, 6. XX, 16. XXII, 4. XXXIII, 18. XLI, 52. cet. Non modestius de pentateucho sentit RICH. SIMON, *hist. crit. V. T. lib.* I. *cap.* V. *p.* 30. *seq.* Neque MARCVS MEIBOMIVS, in *nouo specimine emendationum & interpretationum XII psalmorum Dauidis*, in *praef.* erubescit scribere, *voces superfluas plures esse in codice sacro, quae inepta repetitione sententias turbent*; qua in re prouocat ad psalmum XCII, 10. Ier. XLIX, 9. cet. Cui audaciae criticae merito opponimus verba BASILII magni: ἀργὸν ῥῆμα ἐν γραφῇ λέγειν, βλασφημία δεινή; & prudens iudicium HERM. WITSII, *oecon. foederum*; *lib.* I. *cap.* VII. *p.* 91. *Non decet nos, qui humiles diuini spiritus discipuli sumus, tam seueros in sapientissimam linguam & plane* ἀμώμητον *stylum adorandi magistri nostri, aristarchos agere.* Recte vero obseruasse nobis videtur ven. VAL. ERN. LOESCHERVS, in *breuiario theol. exeget. p.* 67. multa nobis videri ταυτολογικῶς dicta, quia discrimen vocabulorum ebraeorum ignoramus, vel saltem non satis obseruamus. Addatur ven. HENR. KLAVSINGII *specimen vindiciarum sacri codicis a* ταυτολογίας *criminatione*, & ERDWINI HERM. POLEMANNI dissertationes, *de pleonasmis scripturae sacrae*

sacrae, item, quae CL. FRID. ADOLPH LAMPE ea de re monuit in *biblioth. Bremens. classe I. p. 708.*†

§. XVIII.

Neque *epithetorum* consideratione ab interprete negligi decet, quorum nullum in scripturis otiosum est, sed vel aliquam declarandi vim habet, vel rem vnam ab altera discernit, vel vtroque officio simul fungitur. *

* Epitheta scilicet scripturae sunt

I. *Exegetica*, quae rei naturam indolemque declarant; vt quando Tit. II, 11. *gratia* Dei dicitur σωτήριος, *salutaris*. Non sane, ac si alia etiam daretur gratia diuina, quae non esset salutaris; sed quia, vt AEGIDIVS HVNNIVS ad *h. l.* ait, *aeternae salutis primus fons est, & vera scaturigo.* Quo etiam pertinet, quum *vocatio* Dei 2 Tim. I, 9. dicitur ἁγία; *idololatria* ἀθέμιτος, 1 Petr. IV, 3. *lumen Dei*, θαυμαστὸν. 1 Petr. II, 9. cet.

II. *Diacritica*, quae rem ab aliis discernunt, vt quando *corona* futurae gloriae, 1 Pet. V, 4. ἀμαράντινος dicitur, vt a corruptibili corona, quae in ludis Graecorum distribuebatur, discernatur. Huc refer, quando 1 Tim. I, 5. vera *fides* dicitur ἀνυπόκριτος, Deus βασιλεὺς ἄφθαρτος, ibidem v. 17. christianorum λατρεία λογικὴ, Rom. XII, 1. *osculum*, primis Christi discipulis vsitatum, ἅγιον, Rom. XVI, 16. vt ab impudico & hypocritico segregetur.

III. *Simul exegetica & diacritica*, vt quando Christus Rom. IX, 5. dicitur θεὸς εὐλογητὸς, hoc epi-

theto

† Add. CL. CHRISTOPH. VVOLLII *regulae hermeneuticae* περὶ τῆς ἰσοδυναμίας *siue* συνωνυμίας *vsu & abusu*, praeside vener. BOERNERO ad disputandum propositae, Lipsiae. 1723.

theto & natura eius beata, omnique laude & adoratione digna *declaratur*; & a diis gentium *distinguitur*, quibus anathema dicitur, Ier. X, 11. Item quando *Deus* dicitur, πατὴρ ἅγιος Ioan. XVII, 11. coll. Luc. XI, 11. 13. *Christus* θεὸς ἀληθινός, 1 Ioan. V, 20. & μέγας, Tit. II, 13 *spiritus* sanctus πνεῦμα ἀιώνιον, Ebr. IX, 14. vt putat HERM. WITSIVS, *exerc. XXIII. in symb. apost. p. 382.*

§. XIX.

Minime autem sufficit in notiones terminorum simplicium inquirere, easque recte pro contextu, & subiecta materia, definire; sed etiam explicanda est *sententia totius phraseos*, ex illis notionibus constructae. *

* Quum Rom. VIII, 1. de illis, qui in Christo sunt, dicitur, quod *non secundum carnem ambulent*; primo quidem figillatim ostendendum est, nomine *carnis* denotari corruptam hominis rationem ac voluntatem, affectusque deprauatos; *ambulandi* autem verbo omnes hominis actiones in scripturis designari, quas in sua ad aeternitatem via instituit. Tum vero coniunctim ostendendum est, quid sit, *ambulare secundum carnem*, nempe corruptam rationem ac voluntatem ducem sequi, & ad eius praescriptum actiones suas omnes componere. Ita in phrasi, *sedere ad dextram patris*, Ebr. I, 14. seorsim primum explicandum est, quid sit *dextra Dei*, scilicet diuina eius maiestas ac potentia infinita, qua cunctis rebus potenter sapienterque dominatur; deinde, quid sit *sedere*, nimirum vbi de rege adhibetur, idem quod regnare, coll. Psal. XLVII, 7. 1 Cor. XV, 25. denique, quid sit coniunctim, *sedere ad dextram Dei*: scilicet, venire in plenum vsum infinitae potentiae diuinae, rerumque omnium supremis guber-

gubernaculis admoueri, qui honor humanae Christi naturae, post adscensionem in caelos, obtigit. Ita etiam in *metaphoricis* loquutionibus agendum est. Vt Esa. XXXII, 20. *serere ad omnes aquas*. Scilicet *aquae*, maxime pluuiae, sunt symbolum benedictionis & gratiae caelestis; *serere* dicitur, qui verbum Dei aliis adnuntiat, Matth. XIII, 3. *serere ad omnes aquas*, est verbum Dei praedicare, explicare, inculcare, ex certo Dei proposito & promisso irrigandum larga gratia caelesti. Optimam esse hanc docendi methodum, nemo negabit; ducit enim auditores in penitiorem & adcuratiorem rei notitiam, cauetque, ne confusas ideas de verbis sacris concipiamus. Vitandus tamen est omnis abusus, ne in rebus, per se notis, operose describendis, desudemus.

§. XX.

Hactenus de explicatione verbali diximus; sequitur *realis*, quae interpretem eo adniti iubet, vt rerum, vocibus designatarum, certam cognitionem tradat. *

* Verba scilicet tantum sunt tenuia signa rerum, late diffusarum, ac in vnum vnius vocis fasciculum collectarum, vt pluribus ostendit HERMANNVS VON DER HARDT, in *fundamentis grammaticae exegeticae*, *cap. IV. p. 65. seq. 84. seq.* Vocabula igitur nequaquam recte intelligentur, nisi res sufficienter fuerit cognita; neque vocabula regunt res, sed seruiunt rebus, & ad rei substratae materiam metienda sunt. e. c. Esa. LIII, 11. de Christo dicitur, seruus meus iustus יצדיק לרבים. Verbum, hoc loco adhibitum, in prima coniugatione significat *iustum esse*; in hiphil autem varias inducere formas potest, scilicet iustum *efficere*, iustum esse *iubere*, *incitare* aliquem, vt iuste viuat, *permittere*, vt quis iustus

iustus sit, iustum aliquem *declarare*, vel quocumque modo ad illam qualitatem *promouere*, secundum cel. DANZII *interpretem*, §. LXI. p. 66. Iam nemo determinauerit, quaenam ex illis significationibus hic eligenda sit, qui naturam & indolem huius beneficii ignorauerit, quo fit, vt homo peccator, Christi iustitiam vera fide amplexus, a peccatorum reatu absoluatur, ac *iustus declaretur*.

§. XXI.

Hic vero primum ac praecipuum est, vt *notionum simplicium*, quae vel subiectum,* vel praedicatum ** propositionis constituunt, natura & indoles iustis quasi definitionibus explicetur.

* SVBIECTVM orationis siue *proprio*, siue *figurato* sermone exprimitur.

I. *Proprio sermone* si expressum, atque α) ex genere *rerum vsu familiarium* depromtum sit, non eget longa & operosa descriptione, vt 2 Sam. I, 22. *Arcus* Ionathanis numquam aberrauit, *gladius* Saulis non reuersus est vacuus: nisi forte aliquid subiecto inuolutum sit, quod ex antiquis ritibus & consuetudinibus euoluendum illustrandumque est; vt quando Esa. IX, 5. *vestis cruentata* comburenda esse dicitur, ex more ebraeorum, apud quos vestis, sanguine polluta, non amplius indui poterat. Si β) *persona* subiecti locum occupet, tum illa ab istis attributis, quae aliquem respectum habent ad praedicatum, describi potest, vt Ebr. XI, 24. *Moses*, adultior factus, recusauit dici filius natae Pharaonis: vbi Moses consideratur tamquam adoptatus a filia Pharaonis, tamquam princeps regius, atque imperii aliquando heres, coll. Exod. II, 10. Si γ) nomen *loci* subiectum constituat, tum eius situs atque relatio ad praedicatum indicari debet, vt Esa. XVII, 1. *Damascus*

Damascus desinet inter vrbes numerari; v. 2. *vrbes Aroer* desertae iacebunt, cet. Si δ) *tempus* subiecti vicem sustinet, pariter diligenter explicandum, accurateque definiendum est, vt Dan. IX, 24. *septuaginta hebdomades* decretae sunt. Si ε) sit *actio*, eius natura & qualitas describenda est, vt Phil. I, 24. *manere in carne* magis necessarium est propter vos. Si denique ζ) sit alia *notio, ex theologia dogmatica*, vel *morali* depromta, exinde etiam definienda est, vt Rom. I, 17. *iustitia Dei* in euangelio reuelatur: vbi ostendendum, *iustitia Dei* significari beneficium gratuitae remissionis peccatorum, quod homini credenti obtingit ex donatione diuina, virtute obedientiae Christi Iesu. Ita ex theologiae *moralis* recessibus, ad ductum verbi Dei, explicandum est, quinam sint *pauperes spiritu, lugentes, mansueti, sitientes esurientesque iustitiam*, cet. quos Christus Matth. V, 3. seqq. praedicat beatos: vt factum in den *Betrachtungen über die acht Seligkeiten*.

II. *Figurato* sermone si subiectum expressum sit, tum analogia rei figurantis cum re figurata curiose excutienda est. Quam in rem opus est, vt interpres omnia rei figurantis attributa ex puriori philosophia, antiquitatibus sacris ac profanis, & ipso rerum vsu, cognita ac perspecta habeat; ex quibus tamen illa maxime proponenda & vrgenda sunt, quae ad praedicati intelligentiam quam maxime sunt comparata. Ita quum Luc. I, 78. dicitur; ORIENS *ex alto*, siue Christus, vera LVX *mundi*, nos visitauit; necesse est, vt attributa *lucis* naturalis in numerato habeantur, ad Christum deinde transferenda; quae huc maxime redeunt, vt lux habeat virtutem 1) *res patefaciendi ac manifestandi*, coll. Eph. V, 13. πᾶν τὸ φανερούμενον, φῶς ἐστι. 2) *omnia recreandi & exhilarandi*, vnde Cohel. XI, 7. *lux suauis esse* dicitur.

Haec

Haec si ad Christum adplicentur, priori attributo sistitur nobis tamquam *doctor*, qui homines illuminat, eosque ducit in veram notitiam Dei, ac rerum diuinarum, aeternique eius propositi, quod ante secula condidit, de salute procuranda misero generi mortalium, eiusque salutis conditionibus. Altero attributo sistitur tamquam vnica *causa* omnis verae *laetitiae* & *consolationis*, tamquam vita mundi, cuncta recreans & refocillans. Ita quum Luc. XII, 32. populus Christi sub emblemate GREGIS depingitur, sequentia in censum veniunt attributa. Ecclesia est populus 1. *a mundo segregatus*, 2. *a Deo comparatus* & adquisitus, 3. ab vna parte peculiare *obiectum amoris & curae diuinae*; 4. ab altera parte *obiectum odii satanae & mundi*, ipsi insidiantis, aduersus quas insidias 5. ipse, vt *populus inermis*, se defendere imparatus, *vnice pendet a cura & protectione Christi*, pastoris sui indulgentissimi. Aliquam vtilitatem hoc in laboris genere adferre possunt ex nostris SALOMONIS GLASSII *rethorica sacra*, doctum sane & elaboratum opus. MICH. BAVMANNI *analecta typica sacra*. DAN. FESSELII *regnum Christi & diaboli mysticum*. IO. HENR. VRSINI *analecta symbolica*. IOH. BOTSACCI *promtuarium allegoriarum*; ex reformatis BENIAMIN KEACHI *tropologia sacra*, quae anno MDCLXXXII duobus voluminibus formae maioris prodiit. NICOLAI GVRTLERI *tract.* de *vocibus typico-prophetic*is. IO. D'OVTREIN *heylige Sinnebelden*: quae tamen omnia tantum inter conamina referenda sunt. Vtinam vero vir eruditissimus FRIDERICVS ADOLPHVS LAMPE orbi erudito donaret *thesaurum scripturae sacrae mysticum*, cuius in praefat. *exercitationum sacrarum in Psal. XLV.* sciagraphiam dedit, quo mysteria salutis, in singulis verbis ac phrasibus, ac

prae-

praecipue in metaphoris, allegoriis, emblematibus, typis recondita, siue in forma systematis, siue lexici, plenius enodarentur. Add. doct. ANDR. LVDOVICI KOENIGSMANNI *prodromus clauis propheticae*, *p.* 214. *seq.* & MARTINI KONINGII, viri doctissimi, *lexicon hieroglyphicum sacro-profanum*; quod lingua belgica nuper prodiit.

** PRAEDICATVM propositionis pluribus plerumque verbis declarandum est, quam eiusdem subiectum; quia id quam maxime requirit scopus officiumque interpretis, vt ea clarius exponat, quae de aliqua re praedicantur. Istud vero alterum enuntiationis extremum vel *proprio* sermone expressum legitur; vbi ex illa disciplina, ad quam spectat, lux illi adfundenda est: vel *metaphoricis* verbis conceptum est; vbi rursus analogiam rei diligenter obseruare iuuat, maxime si metaphorica praedicata iungantur subiecto proprie accipiendo, vt, Ego Iehoua sum *clypeus tuus*, Gen. XV, 1. Ego Messias *sum pastor bonus*, Io. X, 12. Vos, discipuli mei, *estis lux mundi*, Matth. V, 14. Pertinet autem materia praedicati, obseruante SAL. TILLIO, de *method. concion. p.* 85. vel

I. *Ad quaestionem iuris*; quotiesquumque scilicet praedicata considerantur tamquam attributa, ad constitutionem alicuius rei spectantia, vel ex eius natura & indole profluentia: vt, Fides est ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων, Ebr. XI, 1. Amor *non sua quaerit*, 1 Cor. XIII, 5. Deus *est spiritus*, Ioan IV, 24. Iustus ex fide, *viuet* Rom. I, 17. cet.

II. *Ad quaestionem facti*; quotiesquumque indicatur, quid rei alicui euenerit, intercedente aliquo casu. Heic subiectum se habet ad praedicatum α) *actiue*, vbi attendere iuuat, ad *actionis*, quae praedicato exprimitur, tum *bonitatem*, vt, Iesus seruabit populum suum a peccatis suis, Matth. I, 21. tum *praui-*

uitatem, vt, Herodes interficere iussit infantes Bethlehemiticos, Matth. II, 16. Hinc prauae actionis malignitas & turpitudo; illinc bonae actionis praestantia, pluribus explicanda est. Si β) subiectum se *passiue* habeat ad praedicatum, considerandum, an illud factum, quod subiecto euenit, sit vel *naturale*, vbi eius natura explicanda est, vt, Iesus sitiit, Ioan. XIX, 28. vel *supernaturale*, vbi ratio miraculi euoluenda, vt, ferrum natauit, 2 Reg. VI, 6. item, an sit vel *bonum*, adeoque rationem *beneficii* habeat, vbi ostendendum, quo modo subiectum ab illo beneficio perficiatur, quantumque illi prosit; vt Dauid vngebatur in regem, 1 Sam. V, 3. 4. vel *malum*, adeoque rationem *poenae* habeat, vbi ostendendum, quantum illa subiecto noceat; vt, cor Pharaonis obrigescebat, Exod. VII, 13.

§. XXII.

Quum vero saepius contingat, vt vel subiecto, vel praedicato, vel vtrique aliquid *adhaereat*: neque illud ab interprete negligendum; sed euoluendum est, quidnam illud additamentum ad naturam terminorum illorum extremorum, clarius distinctiusque explicandam faciat. *

* Nimirum istae adiectiones pertinent

I. *Ad discretionem subiecti vel praedicati*; vt Deus *huius seculi* excaecauit mentes infidelium, 2 Cor. IV, 4. quo additamento discernitur a vero Deo, & cauetur, ne quis huic excaecationem hominum tribuat. Consideratur autem hic mundus, prout ἐν πονηρῷ κεῖται, adeoque sub tyrannide diaboli viuit, quia a mancipiis suis velut Deus summo obsequio colitur. Sic Luc. XI, 13. pater *in caelis* dabit spiritum sanctum, vt distinguatur a patribus in ter-

terra, qui sunt πονηροὶ ὑπάρχοντες. Sic Ebr. X, 21. Christus est *sacerdos magnus super domum Dei.*

II. *Ad rei dignitatem & excellentiam* extollendam, vt Ebr. IX, 14. Christi sanguis, *qui per aeternum spiritum se ipsum libauit innocentissimum Deo*, purgabit nostram conscientiam cet. quibus verbis sanguis Christi tum a sanguine brutorum sacrificiorum, qui conscientiae sordes eluere non potuit, discernitur; tum ad praestandum effectum sufficientissimus fuisse declaratur. Sic Ebr. XIII, 20. Deus *pacis* reduxit ex mortuis *pastorem* ouium, *per sanguinem aeterni testamenti magnum.*

III. *Ad rei siue laudem, siue vituperium* indicandum; vt Gal. I, 1. Paulus *apostolus*, *non ab hominibus; neque per hominem*, *sed per dominum Iesum Christum*, *& Deum patrem* -- gratiam & pacem adprecatur ecclesiis Galatiae. Vbi additamenta subiecti, auctorem salutationis & a falsis doctoribus discernunt, & eius ἀξιοπιστίαν, officiique dignitatem, commendant. Apoc. XII, 9. draco ille *magnus*, *serpens antiquus*, *qui totum orbem decipit*, deiectus est ad terram. Hic vero virtutum, vitiorumque explicationi non nimis immorandum, neque in locos communes euagandum est, sed tantum eorum relatio ad subiectum & praedicatum demonstranda, vt bene monet SAL. TILLIVS, *de methodo concionandi. p. 83.*

§. XXIII.

Postquam res, subiecto & praedicato designata, diligenter euoluta est, non negligenda est* interpreti totius propositionis illustratio; vtque vtriusque termini extremi nexus declaretur, opera danda est.**

* Haud immerito conqueritur doctissimus CAMPEGIVS VITRINGA, in *animadversionibus*

ad methodum homiliarum ecclesiasticarum, part. II. cap. III. §. VIII. p. 62. id ab interpretibus verbi diuini saepe negligi. *Probe*, ita ait, *cauendum est, ne oratio doctoris publici ita decurrat & vagetur in thematibus simplicibus, vt complexum negligat: quod vitium turpe est, & tamen sat familiare. Quin potius danda est opera, vt themata necessaria exposita inter se coniungantur, & ex iis illustretur* complexum, *hoc est, ipsa propositio.* Ita in explicando loco Rom. I, 22. non sufficit ostendere seperatim, quid sit φάσκειν εἶναι σοφὸν iactitare se sapientem, quidque sit μωραίνεσθαι, stultum fieri; verum opus etiam est, ostendere, quomodo ex legibus iustitiae diuinae illa mentis infatuatio fastum philosophicum sequuta sit, atque ex historia philosophiae paganae demonstrare, quo modo arrogantes illi sapientiae iactatores tum in doctrina, tum in moribus suis, ita a praescripto sanae rationis discesserint, vt iam dudum CICERO *tusculanar. quaestion. lib. II.* exclamauerit: *Quotusquisque est philosophorum, qui sit ita constitutus, vt ratio postulat?* Plura ad hunc locum dabit CORNELIVS ADAMI, in *exercitationibus exegeticis, p. 664.*

** Scilicet α) in propositione *adfirmatiua* ostendendum, quomodo praedicatum subiecto inhaereat, vel saltem adhaereat, vt Rom. X, 13. *Inuocans nomen Domini seruabitur.* β) in propositione *negatiua* ostendendum, quod praedicatum subiecto non insit, nec illi inesse & adhaerere possit, vt Rom. XIII, 10. *Amor alteri malum* non *infert*, cap. XIV, 17. *Regnum Dei* non *est cibus ac potus.*

§. XXIV.

Non solum autem nexus enunciationis alicuius internus, sed *externa* etiam cum proxima enunciatione *cohaerentia* studiose expendenda est, cui detegendae particulae con-

connexionis, quibus diuersae propositiones iunguntur, inseruiunt.*

* Varii generis sunt *connexiones*, quarum praecipuas perstringemus, quidque de illis obseruandum sit, adnotabimus. Occurrit igitur cohaerentia

I. *Coniunctiua*, vbi considerandum α) an istae particulae coniungant *separabilia*, quorum alterum sine altero fieri & esse potuisset, vt Psal. XXII, 19. partiuntur vestimenta mea, ET pro indumento coniiciunt sortem; it. Psal. LXIX, 22. Esa. LIII, 9. cet. β) an coniungant *inseparabilia*, vt 1 Ioan. II, 1. 2. Habemus aduocatum apud patrem, Iesum Christum, iustum, ET ille est propitiatio pro peccatis nostris. Haec inseparabiliter cohaerent. Fundamentum enim prioris est in enuntiatione posteriori. γ) an *se mutuo eleganter perficiant*, vt Marc. I, 15. resipiscite ET credite euangelio, vbi alterum officium prius perficit, & ad maturitatem perducit.

II. *Disiunctiua*, quae indicatur particulis *aut*, *vel*, cet. vbi perpendendum α) an aliquid disiungatur *necessitate naturae*. Sic Matth. VI, 24. disiungitur cultus Dei a cultu Mammonis, propter contrariam rerum indolem ac naturam; β) an *casu aliquo interueniente*, licet alias etiam coniungi possint, vt 1 Cor. X, 31. *siue* comedatis, *siue* bibatis cet. item Leu. V, 1. Coll. II, 16.

III. *Illatiua*, vbi ostendendum, quomodo enuntiatio altera ex priori per legitimam sequelam fluat, vt Ebr. II, 1. Quia audiuimus euangelium eiusmodi doctoris, qui omnibus Dei nuntiis corporeis & incorporeis excellentior est: διὰ τοῦτο, *hinc* tanto maiori reuerentia eius verba excipere par est. Adde Col. II, 16. c. III, 1.

IV. *Caussalis*, vbi enuntiatio prima exhibet propositionem *probandam*, altera *probantem*, addu-

cens quippe medium terminum, quae rationem probationis complectitur. Vide Ier. XXXI, 22. Ebr. II, 2. 1 Tim. II, 5. Vbi probatur, Deum omnium velle salutem, *quia* omnibus destinauit mediatorem, qui se pro cunctis tradidit. †

V. *Comparatiua*, quae exigit, vt interpres institutа duorum enuntiatorum inter se collatione, α) *inquirat in illud tertium, secundum quod ea conferuntur, idque adcurate excutiat.* Esa. LX, 8. gentes ad ecclesiam dicuntur properaturae *sicut densa nubes*, quae in caelo, agitante vento validiore, fertur: quod in eos quadrat, qui spretis terrestribus, in caelestibus versati, totos se committunt motui spiritus sancti, & arctissima vnione inter se sunt coniuncti. Adde Ierem. III, 2. Cant. I, 9. β) *illa omnia omittat, quae ad scopum non faciunt.* Ita quum Cant. VII, 4. de sponsa dicitur: *nasus* tuus est *sicut turris in libano*, quiuis facile animaduertit, hic non in comparationem venire turris illius altitudinem latitudinemque, sed gratam elegantemque eius supra murum prominentiam. γ) *si plura sint analogiae membra, euitandae confusionis gratia, ad pauca summa capita illa reuocet*, quibus plura subordinari possint; vt Esa. I, 9. facti essemus *sicut* Sodoma, scilicet 1. qua *culpam*; 2. qua *poenam*, ad quae duo membra analogiae reliqua referri possunt.

VI *Hypothetica*, vbi vltimum enuntiatum suspensum est a *conditione*, quae priori membro exprimitur, vt Ioan. XXI, 22. Ista conditio aliquando est α) *impossibilis* ac numquam futura, atque tunc tantum veritas connexionis spectanda est, vt Ps. L, 12. *Si* esurirem, te non rogarem; item Rom. IV, 14. 1 Cor. XV, 17. β) *possibilis*, tunc ostendendum, in priori enuntiato comprehendi requisitum

† Vid. de connexionibus rationalibus PHIL. ZEISOLDI. *logicam N. T. parte III. tota.*

quisitum prorsus necessarium, vt Ezech. XVIII, 21. *Si* impius conuersus fuerit a peccatis, viuet. Nimirum non potest viuere homo, quamdiu in peccatis est mortuus. Simulac vero per regenerationem tollitur mors spiritualis; vita spiritualis, aeternae prodromus, succedit: item Rom. VIII, 13.

VIII. *Temporalis*, quae mox inuoluit temporis α) *qualitatem*, vt plerumque fit in prophetis, vt Esa. VI, 1. Ierem. XLVII, 1. Coloss. III, 4. nunc β) eiusdem *opportunitatem*, vt plerumque fit in historiis, vbi circumspiciendum est, quam occasionem praecedens historia sequenti subministrauerit, vt Gen. XLII, 1. XLIII, 1. 2. L, 15 cet. conf. SALOMONIS TILLII *methodum concionandi*, *p.* 109. *seqq.*

§. XXV.

Vbi actio, quae voce, vel phrasi aliqua exprimitur, ex pluribus partibus est composita; tum singulae *partes* seorsim excutiendae & explicandae sunt, * vt hoc modo auditores in intimam rei naturam adcuratius perspiciendam intromittantur.

* Ita ἀπέκδυσις τοῦ σώματος ἁμαρτιῶν Coloss. II, 11. duo complectitur 1. *exuitionem* veteris hominis 2. *exuti abiectionem*, vti vestis lacera & detrita prorsus deponitur, numquam rursus induenda; vel sicut apud veteres christianos baptizandus, postquam ex aqua emerserat, pristinas vestes, antea depositas, non amplius corpori admonebat, quo respici IO. D'OVTREIN iudicat, in *explanatione epist. ad Coloss. p.* 163. Ita Matth. IV, 7. βασιλεία τῶν οὐρανῶν complectitur 1. *regem*, 2. *subditos*, 3. *subditorum leges* ac *priuilegia*. Ibidem actus μετανοίας, siue *transmentationis*, interpreti contemplandam sistit 1. *pristinam mentis indolem*, vbi Deum odio, vitia amore homo prosequebatur. 2. *nouam ac mutatam*

tatam mentis indolem, quae in prioris locum succedit, vbi vice versa vitia vehementi odio, Deum summo amore complectitur. Idem in vocibus phrasibusque *tropicis* ac *mysticis* obseruandum, vbi attributa, quae iunctim sumta integram rei tum significantis, tum significatae, naturam constituunt, per partes recensendae & illustrandae sunt. Ita *sitis* mystica Matth. V, 6. inuoluit 1. *indigentiam* gratiae diuinae, 2. huius *indigentiae* acutissimum ac molestum *sensum*, 3. flagrantissimum illius vnici *boni desiderium*. Sic, quando dona spiritus sancti sub symbolo *aquae pluuiae* sistuntur, Esa. XLIV, 3. duo maxime obseruanda sunt attributa, donis spiritus sancti respondentia: 1. *origo caelestis*, dum aqua illa tamquam donum caeleste, ex vberrimis nubium fontibus demittitur, & pro arbitrio rectoris caelorum maiore, vel minore copia dispensatur. 2. *effectus saluberrimus*, dum sitim telluris explet, eam frugiferam facit, ac velut exhilarat, quem effectum illa sola praestare potest. Quae facili negotio ad spiritum sanctum adplicari possunt.

Obseruandae autem sunt in hac enumeratione partium, quantum fieri potest, illae regulae & cautelae, quas logici de *deuisione* totius in partes tradere solent: exempli caussa, vt sit *adaequata*, nec membra eius plus minusque exhibeant, quam res diuidenda complectitur; vt vna pars altera non contineatur, & quae sunt alia. Videatur celeberrimi IO. IACOBI BYRBII *philosophiae rationalis*, *part. I. cap. XI. p.* 137. *seqq.*

§. XXVI.

Multum etiam lucis rei adfundetur, si interpres *sensum* propositionis apte *confirmauerit* & *illustrauerit*, vt mens lectoris, vel audi-

auditoris de sensu, quem exhibuit, certior reddatur. *

* Potest illa confirmatio & illustratio fieri

I. *Argumentis ac rationibus, ex theologia, aut philosophia saniori desumtis.* Vt, si omnes prophetas, diuinae reuelationis interpretes, de Christo testari, (vt Petrus ait, Act. X, 43.) a *priori* hoc modo demonstretur: Deus ideo in scripturis cum hominibus loquitur, vt eos meliores sanctioresque faciat. Istud vero quum per aeterna Dei decreta aliter fieri non possit, nisi intercedente mediatore: necessario consequitur, Deum in scripturis vbique hunc mediatorem respexisse, & velut humani generis delicias in oculis habuisse. Sapienter tamen monet STEPHANVS GAVSSENVS, vir acri iudicio praeditus in *diss. theologicis, p.* 470. in adhibendis ratiociniis, ex *philosophia* petitis caute esse agendum. *Postquam*, inquit, *dogmata religionis christianae ex scriptura clare & perspicue demonstraueris, ne ea praeterea, nisi parce admodum, & summa adhibita cautela, rationibus diuersis a Dei verbo, quas philosophia & natura subministrant, comprobare instituas. Nam illud opus, quod, si ab homine pio & sapiente tractetur, adprime vtile, immo necessarium est; alea tamen plenum est, & in quo pauci tuto versentur. Videlicet humana ratio, vbi diuina tractat, saepe instar normae Lesbiae non se ad res, sed, contra quam oportuit, res ad se exigit & adcommodat.*

II. *Contrarii consideratione*, qua saepe fit, vt res tractanda magis eluceſcat Ita quid Ioan. III, 12. per ἐπίγεια intelligatur, facilius declarauerit, qui naturam τῶν ἐπουρανίων, quorum sequenti membro mentio iniicitur, prius considerauerit. Vti nimirum ἐπουράνια sunt *res*, quae in caelis peraguntur, ac nullis rerum humanarum comparationibus illustrari pos-

sunt: Ita ἐπίγεια, *terrestria*, sunt, quae peraguntur in terra, vt noui hominis natiuitas per baptismum; quaeque loquutionibus, ex terra & consuetudinibus rerum humanarum petitis, illustrari possunt: vt exponunt auctores *vesperarum Groeninganarum*, *colloqu.* VII. *p.* 93. *seq.* Ita rectius ostendet, quinam sint gentiles illi τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον, Actor. XIII, 48. qui contulerit Iudaeos ἀντιτασσομένους, Actor. XVIII, 6. ἀνυποτάκτους, Tit. I, 10. qui δικαιοσύνῃ Θεοῦ οὐχ ὑπετάγησαν, Rom. X, 3. Sic LVTHERVS, *tom.* III. *Ien. latin. fol.* 448. *seq.* cum suauibus Christi labiis, in quibus *gratia diffusa est*, pulchra ex aduerso comparat labia Mosis aspera, iram, minas, maledictionemque diuinam intonantia. Adde Ier. XVII, 13. *in terra scribi*, & Luc. X, 20. de nominibus *in caelo scriptis*.

III. *Testimoniis scripturae*, & vbi opus fuerit, *profanorum* etiam *auctorum*. Esaias ad populum iudaicum, *pater*, inquit, *tuus primus peccauit*, cap. XLIII, 27. Hic igitur postquam ostensum fuerit, intelligi *sacerdotem summum*, primum ac supremum totius gentis doctorem, qui tempore Achazi, pessimo exemplo, regi pessimo in omni libidine idololatriae obsecundauit, 2 Reg. XVI, 11. 16. confirmandum est ex scriptura, sacerdotes ac doctores olim *patris* titulo fuisse honoratos, quod ex Iud. XVII, 10. c. XVIII, 19. 2 Reg. XIII, 14. Ebr. XII, 9. probari potest. Vbi tamen obseruandum 1. scripturae dicta non adcumulanda, sed seligenda esse. 2. non nude illa esse adleganda, sed vel addita breui paraphrasi; vel neruo demonstrationis ostenso, vt, ad rem facere, & scopo congruere, intelligantur. Testimonia *profanorum auctorum* parcius, & non, nisi quum necessitas postulat, citanda sunt, vbi scilicet faciunt

a) *Ad*

α) *Ad veritatis historicae confirmationem*, vt quando Paulus Rom. I, 19. *notionem Dei gentilibus insitam* fuisse prodit; non desunt ipsorum gentilium effata, quibus huius oraculi veritas κατ' ἄνθρωπον, etiam stabiliri potest. Quo pertinet CICERO, *lib.* I. *quaestion. tuscul. Nulla gens tam fera, nemo omnium tam immanis, cuius mentem non imbuerit Deorum opinio--omnes, esse vim ac naturam diuinam, arbitrantur.* Plura dabit PHIL. MORNAEVS, de *veritate religion. christian. cap. I.* & celeb. IO. ALBERTVS FABRICIVS, in *bibliographia antiquaria, cap.* VIII *p.* 228. *seqq* † Ita *vitia*, quae *Paulus* gentibus, inprimis *Romanis*, exprobrat, Rom. I, 21. seqq. profanorum auctorum suffragio post H GROTIVM, docte confirmat & illustrat CORNELIVS ADAMI, in *dissertat. de malis Romanorum moribus*, in *exerc. exeget. p.* 501. *seqq.* Quae Lucas de reperta a Paulo Athenis *ara ignoti Dei* commemorat, Act. XVII, 23. ex profanis auctoribus firmat celeberrimus, dum viueret, IOANNES ANDREAS BOSIVS, in diss. de *ara ignoti Dei*, quae recusa exstat inter *opuscula* eius *historiae & antiquitatum sacrarum*, introductioni in *notitiam scriptorum ecclesiasticorum* nuper subiuncta, *p.* 516.

β) Ad *rituum & consuetudinum*, quarum notitiam auctores sacri supponunt, *descriptionem.* Ita dum Christus victoribus promittit *calculum album*, Apoc. II, 17. hoc est, *absolutionem ab omni reatu culpae & poenae*, comprobandum sane est veterum testimoniis, calculos albos hisce vsibus inseruiisse. Quo pertinent illa *Ouidiana, metamorph. lib. XV. Mos erat antiquis, niueis atrisque lapillis, his damnare reos; illis absoluere culpa:* quod pluribus exsequi-

† Item *in syllabo scriptorum, qui veritatem religionis christianae asseruerunt cap. VIII. p.* 309.

quitur CHRISTIANVS DAV. FVNCCIVS, dissert. *de calculo albo veterum*; vt alia nunc taceamus.

§. XXVII.

Denique laborandum est, in libris praesertim dogmaticis, vt, post expositum confirmatumque integri commatis sensum, etiam *vis ratiocinii* apostolici, ac *pondus argumentationis*, adcurate, & ad lectorum conuictionem demonstretur.

* Adscribemus exempla ex theologi iudicioſissimi, CASPARIS ERASMI BROCHMANNI, quondam Selandiæ episcopi, *comment. in epistolam ad Ebraeos*, vbi *p. 267.* ad verba Pauli, *Ebr. VII, 12. Translato sacerdotio, necesse est, vt legis translatio fiat*, haec adnotat: *Lex est, quae praescribit vniuersam sacerdotii administrationem: nec cuiquam licitum est, alio modo sacra administrare, quam lex velit. Quocirca sicut abolita politia, abolentur leges, quibus politia illa superstructa fuit: ita etiam abrogato sacerdotio, iam non est amplius locus legi, e cuius praescripto sacerdotium administrabatur. Vbi namque e praescripto legis amplius non viuitur; lex abrogata esse censetur, & plane exspirasse. Vide, quo tendat apostolus. Hoc vnum agit & vrget, vt doceat, frustra sperare Iudaeos vitam, iustitiam & salutem e foedere legali, & sacerdotio leuitico, qua huic foederi superstructum erat.* Similiter ad Ebr. XIII, 10. 11. *p. 649.* vim ac neruum ratiocinii Paulini ita detegit: *Est haec concinna probatio, eos, qui tabernaculo deseruiunt, ac ritibus mosaicis, tamquam rei cuidam ad salutem necessariae, inhaerent, participes Christi haud quaquam fieri posse. Probat autem hoc apostolus ex typologia sacra hunc in modum: Mandarat Deus in veteri testamento, vt quorum animalium sanguis pro peccato inferebatur in sacrarium per pontificem, eorum corpora*

corpora extra castra per pontificem penitus exurerentur, vt ne tantillum quidem sacerdotibus ex istis victimis cesserit. Docere autem voluit Deus isto ritu, quod ei egrediendum esset extra castra veteris sacerdotii, ac vniuersus cultus mosaicus ei deserendus esset, qui cuperet frui sacrificio Christi, in cruce oblati, ac ipsius carne ac sanguine pasci. Frustra igitur anhelant ad fruitionem sacrificii propitiatorii, nimirum Christi, qui abolitionem tabernaculi mosaici sibi persuaderi neutiquam patiuntur. Id quod erat demonstrandum. Idem studiose obseruat IOANNES GEORGIVS DORSCHEVS, in *comment. epist. ad ebraeos.* GEO. MICH. LAVRENTII in *commentariis analyticis* ad *epistolas apostolicas* vniuersas. IOANN. D'OVTREIN, *comment. in epist. ad Colossenses* cet. vbi exemplorum affatim inuenire licet.

LIBRI SECVNDI
CAPVT OCTAVVM
DE
ERVENDIS STILI SACRI EMPHASIBVS.

Σύνοψις.

Connexio, §. I.
Emphasium sacrarum
I. *Definitio*, §. II.
II. *Fundamentum*, inspiratio rerum ac verborum, §. III.
III. *Diuisio* in *verbales* & *reales*, §. IV.
IV. *Sedes*, §. V.
V. *Fontes* emphasium indicantur, §. VI. qui sunt
1) *grammatici*, deriuandi ex parte
a. *orthographica*, §. VII.
b. *etymologica*, §. VIII. IX.

c. *syntactica*, §. X.
d. *figuris* grammaticis, §. XI.
e. *accentibus* ebraeorum, §. XII.
2.) *critici*, §. XIII.
3.) *rhetorici*, §. XIV.
4.) *logici*, §. XV.
VI. *Cautelae*, circa eruendas emphaſes obſeruandae.
1. *generales*, §. XVI.
2. *nouem ſpeciales*, §. XVII.

§. I.

Quum haud raro contingat, vt vocibus praeter conſuetam vſitatamque ſignificationem, ſingularis *emphaſis* ex diuini ſcriptoris deſtinatione adhaereat; de illa etiam obſeruanda & eruenda, interprem ſacrum ſollicitum eſſe, par eſt.

§. II.

Eſt autem emphaſis, ſi graecam vocis originem ſpectes, ſignificantior ſenſus *repraeſentatio.** Si rem ipſam conſideres, hoc nomine deſignatur magna quaedam vocum ac phraſium ſacrarum vis & efficacia, ad mentem diuini auctoris facilius indagandam, clariusque explicandam, comparata.**

* Nimirum ἐμφαίνειν (a cuius *praeterito paſſiuo* ἔμφασις descendit) ſignificat *ante oculos ponere, repraeſentare:* vnde emphaſis *repraeſentationem* rei, vel ſenſus efficaciorem denotat, ſi ſcilicet ſcriptor de induſtria eiusmodi vocibus & conſtructionibus vtatur, quae rem viuidius exprimunt, & quaſi oculis conſpiciendam ſiſtunt, vt lector, attentior redditus, altius in mentem ipſius penetrare queat.

** Teſte FABIO QVINTILIANO latinis *ſignificantia* dicitur, atque *inſtitution. orator. lib. VIII. cap.*

cap. III. describitur, quid sit *figura, altiorem praebens intellectum, quam, quem verba per se ipsa declarant.* EVSTATHIO, *in Homerum*, p. DLXXVI. v. 24. est λέξις δὲ ὑπονόιας αὔξουσα τὸ ζητούμενον, *loquutio, quae occulta significatione auget id, de quo agitur.* Definitionem, quam dedimus, rei exegeticae adcommodatiorem esse, speramus. Res maxime redit ad *ideas accessorias* cum idea vocis principali coniunctas, de quibus videatur SAM. PVFFENDORFIVS, de *iure nat. & gent. lib.* IV. *c.* I. §. VI. *seqq.* & Auctor *artis cogitandi part.* I. *c.* XIV.

§. III.

Fundamentum emphasium sacrarum in eo positum est, quod non solum res, sacris paginis comprehensae, sed ipsa etiam *verba** a sapientissimo numine inspirata fuerint, sanctisque scriptoribus suggesta; vnde merito vocibus tanta significationis amplitudo, tantumque pondus adsignatur, quantum per rei substratae naturam sustinere possunt.**

* Sunt quidem sane ex veteribus pariter, ac recentioribus, qui statuerunt, *solas res* a spiritu sancto fuisse inspiratas; *verba* autem scriptorum sacrorum arbitrio permissa, vt quilibet res, ipsi suggestas, pro ingenio suo, & consuetudine loquendi, quam vsu sibi contraxerat, consignaret; spiritu sancto, quod ad verba attinet, id saltem agente, vt ne inter scribendum scriptores sacri errarent, aut formulas loquendi ineptas, minusque tutas, adhiberent. Sed rectius omnino θεοπνευσία consistere dicitur in *suppeditatione conceptuum rerum & verborum.* Haec enim adeo arcto & inseparabili nexu coniuncta sunt, vt vix diuelli a se inuicem possint; siquidem verba sunt quasi vehiculum rerum, quo alteri conceptus nostros insinuamus. Sane πᾶσα γραφή, vniuersa scriptura, dicitur θεό-

θεόπνευστος, 2 Tim. III, 16. Iam vero ista scriptura non tantum rebus constat, sed etiam verbis. Si igitur scriptura *tota* est diuinitus inspirata, ipsa etiam verba inspirata sunt. Idem diuus PAVLVS confirmat 1 Cor. II, 13. qui se adhibere dicit, VERBA, *quae docet spiritus sanctus.* Pariter Deus ad Ieremiam, cap. I, 9. *ponam*, inquit, VERBA *mea in ore tuo.* Adde promissum Christi Matth. X, 20 quo discipulis suis, ad apologias coram aduersariis prodeuntibus, multo magis vero in publicum totius ecclesiae commodum scribentibus, *spiritum sanctum* pollicetur, in ipsis ac *per ipsos loquuturum*, quod quomodo aliter fieri possit, nisi per suppeditationem & cogitationum, & verborum, nemo facile docuerit. Vide FRIDEM. BECHMANNI *institut. theolog. p.* 29. IO. FRANC. BVDDEI *instit. theolog dogmat. lib. I. c. II. §.* 10. & MICHAELIS FOERTSCHII *vindicias doctrinae de diuina sacrarum litterarum inspiratione sect. I. §. X. seqq.*

** Recte AVGVSTVS PFEIFFERVS, *thesaur. herm. cap. VI. p.* 283. *Tanta*, inquit, *cuilibet voci tribuenda est emphasis, quanta potest. Omnia enim & singula scripturae sacrae verba praesumenda sunt ceu sapientissimo Dei consilio concepta, adeoque magno selectu adhibita. Nullum in scriptura sacra est verbum, a quo non pendeant magni rerum montes.* Adde, si placet, quae obseruauimus *cap.* VII. §. XVI.

§. IV.

Possunt autem emphases distingui in *verbales*, quae in vocibus, siue separatis, siue coniunctis, spectantur;* & *reales*, quae in re ipsa, vocibus expressa, obseruantur: ** quae tamen adeo arcte inter se cohaerent, vt alterum sine altero recte considerari vix possit.

* Emphasis singularum vocum est vel *positiua*, qua

qua vox, intra contextum maxime considerata, & adfectu animata, per se gaudet; vel *distinctiua*, qua vox ab aliis, quae pro *synonymis* habentur, distinguitur, quod ex vsu biblico discendum est. Ita כשל significat *impingere*, *cespitare*, נפל *cadere*, *corruere*. Illud inclinationem & dispositionem ad lapsum, hoc lapsum ac ruinam ipsam designat, vti adparet ex Ier. L, 32. וכשל זדון ונפל *impinget* superbia, prorsusque *ruet*. Lutherus: *vvird stürtzen und fallen*. Ita varia in Salomonis prouerbiis occurrunt *stultorum* nomina, quae diuersos stultitiae malitiaeque gradus exprimunt. Nonnulli sunt פתאים *simplices*, *fatui*, qui ab aliis decepti insipiunt, cap. I. 4. Alii sunt אוילים *pertinaciter stulti*, ab הואיל *sese obstinauit*, cap. XII, 15. Alii sunt כסילים a *cesel*, fiducia, qui, quamlibet stulti, optimam tamen de se habent praesumtionem, cap XIV, 16. cap. XXVIII, 26. Alii sunt לצים deterrimum stultorum genus, qui alios, tamquam stultos *irrident*, ipsi multo stultiores, cap. I, 22. cap. XIII, 1. cap. XV, 12.† Nonnumquam etiam distinctiua illa emphasis, ex *obiectis*, de quibus vox constanter adhibita legitur, perspici potest. Ita IACOBVS GVSSETIVS, *comment. linguae ebr. p.* 824. *b.* docte obseruat, octodecim in sacris paginis occurrere verba, quae *frangendi* notionem habeant, quorum discrimen ex materia, cui adplicantur, constitui possit. e. c. גרם adhibetur de *ossibus*, דכא de contritione eorum, *quae in puluerem abeunt*, נתק de *vinculis* & *filis* disruptis, פרץ de *aggere*, vel *sepimento*, vi disrupto, פרק de *panno* & *veste*, קרע de *rebus quibusuis*, exceptis vinculis, pane, & dentium vsu cet. Quomodo cabbalistae, etsi huic negotio impares, nonnumquam etiam huc aliquid conferre possint, aliquot exemplis docet ven. VALENT. ERNESTVS LOESCHERVS, de *caussis linguae ebr. p.* 458.

† Conf. synonyma irae diuinae illustrata in ISAAC SARRAV *penseés sur diuers passages de l' ecriture sainte*, *p.* 91.

** Emphaſes *reales*, quas idem vir doctus, in *breuiario theol. exeget. p.* 262. *receſſus biblicos* vocat, in rebus ipſis, quae ſaepe verbis ſimpliciſſimis deſcribuntur, quaerendae ſunt. Huc haud immerito retuleris verba Moſis Gen. I, 3. *Dixit Deus: fiat lux, & facta eſt lux*, quae DIONYSIO LONGINO, homini pagano, περὶ ὕψους, *ſect.* IX. *num.* XVIII. *p.* 60. tantam admirationem iniecerunt, vt τὴν τοῦ θεοῦ δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν, *numinis potentiam pro dignitate* illis expreſſam eſſe, iudicarit. Verba quidem hic ſunt vulgaria, & narrandi formula ebraeis ſatis vſitata, vt Exod. VII, 19. 20. cap. VIII, 16. 17. cap. IX, 8. 9. 10. Matth. VIII, 9. Ioan. IX, 7. 11. ſed res ipſa inaudita & emphatica eſt. Vbi enim audimus, ſolum creatoris imperium, efficaciſſimamque voluntatem, lucem ex abyſſo tenebrarum ſine mora produxiſſe, ad tam ſtupendam veritatem toti commouemur; vt pluribus oſtendit PETRVS DANIEL HVETIVS, in *examine iudicii, quod Longinus de illo loco tulit*, quod exſtat in IOANNIS CLERICI *biblioth. ſelecta, tom. X.* Pariter, quantum pondus lateat in re, quae verbis בי נשבעתי *per me ipſum iuraui*, exprimitur, Gen. XXII, 16. 17. diuus Paulus egregie explicat Ebr. VI, 13. ſeqq. Conf. diſſ. noſtram de diuinitate Chriſti, demonſtrata *ex iuramentis eius per ſe ipſum.*

§. V.

Sedes emphaſium ſunt voces, ſiue ſimplices, ſiue in certam conſtructionem coniunctae, ne minimis quidem ſtili ſacri particulis, * articulisque ** excluſis; maxime vbi quid extraordinarium, & quod a conſueta regula diſcedit, in illis obſeruatur. ***

* Minimas ſaepe *particulas* ſedes eſſe magnarum emphaſium, multis condoceri exemplis poteſt. Vt quando Amos IV, 11. Deus Iudaeis exprobrat לא שבתם עדי *non conuerſi eſtis* VSQVE AD *me*, multo id

id sane significantius dicitur, quam אלי AD *me*. Desideratur enim hic in Iudaeis seria poenitentia, qua homo, superatis obstaculis omnibus, quam fieri proxime potest, ad Deum accedit: de qua KIMCHIVS ad Hos. XIV, 2. istud veterum adlegat, *magnam illam esse poenitentiam*, שמגעת ער כסא כבוד *quae pertingit vsque ad thronum gloriae diuinae*. Ita de Israelitis Iud. II, 19. emphatice admodum dicitur, quod במות השופט quum iudex aliquis *in agone mortis adhuc versatus fuerit*, animam iamiam efflaturus, illi iam cogitauerint, de pristinis moribus malis reuocandis. Ita *particulas demonstrandi* ידע, הנה plerumque esse *notabiles spiritus sancti asterismos*, attentioni in re eximia excitandae inseruientes, notissimum est, vt pluribus docet MATTHIAS FLACIVS, *clauis scripturae parte I. p. 263.* & SALOMO GLASSIVS,† *philol. sacr. lib. III. tract. V. can. XV. p. 973.* Huc refer, quando *particulae negandi* singulari cum emphasi *crebrius repetuntur*, vt Ioan. VI, 37. Ebr. XIII, 5. quum ἐν & εἰς significantissime permutantur, vt Luc. XVI, 8. Marc. I, 14. & quae alia huc pertinent.

** *He demonstratiuum*, quod & *emphaticum* dici solet, non caret emphasi, quando in argumento eximio & singulari adhibetur, vt Esa. VII, 14. Ecce העלמה *virgo* ILLA *grauida est*. Maxime, quando praefigitur eiusmodi vocibus, quibus alioqui praefigi non solet, vt *nominibus propriis*, atque aliis, *per regimen, aut suffixum, iam satis determinatis*, vt Iud. I, 20. Num. XIII, 28. 30. Ier. XXV, 26. cap. XXXVIII, 6. conf. ven. IO. ANDR. DANZII *interpret. §. XLIX. n. 3.*

† Qui docet, emphasin huius particulae versari 1) in rei admirandae & nouae enarratione, vt Zach. IX, 9. 2) in rei praesentis exhibitione, Ioh. I, 29. 3) in certitudinis asseuerationc, Gen. XXVIII, 15. 4) in promtitudinis obsequendi declaratione, Luc. I, 38.

Articulus graecorum *praepositiuus* emphaticus est α) *quando rei, vel personae, singulariter designandae, praeponitur*, vt quando Ioan. I, 21. legati sacerdotum ex Ioanne quaerunt: ὁ προφήτης εἶ σύ; non scire volunt, an Ioannes in prophetarum numerum sit referendus, quam quaestionem sane ipse negare non poterat, coll. Luc. I, 76. cap. VII, 28. sed, num sit *ille propheta*, quem populus iudaicus adeo anxie hactenus exspectarat; siue illi *Ieremiam* intellexerint, coll. 2 Macc. XV, 14. Matth. XVI, 14. siue prophetam a Mose promissum, Deut. XVIII, 15. 18. Porro β) *quando articulus, in eadem sermonis serie saepe repetitus, rem excellentem designat, & ab aliis discernit*, vt Ioan. X, 11. ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός. Ioan. XV, 1. ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή. Matth. XVI, 16. σὺ εἶ ὁ χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος. cet. Quo etiam CAMPEGIVS VITRINGA, in *anacrysi apocal. p. 675.* refert verba Christi Matth. XVIII, 7. Οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ, δι' οὗ τὸ σκάνδαλον ἔρχεται: *Vae illi homini* (hominum ordini) *per quem*, supra reliquos seruos Dei in regno caelorum se efferentem, *scandalum illud magnum* & pestilentissimum *venerit*. *Quem hominem* (ita addit vir magnus) *si quaesiueris Romae, forte absque magna opera inueneris.* Quod, si non excluſiue intelligatur, libenter concedimus. Non tamen putandum est, vbique emphasin in articulis esse consectandam. Iudicio opus est, ne ex curiosa nimis articuli consideratione in falsas hypotheses incidamus, vt exemplo Sociniano-rum ostendit SALOMO GLASSIVS in *philol. sacra, lib. III. tract. II. can. II. p. 698.*

*** Obseruauit id vener. VAL. ERNST. LOESCHERVS, in *breuiario theolog. exeget. p. 161.* vbi, *omnia*, inquit, *singularia, seu anomaliae orthographicae, etymologicae, syntacticae, accentuatoriae, cet.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0342
DFG

cet. in textu occurrentes, sunt quasi indices emphasium. Item *de caussis linguae ebr p. 459. In venanda emphasi ad formas etiam vocum, immo leuissima quaeuis, diligenter attendas. Neque hic aliquid vane positum existimes, vbi Deum loqui, non vane credis.*

§. VI.

Fontes emphasium sacrarum ita distribui possunt, vt in *grammaticos, criticos, rhetoricos*, & *logicos* dispescantur; de quibus ita nobis agendum esse intelligimus, vt, instituti memores, summa tantum capita perstringamus. †

§. VII.

In ipso artis *grammaticae* limine doctrina de litteris, quae *orthographia* dicitur, occurrit, quae aliquas emphases, quamuis non satis certas, & irrefragabili fundamento innixas, interpreti sacro pollicetur.

* Sunt nimirum, qui ex ipsis litteris, ex quibus vox conflata est, seorsim consideratis, penitiorem rei contemplationem instituí posse censent. Ita ex R. SAADIAGAON, refert ATHANASIVS KIRCHERVS, de *turri Babel. lib. III. p. 166.* emphasin vocis נשר quae *aquilam* denotat, etiam ex separatis litteris elucere, si cogites, נ significare נפלה *casum*, ש notare אש *ignem*, ר designare רוח *ventum, spiritum*; vt hoc modo istius volucris *impetus raptissimusque motus, quo ex aëre instar turbinis decidit*, indicetur. Adde, quae supra de hypothesi *Neumanniana* diximus; *cap. VII. §. II. p. 257.* Huc referendae sunt litterae extraordinariae, *maiusculae, minuscu-*

† Conferri cum hac doctrina potest FRANC. IVLII LÜTKENII *collegium emphasiologicum*, post fata viri iudicioſissimi 1728, editum a CL. HENR. LVD. GOETTEN.

nusculae, *inuersae*, *suspensae* cet. quae in ebraeo veteris testamenti codice occurrunt, quibus MATTH. HILLERVS, in *arcano keri & cetibh*, *lib. I. cap. VII. p. 160.* indicatam a Masorethis fuisse putat *varietatem vocalium*, quam in codicibus a se collatis deprehenderint. Alii pro notis criticis habent, vt venerandus IO. ANDR. DANZIVS, in *litteratore ebr. p. 3.* Alii non quidem negant, insolentes illos litterarum ductus nonnumquam criticis obseruationibus inseruiisse (vti e. c. ֯ *suspensum* Psal. LXXX; 14, & ׀ *maiusculum*, Leu. XI, 42. mediae sunt istorum librorum litterae cet.) in nonnullis tamen exemplis emphaticos esse putant, ad altiorem rei tractatae considerationem, nec non maiorem admirationem attentionemque excitandam, adhibitos, † quamuis ista mysteria, quae fabulosum Iudaeorum ingenium inde exsculpsit, non admittant, vt Deut. VI, 4. cap. XXXII, 6. Mal. III, 22. Esth. IX, 7. 9. cet. Videatur IOANNIS BVXTORFII *Tiberias*, *cap. XIV. seqq.* AVGVSTI PFEIFFERI *dubia vexata*, *p. 479. 688.* & *critica sacra*, *cap. VI. quaest. IV. p. 195.* SAMVELIS BOCHARTI *hierozoicon*, *part. I. p 978.* PAVLI BERGERI diss. *de Cabbalismo iudaico-christiano*, *cap. II. p. 37.* & IO. LEVSDENII *philolog. ebr. p. 77. seqq.*

§. VIII.

Pars grammatices *etymologica* ea tradit, quae de partibus orationis * scitu necessaria putantur, in quibus non raro emphasium vestigia ab attento interprete conspiciuntur.

* Ita I. NOMEN emphasin suppeditat, quando, exempli gratia, *abstractum*, significationis intendendae caussa, *ponitur pro concreto*. Ita, dum Paulus, Ephesios in statu paganismi σκότος fuisse, dicit,

† Vide E. LÜTKENII *colleg. emphas. cap. IX.*

cit, Eph. V, 8. multo id significantius dictum est, quam si eos ἐσκοτισμένους vocasset, vt cap. IV, 18. Adde Psal. XXXV, 6. Ioan. XVII, 17. 2 Cor. V, 21. cet. & SALOM. GLASSII *philol. sacr. p.* 555. 1478.

II. PARTICVLAE; vt quando *pronomina possessiua* loco primitiuorum ponuntur, Ioan. IV, 34. ἐμὸν βρῶμα pro βρῶμά μου, *meus cibus*, mihi proprius & suauissimus. Ioan. XVII, 17. ὁ λόγος ὁ σός, verbum illud euangelii, quod, ex intimo pectore tuo prolatum, discipulis meis commendasti. Sic Ioan. X, 26. cap. XIV, 27. cap. XVIII, 35. 36. Similiter *praefixum* ב emphaticas nonnumquam format significationes, vt Iud. XI, 35. vbi Iephta ad filiam suam perpetuae virginitati destinandam dicit: את בעכרי הויית *tu inter turbatores meos es* quasi praecipua, q. d. multas in vita mea expertus sum turbas & molestias; sed nemo vmquam meam fortunam tranquillitatemque ita turbauit, ac tu fecisti, inexspectato tuo occursu. Ita etiam Psal. LIV, 6. CXIIX, 7. Iob. XXIII, 13. cet. qualia quidem loca LVDOV. DE DIEV, & alii, proscripta emphasi, ex arabismo exponunt, vbi ב nonnumquam formando nominatiuo inseruit; sed istis ambagibus non est opus. Sic porro *particulae dubitatiuae* in suasionibus & exhortationibus non semper sunt dubitantis, sed spem facientis, animantisque ad fiduciam, optata consequendi, licet aliqua difficultas coniuncta sit, vt Ex. XXXII, 30. adscendam ad dominum, אולי *fortassis peccatum vestrum expiabo.* Qua particula Moses solicitudinem Israelitarum exacuit, grauitatem peccati ostendit, spe gratiae diuinae lapsos erigit, & simul rem a se speratam serio optat. adde Ioel. II, 14. conf. SAL. GLASSII *philol. sacr. p.* 1001. & vener. 10. AND. DANZII *interpr. §.* CV. Sic particulae emphaticae occurrunt Matth. XII, 24. Ioh. IX, 34. Ebr.

XIII, 5. cet. Iungantur, quae antea diximus *p.* 323. †

III. VERBA largam emphaſium ſacrarum ſegetem ſubminiſtrant, vt

1) *Quando verba inchoatiua pro completis ponuntur*, vt indicetur, rem fieri ex inſtituto, & cum conſcientia cauſſarum atque euentus, vt Act. I, 1. quae Ieſus ἤρξατο, *incepit* facere & docere. Matth. IV, 17. c. XXVI, 37.

2) *Quando verba actiua ſimul emphatice denotant actus expreſſi* α) *qualitatem*, vt 1 Reg. I, 25. *viuat rex*, ſcilicet bene, feliciter, pluresque per annos. Hoſ. XIV, 10. Ioan. VIII, 47. 1 Theſſ. III, 8. β) coniunctum *adfectum*, quod maxime contingit in verbis notitiae, memoriae & ſenſuum, vt Neh. XIII, 31. *recordare* mei, mi DEVS, ſcilicet cum adfectu amoris & auxilii. Rom. I, 9. 11. cap. III, 17. cap. VIII, 28. In primis, quum verba videndi ראה חזה & alia, cum ſequenti nomine obiecti, intercedente praefixo ב conſtruuntur, vt Mich. VII, 9. אראה בצדקתו Lutherus, *daß ich meine Luſt an ſeiner Gnade ſehe*; item Pſal. CXVIII, 7. Ierem XXIX, 32. γ) *conſuetudinem*, vt Marc. XV, 6. ἀπέλυεν, *dimittere ſolebat* illis aliquem vinctum, vti exprimitur Matth. XXVII, 15. Sic 1 Sam. II, 6. 7. *mos Dei* perpetuus; Ioan. IV, 9. *mos Iudaeorum*, a commercio cum Samaritanis conſtanter abhorrentium, deſcribitur. δ) *debitum*, vt Mal. I, 6. filius יכבד *honorabit*, hoc eſt, *honorare* ex praeſcripto diuino *debet* ſuos parentes, item Mal. II, 7. Ebr. V, 4. ε) *rei augmentum & continuationem*, vt Geneſ. XV, 6. Abraham *credidit* Deo, hoc eſt, fides eius maius confirmata fuit, & noua incrementa accepit. Sic Leuit. XXVI, 11. 2 Sam. XIV, 22. Ioan. II, 11. Act. X, 34.

3) *Quando, expreſſo tantum antecedente, conſequens ſimul cogitandum relinquitur*, vt Eſ. XLIII, 1. nun-

† Et LUTKENII *colleg. emphaſ. Cap. XVI. XVII.*

nuncupaui nomen tuum, vbi includitur consequens, vnde etiam te constanter diligam, defendam, & viribus, ad statum tuum tuendum necessariis, instruam; adde Rom. VIII, 30.

4) *Quando, expresso tantum consequente, includitur antecedens.* Sic Rom. III, 19. *os obstruere peccatori*, est demonstrata ipsius miseria, ita ei omnem gloriandi materiam, omnemque excusationem praescindere, vt silentium consequatur it c. X, 13.

5) *Quando indicata actio simul antecedens supponit, & consequens includit.* Sic Gal. III, 13. quando Christus dicitur *pro nobis factus maledictio*, 1. supponitur *antecedens*, quod scilicet in nostrum locum substitutus, reatum culpae, quam maledictio comitatur, sibi passus sit imputari. 2. includitur *consequens*, quod sese poenae mortis subiecerit: maledictum enim viuere, nefas erat. Immo maledictio nihil aliud est, quam dictamen poenae & mortis infligendae, vt pluribus docet venerandus IO. GVSTAV. REINBECK, de *redemtione per λύτρον*, *p.* 278. Sic Esa. LII, 15. c. LXII, 2.

6) *Quando negatio expressa contrarium positiuum emphatice complectitur*, vt Ioan. VI, 37. venientem ad me οὐ μὴ ἐκβάλω ἔξω, *non eiiciam foras:* sed potius humanissime recipiam condonatisque delictis, meae communionis in regno gratiae ac gloriae participem reddam. Sic Esa. XLII, 3. Exod. XX, 7. Rom. IX, 33. & quae alia huc pertinent. confer. SALOMONIS GLASSII *philolog. sacram, lib. III. tract. III. can.* 3. *seqq. p.* 751. *seqq.*

Ad verba etiam referri possunt PARTICIPIA, quae nonnumquam emphatice *loco nominis* vsurpantur, vt rem adsidue & sine intermissione fieri, indicetur, aut habitus innuatur, quem quis crebris exercitiis contraxit; vt quando malus daemon. Matth. IV, 3. 1 Thess. III, 5. dicitur ὁ πειράζων, quoniam in

tentando ad malum summus est & peritissimus artifex, numquam segnis, numquam otiosus. Adde Matth. V, 6. Marc. VI, 14. Luc. XV, 1. Coll. IV, 12.

§. IX.

Non minus vero *ea, quae his partibus orationis accidunt*, * largum suppeditant emphasium prouentum, maxime si quid insoleus & inexspectatum in illis obseruetur.

* In hunc censum sequentia referuntur:

I. *Species nominis*, qua illud vel *primitiuum* est, vel *deriuatiuum*; vbi obseruandum α) *vim nominis deriuati ex sua radice, seu origine, eiusque potissimum notione formali, esse eruendam.* Ita vim nominis חטאת cognituro, ad radicem חטא descendendum est, quae formaliter significat *aberrare a scopo*, coll. Iud. XX, 16. Nam ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία, siue aberratio a regula & scopo praeceptorum diuinorum. Idem in vocabulis graecis σπλαγχνίζομαι, κολλάομαι, ἰδρώς, κύριος, cet. accidit; vti vicissim nonnumquam *significatio emphatica radicis ex deriuatis nominibus* perspicitur, vt רחש *ebullit cor meum*, Psal. XLV, 2. ex nomine מרחשת *marchescheth, ahenum*, siue vas, in quo aliquid elixatur & ebullit, Leuit. II, 7. † insuper β) aliae etiam *radices, siue litteris, siue significatione, adfines* consuli possunt. Ita si radix רגז *iratus fuit*, comparetur cum רגש *tumultuatus fuit*, Psal. II, 1. facile patet, eam exprimi priore voce animi commotionem, quae quasi cum tumultu & seditione omnium adfectuum coniuncta est, quod in ira, quae furor breuis est, maxime contingit. De *radicibus cognatis* confer *cap.* VII. §. IV. Denique γ) si radix in lingua ebraica non amplius superfuerit, in eruenda

† Sic Psal. CIX, 4. Gen. XXXII, 24. conf. LÜTKENII *colleg. emphas. c. II.* qui hanc vocat deriuationem *actiuam*, eamque a *passiua*, distinguit.

enda emphasi *ad linguas orientales adfines*, *arabicam maxime*, confugere licet, quippe cuius radices non solum actum, sed & modum subinde emphatice designant. Sic ארכה *cicatrix*, Ier. XXX, 17. ex radice arabica *araka* optime illustratur, quae significat *detumuit vulnus*, *& aequabili ac rubicunda carne coaluit*, teste IAC. GOLIO, in *lexico arabico f. 76.* Sic בהו Gen. I, 2. a radice *baheia*, *vacua fuit demum, & nuda ab omni supellectile*, ibidem *f. 343* Add. CHRISTOPHORI CELLARII *vsus arabismi etymologicus*, & quae supra diximus *cap. VII. §. VIII. IX. p. 272. seqq.*

II. *Figura*, qua vox vel *simplex* est, vel *composita*; vbi in eruenda emphasi vocum *compositarum* ita versandum est, vt illae in suas, ex quibus conflatae sunt, partes resoluantur. Equidem in lingua *ebraea* fons iste aridior est, vtpote in qua, si a nominibus propriis discesseris, pauca nomina composita dantur. e. c. Cant. VIII, 7. amor spiritualis dicitur שלהבתיה *flamma Dei*, id est, ardentissima, quam Deus ipse per verbum & spiritum suum accendit. Sic מאפליה *caligo Dei* Ier. III, 31. בליעל *diabolus*, quasi nullius frugis, 1 Sam. II, 12. cet. Ab argutis tamen & incertis lusibus hic abstinendum est, quorum exempla dedimus cap. VII. §. III. Apud *Graecos* vero, qui vocum compositiones vehementer amant, largius fons ille fluit. Sic πληροφορία, Ebr. VI, 11. eiusmodi notat fiduciam, qua animus velut *plenis* passisque velis in Christum, portum salutis, *fertur*. Est enim vox nautica, a πλήρης, *plenus* & φέρομαι, *feror*, vt pluribus docet GE. CRAVSERVS, in *phosphoro graecarum vocum ac phrasium N. T. p. 312.* Sic ἀποκαραδοκία, Rom. VIII, 19. ἐξαπορεῦν, Rom. XVI, 18. πανουργία, 2 Cor. XI, 3. ἀνεπίλημπτος, 1 Tim. III, 2. ὑπερνικᾶν, Rom. VIII, 37. συναντιλαμβάνεσθαι, Rom. VIII, 26. cet.

III. *Ge-*

III. *Genus nominum*, vbi e. g. genus *neutrum* nonnumquam pro masculo adhibetur, quum tamen de personis sermo sit. Sic filius Dei, ex Maria nascendus, Luc. I, 35. τὸ ἅγιον siue מקדש dicitur, typici sanctuarii antitypus, &, qua humanam naturam, deitatis templum. Adde Matth. XVIII, 11. τὸ ἀπολωλός. 1 Cor. VI, 11. ταῦτα. Vel genus *femineum* legitur, vbi de viris sermo est. Sic Ezech. XXXIII, 26. ad viros dicitur עשיתן תועבה *feciſtis* (gen. fem.) *abominanda*, scilicet secundum R. SALOMONEM, זבור משכב *per scelus Sodomiticum*. Sic VIRGILIVS *aeneid. IX. v. 617.* de viris mollibus & effeminatis: *o verae Phrygiae, neque enim Phryges.* Vide de hac emphatica generis permutatione pluribus differentem vener. IO. ANDR. DANZIVM, in *interprete §. V. not. II.* †

IV. *Gradus comparationis*, vt quum α) *comparatiuus ponitur pro ſuperlatiuo*, vt 1 Cor. XV, 19. Si in hac vita tantum in Christo speramus, sumus ἐλεεινότεροι, Lutherus: *die elendeſten unter allen menſchen*, vt, si omnes omnium hominum miseriae, in vnum cumulum congestae, cum nostris comparentur, nostrae reliquis omnibus sint grauiores. Sic Ioan. X, 29. 1 Cor. XIII, 13. Quum β) *ſuperlatiuus pro comparatiuo adhibetur*, vt quum πρῶτος (per crasin ex πρότατος) ponitur pro comparatiuo πρότερος, 1 Ioan. IV, 19. Deus non dilexit πρῶτος, vbi non solum *prioritas temporis*, sed *principii* quoque & originis, vnde res alia dependet, significatur. Sic Ioan. I, 15. πρῶτός μου ἦν, non solum me tempore prior, sed *meus* etiam *princeps*, a quo ego pendeo in vita & doctrina, vt pluribus comprobat DAN. HEINSIVS, in *ariſtarcho ſacro*, *cap. XV. p. m. 302.* Denique γ) quum *ex ſuperlatiuo nouus comparatiuus* conficitur, vt quando se Paulus Eph. III, 8. inter omnes sanctos ἐλαχιστότερον esse dicit. Nimirum non satis-

† Adde LÜTKENII *colleg. emphaſ. cap. X.*

satisfacit modestiae eius, ἐλάχιστος dici, sed, quum vereatur, ne plures postremum illum locum ambiant, se omnibus *minimis* sanctis *minorem*; vti 1 Tim. I, 15. omnibus peccatoribus maiorem, profitetur. Sic apud ARATVM etiam occurrit χειρότερος, apud XENOPHONTEM ἐσχατότατος, vt BR. SCHMIDIVS obseruauit, in *notis ad N. T. p. 1407.*

V. *Numerus*, si α) *singularis loco pluralis* adhibitus legitur, vbi collecta multitudo, vel tota species exprimenda est: vt quando totum malorum spirituum agmen, Eph. VI, 16. ὁ πονηρὸς *malignus* dicitur, quia totius cateruae vnus est nocendi conatus. Sic Exod. XXIII, 28. Esa. XXV, 1. Ion II, 4. 1 Pet. II, 24. Si β) *pluralis pro singulari* ponitur ad rei praestantiam & frequentiam denotandam, vt Cant. V, 16. palatum eius est *dulcedines*, hoc est, quidquid ex ore eius proficiscitur, est dulcissimum. Sic מתים *mortes* Esa. LIII, ישועות *salutes*, Psal. LXII, εὐσέβειαι, *pietates*, 2 Pet. III, 11. Si γ) *terminationes diuersi numeri* inter se miscentur, vt Psal. LXVIII, 18. Currus Dei Messiae est רבותים *plures myriades duplicatae*, quo innumerabilis multitudo exprimitur. †

VI. *Casus*, vt quando e. c. casus primus absolute ponitur, vt locum integri membri in oratione occupet, quo lector, quasi in suspenso relictus, melius ad dicenda attendat. Id quod non solum in ebraeo sermone contingit, vt Psal. XI, 4. יהוה בשמים כסאו *Iehoua* (quod ad Iehouam attinet) *in caelis est thronus eius*; sed etiam in graeco, vt Apoc. II, 26. ὁ νικῶν, *qui vicerit*, -- *dabo illi potestatem in gentes*, vbi per illum hiatum constructionis, lectori quasi expendendum relinquitur, quanti a Deo aestimetur animus masculus, & hostibus spiritualibus superandis intentus. Sic etiam Act. VII, 41. 1 Ioh. II, 27. Apoc. III, 21. c. VI, 8.

VII.

† Adde de emphasi *numeri* LÜTKENIVM *l. c. c. XI.*

VII. *Personarum* subita mutatio, plerumque aliquid emphatici insinuat, vt quando scriptores sacri *primam* personam ponunt pro secunda, vel tertia, adeoque se ipsos includunt, vt 1 Cor. X, 7. ne *fiatis* idolorum cultores, v. 8. 9 neque *scortemur*, neque Christum *tentemus*. Item Rom. III, 7. 8. 9. Gal. V, 26. cap. VI, 9. 1 Pet. IV, 3. cet. Saepius enim apostoli istac adhortandi forma vtuntur, quippe quae est congruentissima oeconomiae gratiae, quae imperium omne, conscientiis graue, excludit: vt adeo ipsi quoque illi, licet tamquam magistri cum auctoritate officia credentibus praescribere possent, aliis eiusdem corporis membris nullum commendent officium, nisi in cuius partem & communionem ipsi venire velint, vt egregie monet clarissimus CAMPEGIVS VITRINGA, in *animaduersion. ad methodum homiliarum*, *p. 118.* Inprimis πάθος quaerendum, *quando scriptores sacri a secunda persona, affectu abrepti, orationem ad tertiam conuertunt*, vt Prou. I, vbi aeterna sapientia, postquam v. 27. ipsos stultos adloquuta fuerat, iisque interitum denuntiarat, v. 28. commutata persona pergit: *tunc* ILLI *clamabunt; verum ego non audiam.* Nimirum a turba stultorum, quos indignos iudicat vlteriori adloquio, vertit se ad alios, qui spem relinquunt emendationis, vt illi saltem hisce comminationibus territi, mores stultorum discant auersari. Adde Gen. XLIX, 4. Deut. XXXII, 15. Psal. XXII, 27. Mich. V, 1. seqq. c. VI, 1. seqq. Luc. I, 45.

VIII. *Coniugationis* indoles nonnumquam etiam emphasin spirat, maxime in *Piel & Pyal*, de quibus vener. VALENT. ERNESTVS LOESCHERVS, de *caussis linguae ebraeae*, *lib. II. cap. VII. p. 384.* *Piel*, inquit, *significationem emphaticam, affectibus viuacibus aptissimam, habet, notatque adeo frequentiam, intensionem, & adauctam vim actionis,* inten-

intenſumque ſtudium, atque, ſi materia ſubſtrata patiatur, continuationem actionis ſine intermiſſione. Sic רדף riddeph *eſt perſequi ardenter, ſtudioſe, ad terminum vsque ſine interruptione. Vno verbo, Piel facit actionem praegnantem, actum actui imponit, exercitium actus, qualitatis, vel ſtatus addit. Quodſi igitur Kal ſit verbum* actus tranſitiui, *Piel actum illum augebit. Sin iſtud* actum intranſitiuum *inferat, Piel eiusdem exercitium denotabit. In verbis* qualitatis, *Piel notat qualitatem otioſam non linquere, ſed in actum traducere, talem ſe gerere. In verbis* ſtatus, *eadem coniugatio indicat ſtatum exercere.* Pyal *recipit & patitur, quod in Piel fit.* cet. Huc etiam referri poſſet, ſi verbum *medium*, actiuam & paſſiuam ſignificationem ſimul ſuſtineat, vt Rom. III, 4. ἐν τῷ κρίνεσθαί σε *quum iudicas*, & ab hominibus *iudicaris*; Matth. XI, 5. πτωχοὶ εὐαγγελίζονται. Huc etiam pertinet, ſi *formae verborum ex diuerſis coniugationibus mixtae* ſint, qualia exempla ſupra dedimus, *lib. I. cap. III. p.* 43.

IX. *Temporum* inter ſe commutatio raro emphaſi caret. Ita α) *praeſens pro praeterito* poſitum, innuit, rem ſtatim factam eſſe, & adhuc velut praeſentem ſcriptoris oculis obſeruatam, vt Matth. XXVI, 36. τότε ἔρχεται Ἰησοῦς, vbi Matthaeus Chriſti abitum ad montem olieti ita deſcribit, quaſi illum adhuc praeſentem videret. Adde cap. II, 13. cap. III, 13. β) *praeteritum pro praeſenti* adhibitum rem iam diu antea factam, vel non factam ſignificat, vt Ioan. I, 26. μέσος ὑμῶν ἕστηκεν, medius inter vos & nunc *ſtat, & diu ſtetit*, immo iam olim in itinere per deſertum veſtro coetui interfuit. Adde Matth. XXIII, 2. Act. XII, 14. 16. 1 Ioan. III, 6. γ) *praeteritum, aut praeſens loco futuri* adhibitum, rei certitudinem notat maxime in ſcriptis prophetarum, qui res, poſt multa demum ſecula futuras, ita ſaepe praedicunt, quaſi

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0353
DFG

si aut transactas exponerent, aut nuntiarent praesentes, cuius rei causſas WOLFG. FRANZIVS, de *interpretatione*, *orac.* XLVII. *p.* 450. solide declarat; vt Esa. IX, 6. *Puer natus est nobis*, item Ioan. III, 13. c V, 24. cap. XV, 6. δ) *futurum pro praesenti*, rei inchoatae continuationem, aut consummationem exprimit, vt Rom. III, 30. Vnus est Deus, ὃς δικαιώσει, qui gratis *iustificat*, & in posterum etiam hunc morem constanter obseruabit, quidquid arrogantes Iudaei, meritorum opinione turgidi, obganniant Sic Luc. XXIII, 46. Psal. I, 2. conferatur de temporum permutationibus VAL. ERN. LOESCHERVS, de *causſis linguae ebraeae*, *lib.* II. *cap.* XI. *p.* 433. & FLORENTIVS DE BRVYN, in dissert. de *emendandis temporum ebraeae linguae anomaliis enallagisue*, *Amstelodami* MDCCIV. Neque ε) *aoristi graecorum*, quum nullum tempus definitum designent, emphasi interdum destituuntur, vt Galat V, 24. Qui Christi sunt, τὴν σάρκα ἐσταύρωσαν, corruptam naturae indolem & *cruci adfixerunt* in prima poenitentia, & quotidie adhuc dominium denuo adfectantem, tenacius *adfigunt*: similes illis, qui cruci custodiae causſa apud veteres adstabant, ne suspensus manum, aut pedem, excussis clauis, rursus euelleret, & liberatus euaderet, aut ab aliis detraheretur, confer. ANT. BYNAEI, *gecreuzigten Christum*, *cap* XVII. §. XLVI. Sic etiam Matth. III, 17. ἐν ᾧ εὐδόκησα. cet.

X. *Modus* verborum emphaticus est, vbi exempli causſa, *imperatiuus* ponitur *pro futuro*, ad rei certitudinem designandam. Psal. XXXVII, 27. *fac bonum & habita* (sic certissime habitabis) *in seculum*. Ita nimirum Deus quasi praesens sistitur, vnumquemque iustorum velut in possessionem suam immittens. Sic Gen. XX, 7. Psal. XXXIII, 9. Esa. XLVII, 1. *descende ac sede*, h. e. verissime certissimeque hoc tibi eueniet, vt cogaris de fastigio dignitatis tuae descendere.

§. X.

§. X.

Pars grammatices *syntactica* non minus foecunda est in pariendis emphasibus, si eius constructiones ac loquendi formulae, maxime vbi a communi regula discedunt, attentius perpendantur. *

* I. *Nominis* constructio emphatica est, *quando*, exempli gratia, α) *nomen cum proprio suo plurali construitur*, vt שיר השירים *canticum canticorum*, hoc est, carmen excellentissimum, in quo, secundum ABRAH. CALOVII *bibl. illustrata*, *tom.* I. *p.* 1250. summa & eminentissima mysteria excellentissimo artificio efferuntur, vt nullum vmquam canticum repertum sit, quod cum hoc conferri mereatur, nedum praeferri eidem debeat. Vnde eo magis detestanda est eorum sententia, qui profanum aliquod idyllion esse putant, quo Salomo, sub persona pastoris, amores suos cum filia Pharaonis canat: quam absurdam opinionem grauiter perstringit doctiss. HERMANNVS WITSIVS, *miscellaneor. sacror. tom. I. p.* 228. Sic Gen IX, 25. *seruus seruorum*, siue mancipium infimae conditionis. Apoc. XIX, 16. *rex regum*, cet. β) *Quando vocabula synonymica ita inuicem iunguntur, vt alterum ab altero regatur*, vt Psal. XL, 3. טיט היון *coenum luti*, hoc est, lutum profundissimum, ex omnibus sordium generibus mixtum. 2 Thess. I, 8. πῦρ φλογός, SYRVS: *vehementia ignis.* 2 Petri II, 17. ζόφος τοῦ σκότους cet. γ) *Quando ad rei excellentiam, cum pondere significandam, nomen aliquod diuinum additur.* Solent equidem iudaei interpretes isto canone abuti. Sic DAVID KIMCHI, ad 1 Sam. XXVI, 12. adnotat: הדבר שרוצה להגדילו סומך אותו לאל *Rem, quam vult scriptura amplificare, iungit Deo*; quam

sententiam multi etiam christianorum amplectuntur, & defendunt, quod nuper adhuc fecit auctor dissertationis, quae legitur in *historia critica rei publicae litterariae*, *tom. XI. p.* 228. Sed recte MARTINVS LVTHERVS, *comm. in Genes.* XIII, 10. & SALOMO GLASSIVS, *philol. sacr. lib.* III. *tract.* I. *canon.* XVII. *p.* 593. obseruarunt, non solum rei excellentiam & magnitudinem hisce loquutionibus designari; sed *nomen Dei propriissimam retinere significationem*, & rei, cui additur, *caussam efficientem* denotare. Quia autem a Deo non nisi magna & eximia proficisci possunt, praesertim si supra & contra naturae leges operetur: hinc nominum illorum diuinorum adiectione ἐπίτασις designari non perperam dicitur. Sic Genes. XIII, 10. planities Iordanis ideo *hortus* Dei dicitur, quod in maxima eius & amoenissima vbertate, praepotentis creatoris munificentia insigniter conspiceretur. Sic 1 Sam. XXVI, 12. *sopor Dei* non simpliciter est somnus profundus, sed ab ipso Deo, in salutem Dauidis, hostibus eius immissus. Deus enim, vt HVGO GROTIVS adnotat, sua vi somnum & profundiorem fecerat, & diutius continuauerat. Videatur ERDWIN HERM. POLEMANN, in dissert. sexta, de *pleonasmis scripturae sacrae*, & CHRISTOPHORVS HENRICVS RITTMEIERVS, in diss. *de nominibus diuinis, stilo scripturae sacrae rem amplificantibus.*

II. *Particularum* constructionem saepe emphases exprimere, supra §. V. VIII. iam obseruauimus. Addimus, particulas *interrogatiuas* ea vi gaudere, vt α) *in oratione negante fortius adfirment*, 1 Par. XXI, 17. *nonne* ego is sum, qui peccauit? hoc est, ego certe, nec alius, deliqui, istamque poenam commerui, vnde 2 Sam. XXIV, 17. adfirmatiue exprimitur; contra β) *in oratione adfirmante vehementius negent*, vt 2 Sam. VII, 5. *an tu mihi aedificabis domum?*

mum? hoc est, nequaquam cupio, a te mihi domum aedificari, vnde 1 Par. XVII, 4. negatiue exprimitur: *non aedificabis.* Sic Iob. V, 1. *Voca quaeso,* הֵישׁ *num sit, qui respondeat tibi, ad quemnam de sanctis respicies?* hoc est, ad neminem de sanctis respicere potes, ad caussam tuam adferendam. Quae si cogitasset ROBERTVS BELLARMINVS, *de verbo Dei, lib. II. cap. XII.* numquam sane scripsisset, *ebrium fortassis fuisse* CHEMNITIVM *nostrum*, quum, inuocationem sanctorum hoc dicto probari posse, negauerit, in *exam. conc. Trid. p. 620.* edit. Geneu. Obseruat tamen IOANNES SAVBERTVS, in *palaestra philologico-theolog. p. 208.* non perpetuum esse illum canonem; & exempla adfert, vbi *adfirmatiuae interrogationes vim adfirmantem retinent & augent*, vt 1 Sam. X, 24. הֲרָאִיתֶם *num vidistis*, quem elegerit Dominus? id est, *omnino illum videtis.* item 2 Sam. XV, 27. Ezech. VIII, 6. Ier. XXXI, 20. Insuper vener. VALENTINVS ERNESTVS LOESCHERVS, in *breuiario theolog. exeget. p. 157.* hunc canonem exhibet, *Interrogationes adfirmatiuae semper* (saltem *plerumque*) *indicant, multa & maxima impedimenta adesse, quo minus res fiat, vel existat. Interrogationes vero negatiuae indicant, nullum impedimentum dari, quo minus res fiat, vel exsistat.*

III. *Verborum* constructio emphatica est, quum α) *verba regunt nomen, siue coniugatum, siue cognatum*, vt Luc. II, 9. ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν. Sic Gen. XXVII, 33. 2 Sam. XIII, 36. Ioan. I, 20. Ioan. III, 29. β) Quum *verba finita iunguntur suo infinito.* Nimirum si infinitiuus verbo finito *praeponatur*, certitudinem, euidentiam, excellentiam exprimit, vt Gen. XXXVII, 33. טָרוֹף טֹרַף יוֹסֵף *discerpendo discerptus est Ioseph*, hoc est, extra omne dubium crudelissime discerptus est; si *postponatur*, continuatio-

nem, reique frequentationem indicat, vt Gen. XIX, 9. וישפוט שפוט *iudicat iudicando*, continuo nobis & indesinenter suis correctionibus molestus est. Sic Gen XXXI, 15. Ier. XXIII, 17. Psal. XLIX, . γ) *Quum verba, motum per se non significantia, ex particula, cum qua construuntur, hanc vim accipiunt*, adeoque duos actus cognatos praegnanter designant, vt Gen. XLIII, 33. *admirati sunt vir ad alterum*, hoc est admirantes & obstupefacti alter alterum respexerunt. Sic Apoc. XIII, 3. Idem Esa. XXXVIII, 17. *amasti*, & amore compulsus extraxisti, *animam meam ex fouea*. Cant. VII, 12. *mane surgamus*, & conferamus nos *ad vineas*. Sic 1 Sam. XXI, 16. Luc. XXI, 38. 1 Cor. V, 2. δ) *Quum verba composita coniunguntur cum eadem praepositione, quae partem compositionis constituit*, vt Gal. III, 13. Χριστὸς ἡμᾶς ἐξηγόρασεν ἐκ τῆς κατάρας, *Christus exemit nos* EX *maledictione*, qua constructione periculum, ex quo erepti sumus, iterum iterumque reputandum sistitur, simulque virium contentio ex parte redemtoris exprimitur; vt egregie obseruat ven. IO. GVST. REINBECK, de *redemtione per λύτρον*, *p. 287*. Sic Ioan. VI, 37 ἐκβάλλειν ἔξω. LXX. Gen. XXII, 18. ἐυλογηθήσονται ἐν τῷ σπέρματί σου.

§. XI.

Neque putandum est, *figuras grammaticas*, * sine vlla semper emphasi in scripturis adhiberi. Quum enim in sacris paginis nihil otiosum, nihil inaniter superfluum, nihil mancum reperiatur; saepe accidit, vt indices emphasium non contemnendi in istis, vocum mutationibus exhibeantur.

* *Figurae grammaticae*, quae hic in censum veniunt, sunt vel *orthographicae*, vel *etymologicae*, vel

vel *syntacticae*, de quibus singulis seorsim, breuiter tamen, agemus.

I. FIGVRAE ORTHOGRAPHICAE sunt, quae *litteris* aliquam mutationem adferunt, quorsum e. g. pertinet *antistoechon*, quum littera pro littera ponitur, vt Esa. XIII, 22. אלמנית *palatia*, pro ארמנית quod vates, spiritu sancto actus, non temere ita pronuntiasse putandus est, vocibus אלמון *viduitas* & ארמון *palatium*, in vnam quasi conflatis, vt hoc modo *palatia* babyloniorum *viduata ac deserta* efficacius oculis lectorum obiiceret. Idem in voce מרחבה Esa. XIV, 4. pro מזהבה *aurea illa vrbs*, contingere, a nonnullis obseruatur, vbi propheta populi babilonici superbiam & auri sacram famem irrisurus, dialectum ipsorum imitari videtur.

II. FIGVRAE ETYMOLOGICAE vel

1. *Voci aliquid superaddunt*, vt *prosthesis*, *epenthesis*, *paragoge*, quod non raro, duce adfectu, fit, ad augendam vocis significationem. Vt Psal. CXX, 1 בצרתה לי *in* maxima & inusitata *angustia*, quae *mihi* obuenit: vbi ה paragogicum, KIMCHIO etiam ad h. l. adnotante, intendendi vim habet. Sic Cant. V, 3. acedia sponsae, sponsum intromittere cunctantis, apte exprimitur: *exui vestes meas*, איככה *quomodo vero rursus induerem illas?* Dum enim per ה *paragogicum* particula interrogandi quasi cum suspirio protrahitur, tardus ille ac lentus oscitantis sponsae adfectus ad viuum repraesentatur. Adde Ioan. II, 10. Ier. XXIX, 25. Gen. XI, 3. 7. 2 Sam. I, 26. Esa. XIII, 7. Idem nonnumquam praestat *epenthesis*, 2 Sam. XXIII, 6. *viri Belial*, Messiam repudiaturi, sunt *sicut spina remouenda* OMNES, כלהם pro כלם Dum enim inserto ה tonus protrahitur, immorari aliquantisper videtur diuinus auctor considerationi huius multitudinis impiorum, antequam pronuntiet, illos in vniuersum omnes, quantacumqu:

que ſpecie ornatos, eſſe plantas, a Deo non plantatas, adeoque euellendas, Matth. XV, 13.

2. *Voci, ſaluo ſenſu, aliquid demunt*, vt *aphaeresis, ſyncope, apocope*, vbi conſonans, vel ſyllaba, ob rapidiorem pronuntiationem, ex adfectu ortam, abſorbetur; Hoſ. II, 4. ריבו באמכם ריבו pro חריבו *litigate cum matre veſtra, litigate!* Deut. XI, 14. הרף ממני pro הרפה *remitte a me*, vt illos exſcindam. 2 Reg. XIII, 18. הך ארצה pro האה *percute*, ſiue fige ſagittas, *in terram.*

III. FIGVRAE SYNTACTICAE vel

1. *Aliquid orationi addunt*, vt *pleonasmus*, α) *vocis ſimpliciter poſitae*, vt Ezech, XXXIII, 11. שובו שובו *reuertimini! reuertimini!* vbi exhortationis diuinae ad poenitentiam feruor, & ingens noſtrae conuerſionis deſiderium, indicatur. Dan. IX, 19. Hoſ. II, 2. cet. β) *ſententiarum*, quae vel iisdem, vel diuerſis, & ſynonymicis verbis repetuntur; quales repetitiones, monente SALOM. GLASSIO, *philolog. ſacr. p. 1230.* ſpiritu potius ac fide admirandae, quam irridendae, & ad vitioſas tautologias referendae ſunt, vt IO. CLERICVM, MARCVM MEIBOMIVM, aliosque criticos audaciores, facere, ſupra obſeruauimus, *cap. VII. §. XVII. p. 298.* †

2. *Aliquid orationi detrahunt*, vt *ellipſis*, quae plerumque ſapienti conſilio adhibetur. Vti enim nihil otioſe in verbo Dei redundat; ita nihil etiam ſine graui ratione deeſſe credimus. e. c. Pſal. CIX, 4. Meſſias dicit אני תפלה *ego* ſum *oratio*, vbi SALOMO GLASSIVS cum multis iudaeis interpretibus ellipſin ſtatuit, nomenque איש ſupplendum iudicat. Sed quid, quaeſo, iſto additamento opus? Multo enim profecto plus dicit, qui dicit: *ego ſum ipſa oratio*

† Conf. CL. HERM. CHRISTOPH. ENGELCKENII Iduas diſſ. *quibus nullum in ſacris litteris pleonaſmum*, otioſum ſcilicet, *dari* euincit. Roſt. 1703. & 1704. Add. POLEMANNI diſſertationes *de Pleonaſmis.*

ratio, quam qui se *virum orationis* profitetur. Nemo certe mortalium dicere potest, se ipsam esse orationem, quum nemo tam sanctus sit, quin in oratione nonnumquam distrahatur: tantum abest, vt perpetuo mentem ad Deum habeat directam, vt perire obseruat ABRAHAM CALOVIVS, *bibl. illustr. tom.* I. *p.* 1085. Vnde emphatice hac expressione notantur continuae, ardentissimae, sanctissimaeque Christi precationes. Idem in aliis ellipsium exemplis pie tentandum est. Confer. MATTH. HILLERI dissertationem de *sermone diuinorum scriptorum elliptico*, quae exstat in *syntagmatibus sacris*, *p.* 368. & SAL. GLASSII *philol. sacr. pag.* 1198. Adde de emphasi *ellipstum* B. LÜTKENII *colleg. emphasiologicum c. XX.*

3. *Aliquam in oratione mutationem inducunt*, vt sunt α) ENALLAGE, cuius plura exempla SALOMO GLASSIVS exhibet *philolog. sacr. lib.* IV. *tract.* II. *p.* 1234. Sed rectius verbi diuini honori consulunt, qui causas eiusmodi mutationum follicite indagant, quam qui illis enallages nomen otiose imponunt. † Ita sane non superuacanea est personarum enallage Matth. V, 11. vbi Christus, qui hactenus in *tertia* persona loquutus erat, *beati sunt pauperes*, & sic porro; nunc, sermone ad discipulos conuerso, in *secunda* persona pergit: *beati estis vos* cet. Sed rei necessitas ita postulabat, vt adplicationem, ad ipsos sectatores suos directam, adiungeret, ne quis ipsorum existimaret, se ab hac beatitate excludi; haec talia ad se non pertinere. Neque enallage *temporum* Psal. LXVIII, 9. 10. 11. aut *numeri* Psal. XIV, 1. *casuum*, Apoc. I, 5. cet. emphasi & adfectu caret. β) HYPALLAGE, vbi, quod dici

† In *enallagis* Scripturae eliminandis laborarunt IO. MATTH. POLEMANNVS, de *enallagis textus ebraei V. T.* & IO. CHRISTIANVS HERZOG, in diss. *de auxiliis grammaticis certitudinis hermeneuticae in lingua N. T.* Lipsiae, 1709.

debebat de vno, dicitur de altero, vt Iud. I, 8. *vrbem miserunt in ignem*, vbi ex mente R. SAL. BEN MELECH, in *michlal iophi*, *f.* 53. *a* quem caecum ducem multi alii sequuti,) est הִפּוּךְ siue *hypallage*, pro: *ignem miserunt in vrbem* Sed quis non videt, verba, quae scriptor sacer adhibuit, multo esse efficaciora? Significant enim, vrbem ita fuisse incensam, vt non ignis vrbi, sed vrbs igni immissa visa sit: alioqui enim ignis potest in vrbem coniici, vt non propterea totius vrbis conflagratio consequatur. Sic Exod. III, 2. Psal LXXIV, 7. & CVI, 46. cet. Conf. CL. FRANC. WOKENII *pietas critica*, *part. I* qua *hypallagae* ex textu sacro proscribuntur. γ) SYNCHYSIS, quum vel ordo constructionis naturalis turbatur, vel integra facta alio, quam quo contigerunt, ordine & loco recensentur; quam AVGVSTVS VARENIVS in *decad. Mos. p* 404. haud immerito *ignorantiae & audaciae criticae theatrum* adpellat. In profanis auctoribus synchyses, quantum libet, quaerantur; scriptura, a Deo, omnis ordinis auctore, profecta, talia monstra non alit. Adfectui potius istae transpositiones imputentur, qui, in quae incidit, attexit illis, quae ad institutum pertinent, vt bene monet ANDREAS IVLIVS DORNMEIERVS, in *philolog. biblica*, *c. X. p* 78. Exempla vide supra *c. VI. §. XVI.* Addatur FRANCISCI WOKENII *pietas critica*, *part. II* qua *synchyses* ex textu sacro proscribit.

§. XII.

Absit vero, vt *accentus* ebraeorum, quos multi alto supercilio indignis modis contemnunt,* silentio praetereamus, artificiosissima illa signa distinguendarum & connectendarum partium orationis, prout sensus & adfectus requirit; quorum positus, in primis

mis insolentior, non raro ad perueſtigandum dicendis adfectum, & orationis emphaſin, viam feliciter offendit. **

* Sunt non inter vulgus modo eruditorum, ſed inter ipſos etiam rei publicae litterariae proceres ac dictatores, qui innocentes iſtos apices inſectantur. IO. CLERICVS, *art. crit part. I. cap. IV. §. VII. p. 78.* *Accentuum*, inquit, *nulla plane habenda eſt ratio, quippe qui ſint ſine cauſſa inuenti ab hominibus, qui ne accentuum quidem naturam norant.* Satis pro imperio! Vide tamen, quae ſupra de illorum auctoritate diximus, *lib. I. cap. II. §. V. p 28.* †

** Vt ſi dominus ponatur loco ſerui, dominus maior loco minoris, ſeruus loco domini, & ſic porro. Vbi *minor* DISTINCTIO, *loco maioris poſita*, celeres animi, ſiue irati, ſiue deſiderantis, ſiue metuentis commotiones indicat; *maior* DISTINCTIO, *in locum minoris ſubſtituta*, animum pingit haerentem, atque aut ſtupefactum, aut mirabundum, aut cohorrescentem, prout nimirum argumenti, de quo agitur, indoles requirit, vt pluribus docet vir diligentiſſimus, IO. FRANCKIVS *diacriticae ſacrae, part. II. p.* 143. 198. *ſeqq.* Exempli cauſſa primum ebraei codicis comma adponamus, quod ita legitur diſtinctum: בראשית, ברא אלהים׃ את־השמים, ואת־הארץ׃ Hic IOANNES CLERICVS, *diſſertat. praeliminari II. in pentateuch. §. VIII. Vel duo*, inquit, *prima vocabula geneſeos omnem accentuum doctrinam refutant.* Vtinam vero vir doctus lectori ſuo id paulo clarius demonſtraſſet. Obſeruatur quidem in iſto commate quaedam interpunctionis inſolentia, ſed ex adfectu admirationis profecta, & ſapientiſſimo conſilio adhibita Voci ſcilicet אלהים quae ne *comma* quidem in latino ſermone ferre poſſe videbatur, *atnach*, ſiue

† Add. M. CHRIST. FRID. BAVERI, *vernünftige Gewiſsheit der Hebr. Accentuation.* Lipſiae, 1730.

colon legitur adscriptum, vt hic pedem aliquantisper figat attentus lector, & creatoris considerationi prius, quantum satis est, immoretur, quam ad res creatas את השמים ואת הארץ contemplandas festinet. Insuper verba ברא אלהים non per constructionem solum, sed & per accentus arcte coniunguntur, vt ita actus creandi soli Deo vindicetur, qui vocat τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα, vt pluribus docet ven. IO. HENRICVS MICHAELIS, im *gründlichen Unterricht von den Accentibus*, *p.* 35. 38. Porro Iob. XIX, 27. in verbis אשר אני אחזה־לי verba priora, *quem ego*, per constructionem minime cohaerentia, accentuum tamen vinculo colligantur, ad repraesentandum Iobi adfectum, quo illum suum Goëlem ita complectebatur fide, vt quasi in vnum spiritum cum illo coalesceret, numquam illum dimissurus, coll. Gen. XXXII, 26. 1 Cor. VI, 17. Contra Ier. VII, inter v. 9. 10. *Sillukus* velut sepimentum interponitur, indicaturus, seiunctissima esse per rerum naturam, quae Iudaei male coniungebant, scilicet *furari, moechari, peierare*, v. 9. & tamen *templum frequentare*, v. 10. Plura dabit IO. FRANCKII *diacritica sacra*. † Vitandus tamen est in hoc studio omnis excessus, qui committitur ab illis, qui mera mysteria vbiuis quaerunt, & ea ex accentibus exsculpunt, quae nulla prorsus apodixi rationabili nituntur: cuius specimina suppeditabit CHRISTOPHORI SEEBACHII *aufgeschlossene accentuatio metrica*.

§. XIII.

Pergimus ad fontes *criticos*, qui emphaseos vestigia, in antiquitatibus veteribusque monumentis quaerenda, ostendunt, quae saepe haud contemnenda adminicula, ad pondus sacrarum vocum profundius introspiciendum, suppeditant. *

* For-

† Ex GE. CHRIST. DACHSELII, V. CL. *biblia ebraica accentuata*, Lipsiae edita 1730.

* Fontes critici, qui emphasium cognitionem subministrant, sunt

I. *Antiqui ritus* ad quos adluditur, & quidem

1. *Sacri.* Ita vim verborum: *Deus proposuit Christum ἱλαστήριον*, Rom. III, 25. *Primitias spiritus accepimus*, Rom. VIII, 23. *Spiritus gloriae super vobis requiescit*, 1 Petr. IV, 14. *Abluti corpore aqua pura*, Ebr. X, 22. *Libari super sacrificio & ministerio fidei*, Phil. II, 17. cet. nemo recte ostendet, qui hospes fuerit in ritibus sacris ecclesiae iudaicae. Qua in re Iudaeorum etiam monumenta, & de ritibus suis testimonia, in auxilium vocari posse, pluribus ostendit THEODORVS DASSOVIVS, tribus dissertationibus, *de emphasi sacrarum vocum, ex veteri historia ebraeorum repetenda*, cuius tamen *lexicon ebraeum emphaticum*, quod vir doctus promiserat, cum morte ipsius intercidit. Vide celeberrimi IOANNIS ALBERTI FABRICII *bibliographiam antiquariam*, *p.* 15.

2. *Profani.* Ita verba & phrases N. T. quibus ad *ludos* & *certamina* veterum adluditur, vt 2 Tim. II, 5. cap. IV, 7. 1 Cor. IX, 25. cap. XV, 58. Gal. V, 7. cet. ex ritibus agonisticis dextre explicari posse, docte ostendit IACOBVS LYDIVS, in *agonisticis sacris*, siue *syntagmate vocum & phrasium agonisticarum. περικαθάρματα*, 1 Cor. IV, 13. dictos fuisse homines piaculares, quorum capite omnia ciuitatis, aut gentis alicuius scelera luebantur; & qui ad auertendam deorum iram deuouebantur, ex antiquitatibus profanis demonstrat CHRISTOPH. GEORG. MEYERVS, in dissertatione *de hominibus piacularibus*. Vti emphasin vocis תכבסני Psal. LI, 9. *ex fullonum antiquitatibus* peculiari dissertatione explicatam dedit clarissimus CHRISTIANVS SCHOETGENIVS.

II. *Prouerbia*, *& solemnes veterum formulae.*

Ita

Ita saepe emphatice *foueam fodere* dicitur, qui de alicuius exitio cogitat, eique perniciem, siue aperte, siue per insidias, machinatur, vt Psal. LVII, 7. & alibi. Idem accidit in phrasibus, *super tectis praedicare*, Matth. X, 27. *neque manum, neque pedem mouere*, Gen. XLI, 44. *contra stimulum calcitrare*, Act. IX, 5. cet. Ita in illo pontificis, Ioan. XI, 50. *expedit, vt vnus homo moriatur loco populi*, haud obscure adluditur ad solemnem formulam, qua Iudaei adloquebantur reum, ad mortem condemnatum, תרא מיתתי כפרה עליו ועל כל ישראל *Sit mors eius propitiatio pro ipso, & pro vniuerso Israele.*

III. *Vsus vocis apud sacros & profanos auctores.* Ita apud auctores.

1.) *Sacros* attendendum, ad quae obiecta vox illa, cuius emphasin eruimus, alibi saepe transferatur, vt Ier. IV, 19. חומה לי לבי STREPIT *mihi cor meum*, quod verbum alibi, cap. V, 22. cap. VI, 23. Esa. XVII, 12. cet. *de strepitu maris, procellis concitati*, adhibetur; vnde hoc loco motum animi vehementem ac turbulentum denotat. Similiter quum Babylonii adpellantur גוי איתן *gens valida*, Ier. V, 15. vox alibi Exod. XIV, 27. Psal. LXXIV, 15. legitur de *fluuiis rapidis*, qui omnia inundant. Sic גבר Psal. CXVII, 2. conf cum Gen. VII, 18. 19. Idem in vocibus graecis obseruandum. Ita emphasis verbi φερυζεῖν, Phil. IV, 7. ex 2 Cor. XI, 32 emphasis verbi φιλοτιμεῖσθαι, 2 Cor. V, 8. ex Sap. XIV, 18. cet. discî potest. Conf de parallelismo emphatico CONRADVS KIRCHERVS, de *concordantiarum biblicarum vsu, vsu III.* & IO. GEORGII WILLII *promtuarium emphasium biblicarum.* Adde ven. LÜTKENII *collegium emphas* cap. V.

2.) *Profanos.* Ita quinam sint ἄτακτοι, 1 Thess. V, 14. ex XENOPHONTE illustrari potest apud

apud quem ἀτακτεῖν est officio suo non fungi, sed inornate viuere, *oecon. p. 657.* vbi dicit, ducis esse officium, δοξούμενόν τε τοῖς ποιοῦσιν, ἃ δεῖ ποιεῖν τοὺς ἀγαθοὺς, καὶ κολάζοντα τοὺς ἀτακτοῦντας, *eos, qui faciunt, quod viros fortes decet, muneribus ornare, ac non recte atque ordine munus suum obeuntes plectere.* Ita τενοχωρία Rom. II, . a XENOPHONTE, *de expeditione Cyri, lib. I.* proprie adhibetur *de angustiis viis*, quae plaustris penetrari non possunt. Ita vox ὑποκριτὴς apud AELIANVM, *var. histor. lib. VIII. cap. VII.* adhibetur de mimis & fabularum actoribus, qui in theatro alienam sustinent personam. Sic clar. CONRAD. SAMVEL SCHVRZFLEISCH emphasin vocis ταράττειν, in sacris saepius obuiae, erudite explicat ex profanis auctoribus, in dissertatione *de graecorum verbo, turbationem indicante.* †

IV. *Collatio antiquarum versionum*, quae saepe vim alicuius vocis ac phraseos haud infeliciter declarant. Ita voce ἀγνοημάτων, Ebr. IX, 7. etiam *graviora delicta* designari, ex LXX. interpretibus doceri potest, qui Psal XXV, 7. ebraeum פְּשָׁעַי per illam exprimunt; adde Tob. III, 3. Iudith V, 21. Sic ἐκλείπειν, Luc. XVI, 9. de ipsa *morte* adhibetur, Gen. XLIX, 33. Similem vsum *versio Syriaca noui testamenti* praestat, quae ex. gr. Matth. I, 21. σώσει reddit, *viuificabit* 2 Tim. III, 16. vocem θεόπνευστος vertit, *quae per spiritum scripta est* 1 Cor. XIII, 9. ἐκ μέρους reddit, *parum ex multo* cognoscimus cet. ††

§. XIV.

Fontes *rhetorici* innumeros emphasium riuulos pollicentur, si post diligenter excussum dicentis adfectum, tropi ac figurae, qui-

† Adde LÜTKENII *collect. emph. c. V. membr. 30*

†† Adde LÜTKEN. *loc. cit. c. VI.*

quibus ſtilus ſacer velut luminibus paſſim diſtinctus eſt, attentius conſiderentur. *

* Ante omnia ſcilicet hic in cenſum veniunt

I. *Adfectus*, in quibus beatus IOANNES HENRICVS MAIVS, *introduct. in ſtud. philolog. cap. VI. §. VII.* recte dicit *aperiri inexhauſtam quamdam emphaſium ſacrarum abyſſum.* Hinc ſcilicet vera emphaſium menſura pendet. Verba enim, vtpote quae ſunt notae rerum, antea mente conceptarum, vnice formantur, reguntur, ac diriguntur a ſpiritu interno. Prout igitur ille excitatur, & variis laetitiae, triſtitiae, indignationis, admirationis, zeli commotionibus adficitur, ita res etiam ſingularibus & efficacibus verbis efferuntur. Quo grauior itaque adfectus, eo fortior etiam eſt emphaſis, eoque penetrantiora verba eliguntur. Haec qui animaduertit, ſaepe in verbis ſimpliciſſimis, quin & minimis particulis, montes emphaſium deteget. Recte proinde HERMANNVS VON DER HARDT, in *grammaticae exegeticae fundamentis, cap. IV. p. 84.* *Certae quaedam*, inquit, *in ſententia voces, praeterquam quod ampliſſimum rerum maximarum ambitum breuiſſime ſignificent, etiam prae aliis ſingulariter ſono longiore, aut adfectuoſiore ſuſpenduntur, eaeque haud infrequenti geſtu animantur ac inflammantur. Sub ipſa igitur ſimplicitate vocis emphaſis latet inſignis, propter admirabilem rerum copiam ac dignitatem & adfectuum eminentium maieſtatem.* Exemplo ſint verba Chriſti Ioan. III, 16. οὕτω ἠγάπησεν ὁ Θεὸς τὸν κόσμον cet. Addatur *eiusdem* diſſertatio de δεινώσει *ſcripturae*. Quae ab accentibus ſubſidia adfectus inueſtigandi exſpectari poſſint, *§. XII.* & ſupra *cap. III. §. XI. p. 136.* diximus.

II. *Tropi & figurae* ex *adfectibus* oriuntur, & non ſolum ad ornatum, ſed ad pondus etiam orationis

tionis augendum in sacris litteris adhibentur. *Ad mouendos enim audientium & legentium adfectus inuenta est non tropica modo, sed & figurata oratio, vt notio aut viuidior, aut elegantior, aut amplior in illorum mente excitetur. Figurata enim oratio rem exornando auget: non ita quidem, vt illico adpareat, eam augeri, occultius enim hoc fit; sed tamen vt ingerat animo nostro maiorem quamdam imaginem, quam ea esset, quae ex simplici sermone nasceretur*, vt pluribus obseruat IOANNES CLERICVS, *art. criticae part. II. sect. I. cap. XVI. p.* 322. it. auctor *artis cogitandi c. I. § XIV. p.* 74. Addatur IO. DAVIDIS KÜTNERI dissertatio, *de efficacia verbi humani cap. I. §. III. seq.*

Inter tropos, vt stella primae magnitudinis, *metaphora* eminet, quae, SAL. GLASSIO iudice, *miram stilo sacrarum litterarum ἐνέργειαν & euidentiam conciliat, rhetor. sacr. p.* 1526. Ita ἐμφατικοτέρως rex Assyrius *nouacula*, Esa. VII, 20. rex Babylonius *malleus terrae*, Ierem. L, 23. dicitur, quam si vates, verbis propriis id expressurus, vtrumque regem vocasset *instrumentum*, quo Deus *in aliis spoliandis & contundendis* vteretur. Augetur emphasis, *quando plures metaphorae diuersi generis inter se miscentur*, vt quando Esa. XXVIII, 15. exercitus vastator dicitur *flagellum inundans*. Flagelli enim proprie non est, *inundare*. Verum, quia idem ille exercitus, qui Iudaeos magnis plagis ex decreto fori caelestis adfecturus esset, eaque de caussa rectissime *flagellum* dicebatur, simul instar *fluminis*, extra ripas suas saeuientis, obuia omnia esset occupaturus, & vastaturus; hinc commixtis metaphoris *flagellum inundans* dicitur. Accedit *v.* 18. ibidem tertia metaphora: *flagellum inundans si transierit, eritis ei conculcationi*. Scilicet exercitus hostilis speciem habet 1. *flagelli*, quatenus ordinatus erat ad Iudaeos puniendos

niendos, & castigandos; 2. *fluuii*, rem publicam obruturi & inundaturi; & 3. *herois irati*, obuium hostem prosternentis & conculcantis; vt docte monet CAMPEGIVS VITRINGA in *Esaiam*, *tom. II. p.* 138. 148. Sic etiam Ier XXX, 13. Quod vero attinet ad *metonymiam* & *synecdochen*, in eo virtus earum posita est, quod in tali commutatione maius aliquid dicitur, aut minus, quo oratio eo significantior euadat, vt quando *mors in olla* esse dicitur, 2 Reg. IV, 40. & apostoli *nudi*, hoc est, male vestiti, incessisse dicuntur 1 Cor. IV, 11. Denique *ironia* contrarium eius, quod dicitur, significantius cogitandum proponit, vt Zach. XI, 13. *Magnificum* (hoc est, vilissimum sane) *pretium!*

Inter *figuras* maxime huc pertinent *asyndeton*, *polysyndeton*, *anaphora*, *epiphora*, *epizeuxis*, *exclamatio*, *interrogatio*, *dubitatio*, *aposiopoesis*, *prosopopoeia*, *apostrophe*, *hypotyposis* cet. quae omnes adfectuum satellites sunt atque testes. Ita, vt rem paucis tantum exemplis illustremus, LONGINVS περὶ ὕψους, *sect. XIX.* de *asyndetis* testatur, quod perturbationis, aut festinationis vehementiam exprimant. τὰ γὰρ ἀλλήλων διακεκομμένα, καὶ οὐδὲν ἧττον κατεσπευσμένα φέρει τῆς ἀγωνίας ἔμφασιν Vt Esa XVIII, 5. *sarmenta amouebit*, *amputabit*; ad quem locum CAMP. VITRINGA, *p.* 698. adnotat: *Quum vnum verbum non sufficeret cogitationi prophetae exprimendae, mox illi aliud absque mora & copula subiicit; vt & sententia tanto esset fortior, & simul celeritas rei gerendae, & breuissimo tempore efficiendae, hac concita orationis forma significetur.* Sic etiam Esa XXV, 12. fortalitium murorum tuorum השח השפיל הגיע לארץ *deiiciet*, *humiliabit*, *deprimet in puluerem.* *Polysyndeta* LONGINVS *orationem enerua-re* dicit: οἱ σύνδεσμοι ἄκυρον ποιοῦσι τὸν λόγον. Hactenus tamen ad efficaciam sermonis faciunt, quod lecto-

lectores reddant attentos, vt mentem scriptoris sacri facilius intelligant, & ab ipso copulata ipsi quoque copulent, ac vere connexa fuisse cognoscant. Vt quando Moses Gen. XXV, 34. de Esauo ait: *& comedit, & bibit, & surrexit, & abiit, & contemsit primogenituram suam*; vbi velut concatenata series effectuum profani animi narratur. it. Matth. VI, 13. *Epizeuxis* aperta adfectus vestigia exhibet, vt Deuter. XVI, 20. צדק צדק תרדף qua geminatione Deus iudicibus iustitiae studium, sancte colendum, efficacius inculcare voluit. Sic ראשי ראשי 2 Reg IV, 19. ערו ערו Psal CXXXVII, 7. Quid grauius ista *aposiopoesi*: *Ego vero opera & cogitationes illorum!* scilicet noui & vlciscar, Esa. LXVI, 18. Adde 1 Par. IV, 9. 10. cuius emphasin eleganter euoluit CAMPEG. VITRINGA, in *animaduersionibus ad methodum homiliarum, part. II. cap. V. p.* 75. Immo nec *figurae vocum* sua emphasi carent. Ita *paronomasiae* saepius ostendunt, res illas, similibus vocibus prolatas, sibi adeo similes esse & coniunctas, vt vel vulgo confundantur, vel pro iisdem iure aut diuino, aut humano, habeantur, vt Esa. I, 4. הוי גוי חטא vbi necessaria inter *poenam* & *culpam* coniunctio subindicatur. Ita Psal. XXXII, 1. נשוי פשע כסוי חטאה vbi spiritus sanctus serio illo lusu in vocibus נשוי, כסוי innuere simul voluit, peccata, semel remissa, lusum vmbrasque, & inanes laruas esse fidelibus, quae nullum illis amplius terrorem, nullumque damnum incutere ac inferre possint. Sed haec fusius, & per singulas figurarum species deducere, nostri instituti ratio non permittit. Videatur SALOMONIS GLASSII *rhetorica sacra*. Cui iungi potest IOACHIMI CAMERARII *notatio figurarum orationis, & mutatae simplicis eloquutionis, in apostolicis scriptis*; nec non LAMPERTI ALARDI *promptuarium patholo-gicum noui testamenti*, & venerandi AVGVSTI HER-

MANNI FRANCKII dissertatio de *emphasibus scripturae* §. IX. seqq. HENR. BONICK, diss. de *emphasi graecae linguae noui testamenti.*

§. XV.

Denique *fontes logici* emphases suppeditant, si ordinem verborum, * & nexum propositionum, ** attentis oculis, & adhibito sano iudicio perlustremus.

* Ita WOLFGANGVS FRANZIVS, de *interpret. orac. XLI p.* 423. ad locum 1 Pet. IV, 15. nemo vestrum patiatur, vt homicida, aut fur, aut maleficus, aut ἀλλοτριοεπίσκοπος, dudum obseruauit; intensiorem emphasin, quam vocis origo prae se ferre videtur, huic vocabulo esse adsignandam, quum apostolus istud vitium adnumeret homicidiis, furtis, aliisque sceleribus grauioribus, quae a magistratu puniri solent. Vnde ἀλλοτριοεπίσκοπον eum esse putat, *p.* 425. qui, sub specie religionis, magistratui politico pertinaciter repugnet, absque legitima vocatione rebus nouis studendo. Ita Ierem. XIII, 27. verba turbata לא תטהרי אחרי מתי צר *quousque amplius non mundaberis?* pingunt adfectum prophetae ex atrocitate scelerum populi iudaici prorsus turbatum & obstupefactum; vnde magnum huic interrogationi pondus accedit. Adde 1 Ioan. I, 5. cap. V, 19. & quae supra monuimus *cap. VI. §. XVI. p.* 249. Neque contemnendum adminiculum est, si *oppositio* obseruetur, quae inter duas pluresque voces occurrit. Ita quum Petrus 1. ep. II, 18. obtemperandum dicit dominis οὐ μόνον ἀγαθοῖς τῇ ἐπιεικείαν, ἀλλὰ καὶ σκολιοῖς; necesse sane est, vocabulo σκολιοῦ quam plurima

rima significari, quum duabus vocibus foecundae significationis opponatur. Sic 2 Cor. II, 17. †

** *Nexus propositionis* obseruandus est

I. *Internus*, vbi videndum, an in positu subiecti & praedicati, eiusue copula, aliqua adfectus vestigia legi possint: vt quando praedicatum subiecto antepositum est, 1 Petr. I, 3. εὐλογητὸς ὁ Θεος Rom. VI, 23. ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας θάνατος; aut copula emphatice deest, vt Matth. V, 4. μακάριοι οἱ πενθοῦντες; & quae alia huc pertinent. ††

II. *Externus*, vbi attendendum, quid connexio propositionis cum antecedente, emphatici spiret, vt Gen. VIII, 21. *Non amplius exsecrabor terram propter hominem*, כי NAM *figmentum cordis humani malum a pueritia est*; qua connexione admirandus diuini pectoris adfectus, quo nostram miseriam vt misericordiae suae officinam respicit, exhibetur. Ita Esa. LVIII, 8. 9. 10. quum propheta post recensitas *conditiones*, ab ecclesia restituenda obseruandas, totus in eo esset, vt laeta illius resipiscentiae consequentia explicaret; ex improuiso rumpit orationem, & ne, qui hic compellantur, perdant memoriam *conditionum*, quas Deus requirit, ad eas inculcandas medio v. 9. regreditur: *si e medio tui abstuleris iugum* cet. vide etiam Phil. II, 12. 13. Act. IX, 15. 16. Huc etiam pertinet mos ille scriptorum sacrorum emphaticus, quo deductas ex mediis terminis ratiocinationes, nouis rationibus vrgent & prosequuntur, *vt* ita saepe *conclusio*, *& a fronte & a tergo ponderosissimis argumentis stipata*, *in aciem prodeat*, vt 1 Thess. V, 5. *Non sumus noctis, aut tenebrarum.* vers. VI. *Ne dormiamus* ERGO, *vt ceteri, sed vigilemus, sobriique simus.* vers. 7. NAM *qui dormiunt, noctu*

† Add. de emphasi *contrariorum* LVTKENIVM, *c. XXI.*

†† Conf. medit. nostras *uber die acht Seligkeiten p. 22. 23.*

noctu dormiunt cet. Sic. Rom. VIII, 11. 12. 13. cap. XII, 19. 20.

§. XVI.

Ceterum, vti in *defectu* peccant, qui nullam fere singularem emphasin sapientissimis Dei verbis inesse putant;* ita non minus in *excessu* peccatur ab iis, qui aut omnes ebraeas graecasque voces in meras emphases transformant,** aut vocum pondus, vltra dicentis scopum atque argumenti rationem, violenter extendunt.***

* Pertinere huc inter alios videtur IOAN. CLERICVS, *art. crit. part.* II. *sect.* I. *cap.* IV. vbi vir doctus multis haud contemnendis monitis, multa etiam spuria immiscet, maxime §. XVI. XVII. XVIII. Sic in verbis Ier. XXXI, 33. *inscribam legem meam animis ipsorum*, nihil reperit emphatici; sed, coaceruatis profanorum auctorum locis, demonstrare satagit, nihil aliud Deum istis verbis polliceri, quam, *se effecturum, vt Israelitae tenerent legem suam memoriter, nec monitore indigerent.* Similiter verba Act. XVI, 14. *Dominus aperuit cor Lydiae*, nihil ipsi aliud significant, quam diuina prouidentia factum esse, vt Lydia attente aurem praeberet Paulo, quod, adducto PLVTARCHI loco lectori persuadere conatur. Quid vero est eneruare diuina eloquia, si hoc non est?

** Sequi id videtur ex ebraeorum sententia, nisi benigna interpretatione adiuuetur: *Non est in lege vel vnica littera, a qua non pendeant magni montes.* Saltem a more illorum hominum non alienum est, in litteris & apicibus haerere, ac magna inde mysteria extundere, dum interim τὰ βαρύτερα τοῦ νόμου secure fastidiunt. Similiter cel. SAM. WE-

REN-

RENFELS *operum p. 376.* inuehitur in nonnullos ex christianis interpretibus, *qui magna vt pugnent pro magnis illis montibus, qui a quolibet scripturae loco pendeant: vsque adeo, vt tamquam scripturae eneruatores accusent, qui non omnia mysteria non omnia mira & meteora vbique cernunt, quae sibi videre videantur.*

*** Ita *Sociniani*, ex loco Ioh. VIII, 58. πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγὼ εἰμι, Christi aeternitatem proscripturi, prouocant ad emphasin aoristi γενέσθαι, qui futurum etiam tempus nonnumquam includat, vide supra §. IX. n. 9. ac proinde hunc sensum pessime exsculpunt: *Antequam Abraham* pater multarum *gentium* FIET (quod post Christi demum adscensionem factum putant,) *ego sum.*

§. XVII.

Caute igitur ac prouide hoc in negotio versandum est, vt euitatis vtrimque extremis, media via incedamus, quam in rem sequentes prudentiae hermeneuticae regulas obseruare iuuat. *

* I. *Tenendum est, plerasque quidem voces sacras suo pondere gaudere; sed non vbique auctorem intendisse, vt certas emphases illis adligaret:* vnde ad rei indolem grauitatemque, ad dicentis scopum, ad reliquas orationis circumstantias, in hoc negotio attendere par est. Ita nomina אנוש, נקבה, υἱὸς ἀνθρώπου, βασιλεύς, per se quidem, si originem spectes, emphasi non carent; interim non putandum est, illam, vbicumque istae voces occurrunt, premendam esse & inculcandam.

II. *In primis cogitandum, emphases, quae ex etymologia ac prima vocabuli stirpe deducuntur, non semper esse firmissimas, quum vsus saepe longe aliud suadeat;* saltem verba non vbiuis actu habeant illud

pondus, quod ex deriuatione habere possunt. Quod si enim e. c. Luc. XIV, 16. ἄνθρωπός τις ἐποίησε δεῖπνον cet. aliquis vrgeat emphasin vocis ἄνθρωπος, quod eum denotet, qui ἄνω τρέπει ὦπα, *sursum vertit faciem*, quid, quaeso, inde commodi in sensum rectius interpretandum redundabit? Belle istam intempestiuam sedulitatem perstringit vir venerandus, IOANNES LAVRENTIVS MOSHEIM, in *cogitationibus philosophicis, de eo, quod iustum est circa litterarum sacrarum ex priscis scriptoribus interpretationem*, §. V. *Quae emphasis*, inquit, *Aristarchum quemdam audio, huius vocabuli? quae efficacia? Descendit illud ab hac vel illa vt aiunt radice, quae haec, aut illud significat. Haec ratio, cur diuinus homo non sit, nec aliter, pronuntiare voluerit. Vides verbum διάκονος? Quam sapienter hic positum est! Deriuatur a κονέω festino. Id igitur vel ipsa vox indicat, in expediendis Numinis mandatis tarditati locum esse non debere* cet. Sic etiam se res in *vocibus compositis* habet.

III. *Neque minus cauendum, vt in vsu vocabuli, in aliis scripturae locis ad haec, vel illa obiecta adplicati, nimium fiduciae ponamus.* Nam a materiali ad formalem & emphaticam significationem non semper valet consequentia. Ita verbum ἀπολύειν de *diuortio*, Matth. XIX, 3. de *abolitione debiti*, cap XVIII, 27. de *liberatione ex carcere*, Act. V, 40. de *dimissione* amici, qui nobiscum conuersatus fuit, Act. XIII, 3. cet. adhibitum legitur. Ecquis vero sibi persuadeat, ad haec omnia simul animum intendisse Simeonem, quum Luc II, 29. diceret: νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου. Idem de vsu vocis apud profanos auctores obseruandum, de quo rursus vener. MOSHEIM *loc. cit. Magni & arcani sensus vox! alius clamat. Solet ea Graecis in ore versari, quoties de praeliis ac cladibus loquuntur. Inde itaque explicatio & vis eius petenda. Vide* THVCYDIDIS, *vide* ARISTOTELIS *loca. Equidem intelligo:*

intelligo: circumspicienti vero, aliis etiam de rebus eamdem vocem a permultis vsurpatam esse liquet. Vnde ergo tibi, vir doctissime, constat, quae praeferenda sit notio? Interim IOANNIS GEORGII WILLIE *promtuarium emphasium biblicarum* multa eiusmodi exempla spuria suppeditabit.

IV. *Maxime in emphasibus vocum, quibus ad antiquos ritus adluditur, omnis excessus euitandus est.* De quo rursus ven. MOSHEIM *loc. cit.* *Alius semper Graecos volitare videt; semper luctatores conspicit; semper olympica cernit certamina. Mox Cereris sibi pandi putat mysteria* (vt vir magnus in dicto Pauli 1 Tim. III, 16.) *mox alia gentium sacra sibi repraesentari censet. -- Vox* τρέχειν *multis locis occurrit. Quid ergo? Cursores hic aduocandi sunt, visque sermonis ex eorum explananda antiquitatibus.* στοιχεῖν τῷ κανόνι *loquutio est, quam* PAVLVS *adhibet Gal. VI, 16. Nisi alba linea, quam vocant, huc referretur, nesciremus, aiunt, quid haec sibi vellent. Idem* ὃς μετασχηματίσει τὸ σῶμα, *Phil. III, 21. inquit. Roscius igitur cum omni adparatu scenico prodeat, ne arcana loci nos fugiant. Sic intimi recessus, vt dicunt, sacrarum litterarum panduntur.* FACOBVM DYDIVM, in *agnosticis sacris*, saepe etiam hac in re modum excessisse, obseruauit, qui eius cogitationes in compendium redegit, *im Berlinischen Hebopfer, sect. II. p.* 157. *seqq.*

V. *Pari iudicio in emphasibus, ex accentuum positu eruendis, versandum est.* Id quod etiam vir harum rerum peritissimus, IO. FRANCKIVS, *diacrit. sacr. p.* 303. candide monere non neglexit, vbi ait: *Non nego, multam emphasin ex accentuum consequutione colligi posse. Illud tamen etiam fatendum fuerit, saepe ex praesentia vel absentia huius vel illius accentus, extorqueri emphases, quae plane in textu non dantur, aut tamen non eo fulcro nituntur.*

VI. *Idiotismi non semper impediunt ac tollunt emphasin, sed illam potius nonnumquam, accedente adfectu, reddunt grauiorem.* Saepe contingit, vt critici idiotismis ad imminuendum stili sacri pondus abutantur. Sic IOANNES CLERICVS, *artis crit. p.* II. *sect.* I. *cap.* IV. §. 4. ridet illos scripturae interpretes, qui in verbis Dei, Gen. II, 17. מות תמות *moriendo morieris*, miram aliquam emphasin quaerant, decepti, vt ait, AVGVSTINI auctoritate, qui *de ciuit. Dei, lib.* XIII. *cap.* XII. hac comminatione comprehendi putat, *quidquid mortis est vsque ad nouissimam, quae secunda dicitur, & qua est nulla posterior.* Et *comment. in pentat.* ad h. l. aperte dicit, *phrasin*, morte morieris, *nullam habere emphasin; sed tantum esse formulam quamdam, in ebraico iure vsitatam, quales sint multae in romano iure, quae prorsus abundent:* quasi vero interpretatio verborum Dei petenda sit ex iure romano, eiusque formulis redundantibus. Profluxit sane illa Dei comminatio ex summo concitatissimoque adfectu. Deus autem, minas spargens, minime ludit inani verborum otiosorum strepitu, sed mera pondera ac tonitrua loquitur. conf. pluribus contra Clericum ea de re disputantem CHRISTOPH. WOLLE, in *XXX. regulis hermen. de circumspecta scripturae illustratione ex auctoribus profanis. p.* 25. 26. Sic non caret emphasi, quando fideles τέκνα φωτὸς Eph. V, 8. antichristus υἱὸς ἀπωλείας 2 Thess. II, 3. idiotismo, ebraeis satis alioqui consueto, dicuntur.

VII. *Emphases ex textu originali, non ex versionibus, eruendae sunt.* In his enim

1) *Emphatice saepe expressa sunt, quae in ipsis fontibus longe aliter se habent*, vnde multae emphases, praeter spiritus sancti mentem, finguntur. Ita emphatica videtur phrasis Luc. XI, 53. *die Pharisäer fingen an Christo mit mancherley Fragen den Mund*

Mund zu ſtopfen. Comparaueris his os Chriſti ſanctiſſimum cum ſcaturigine aquae ſaluberrimae, quam inuidi hoſtes obſtruere & obturare ſuis quaeſtiunculis conabantur, non ſecus ac olim Philiſtaei effoſſos a ſeruis Abrahami fontes terra opplebant, Gen XXVI, 14 15. Pulchra profecto cogitatio; quae vero, ſi graeca inſpexeris, illico euaneſcit. Nam ἀποστοματίζειν (quod beatus LVTHERVS, *vulgatum* interpretem ſequutus, cum ἐπιστοματίζειν, Tit. I, 11. confudiſſe videtur) non eſt *os obſtruere*, ſed *verba ex alterius ore inſidioſe elicere.* Germanice, *einen aushohlen, etwas aus ſeinem Munde locken;* vt ERASMVS SCHMIDIVS, *ad h. l. p.* 561. pluribus oſtendit. Sic videatur Eſa. XLVI, 3. Ier. XV, 16. Mich. III, 5. in verſione Lutheri.

2) *Non ſatis emphatice vis vocis originalis nonnumquam expreſſa deprehenditur*, vt 1 Tim. I, 9. *dem Gerechten iſt kein Geſetz gegeben* Graece: δικαίῳ νόμος οὐ κεῖται, iuſto lex non *incumbit*, neque illum, tamquam rigidus exactor, maledictionis baculo inſtructus, *premit* ac *urget.* Adde Pſal. XCVII, 11 Hebr. X, 11.

VIII. *Eiusdem vocis emphaſis ſuos gradus agnoſcit, in diuerſis locis pro re ſubſtrata diuerſos, ac proinde prudenter diſcernendos.* Ita idem verbum ἀδημονεῖν & de *Chriſto*, Matth. XXVI, 37. & de *Epaphrodito* adhibetur, Phil. II, 26. Sed quilibet intelligit, poſteriori loco non tantam ipſi vim, ac priore, eſſe aſſignandam; quippe tantam pauoris terrorisque vehementiam, quantam Chriſtus generis humani loco expertus eſt, mortale pectus non capit. Accedit, quod cauſſa ἀδημονίας in Epaphrodito infinitis gradibus inferior erat, quam cauſſa terrorum Chriſti. Idem de voce περίλυπος obſeruandum, quae & de *Herode*, Marc. VI, 26. & de *Chriſto*, cap. XIV, 34. adhibetur.

IX. *Denique monendum, explicationi emphaſium non ſemper nuda voce ſatisfieri poſſe, niſi & manuum*

externorumque gestuum ministerium accedat. vide supra *p. 143.* Obseruatione WOLFG. FRANZII, *de interpretat. orat. LVI.* lectu dignissima, id illustrabimus, qui ad Esa. I, 5. 6. *Iam vero,* inquit, *lector, adsuefacias te ad amorem spiritus sancti, qui scripturam sacram non scribit, aut nude recitat; sed ita eam tibi vult propositam, quasi ex ore eius eamdem coram audires. Exempli gratia, ista verba:* super quid percutiemini adhuc? *ista, inquam, verba profert in forma interrogantis cum vehementi adfectu, & post eam interrogationem prolatam quiescentis & tacentis. Dehinc quasi capite concusso, vt solent irati, & manus ambas proiiciendo, vehementibus adfectibus addit:* addetis prauitatem. *Ihr werdet doch durch neue Strafe nicht besser werden,* & quae sequuntur. Haec de emphasium studio, delectationis vtilitatisque plenissimo monuisse sufficiat. Deus faxit, vt indefesso studio, & sancta reuerentia, inexhaustam verbi eius sapientiam, piis precibus armati, perscrutemur, atque emphasium sacrarum cognitione, tum ad nutriendum recreandumque proprium animum, tum ad adficiendos pascendosque alios, salutariter vtamur.

LIBRI SECVNDI
CAPVT NONVM
DE
PARALLELISMO SCRIPTVRAE.

Σύνοψις.

Parallelismi tractatio promittitur, §. I. cuius traditur.

I. *Definitio.*
a) etymologica & mathematica §. II.
b) theologica, §. III.

II. *Fundamentum*, §. IV.

III. *Diuisio* in parallelismum
a) verbalem, §. V.
b) rea-

b) realem, §. VI.
IV. *Media & adminicula parallelismi* conquirendi, §. VII.
V. Duodecim *obseruationes* singulares, §. VIII.
VI. *Cautelae*, in parallelismo adhibendo obseruandae, §. IX.

§. I.

Quum superioribus capitibus passim *parallelismi* mentio iniecta sit, operae pretium est, aliquanto plenius ac studiosius de illo praecipere, quum haud postremum sit interpretis sacri instrumentum, quo scripturas* explanare discimus.

* Nimirum vti mentem PLATONIS, vel AVGVSTINI, non aliunde, quam ex scriptis Platonis & Augustini, certius petimus: sic Dei mentem atque sententiam, non aliunde rectius intelligimus, quam ex scriptura, diuino adflatu edita & consignata. Et vti de mente testatoris non nisi ex tabulis testamenti constare potest: sic de mente & voluntate diuina non nisi ex scripturae, quae *testamentum* vocatur, 2 Cor. III, 6. 14. visceribus erudimur. confer supra *cap. I. §. VII. p. 102.* & adde IOAN. CONRADI DANNHAVERI *herm. sacr. p. 342. 371.*

§. II.

Parallelismi *vocabulum* ex mathematicorum scholis desumtum est,* vbi adhibetur de lineis, quae in eodem plano e regione positae, aequalibus spatiis a se inuicem distant.

* Παράλληλος compositum est ex παρὰ & ἀλλήλων: vnde *parallela* dicuntur *ex aduerso collocata; & lineae parallelae*, definiente EVCLIDE, *lib. I. defin. XX.* sunt, *quae, quum in eodem sint plano, & ex vtraque parte in infinitum producantur, in neutram tamen*

tamen se inuicem tangunt. Vnde adparet, duo maxime ad eiusmodi lineas requiri 1. vt in vna eademque superficie exsistant, 2. vt in infinitum productae, in neutram partem coeant, & se mutuo incidant.

§. III.

Eodem igitur vocabulo, in exegeticam scientiam traducto, designatur variorum scripturae locorum inter se collatio, eo fine instituta, vt obscuriora ex clarioribus illustrentur, vel quae dubia videri poterant, magis confirmentur. *

* Loca igitur scripturae parallela dicuntur, quae siue verbis, siue rebus mutuo consentiunt. Haec enim perinde vt lineae parallelae §. II. primum quidem *in eodem* quasi *plano*, hoc est, scripturarum sacrarum systemate, consistunt; deinde *se mutuo non destruunt*, vel conuellunt, sed potius amice illustrant. Facile vero intelligitur, quo modo parallelismus ab *analogia fidei* differat, nimirum tum ratione *finis proximi*, tum ratione *terminorum*, quos analogia fidei angustiores, parallelismus latiores habet. In sensu enim dictorum *ad fidei analogiam* exigendo, conferuntur loca inter se dependentia & subordinata, atque ex effatis generalibus & indubitatis loca specialia & obscuriora exponuntur. In *parallelismi* autem consideratione etiam loca disparata, & inter se independentia, conferuntur, vt pluribus docet venerandus AVGVST. HERMAN. FRANCKIVS, in *praelection. hermeneut. pos. V. p. 187. seq.*

Solet vero hoc adminiculum hermeneuticum *aliis* etiam *nominibus* ab antiquissimis scriptoribus adpellari; vnde satis constat, non heri demum illud esse in scripturae interpretatione adhibitum. Ita EVSEBIVS de *praeparatione euangelica*, *lib. XIV. cap.*

cap. III. περὶ τῆς τῶν καθ' Ἑβραίους συμφωνίας, siue *de consensu librorum veteris ac noui testamenti*, ex instituto agit. EPIPHANIVS, *haer. LXXIII. §. VII. tom. I. p. 853.* (edit. PETAVII) λέξεις ἐξισαζούσας *dictiones ad amussim respondentes* vocat. *haeres. LXX. §. VII. p. 818.* iubet παραζευγνύναι τὰς λέξεις κατὰ τὴν τῆς γραφῆς ἔννοιαν. A *recentioribus* nonnullis *analogia scripturae*, item *analogia proportionis* dicitur, & in *exemplarem* ac *consuetudinariam* diuiditur; vide AVGVSTI PFEIFFERI *thesaur. hermen. p. 400.* & VALENT. ERNEST. LOESCHERI *breuiarium theologiae exeget. p. 147.* cet.

§. IV.

Fundamentum parallelismi sacri est perpetuus scripturae consensus, quae, quamuis a diuersis scriptoribus consignata sit, ab vno tamen eodemque summo auctore profecta, in rebus pariter ac verbis non potest non consentire. *

* Pulchre ATHANASIVS, *disp. cum Ario, tom. I. p. 116. Absit, vt obloquatur homo diuinis & a Deo inspiratis scripturis*, ὡς οὐ μετὰ συμφωνίας ταῦτα πάντα φθεγγομένων, *quasi non secundum symphoniam haec omnia dicta forent. Vt enim libra iusta, ita inter se congruunt omnes scripturae.* Ita IOANNIS SCHARPII exstat *symphonia veteris & noui testamenti*, & HVGONIS BROVGTHONI *concentus scripturae sacrae*, vt alios taceamus. vid. *supra cap. I. §. III. p. 91.* Ceterum mirificum illum scripturae sacrae consensum non immerito ven. IO. FRANC. BVDDEVS, in *thesibus de atheismo & superst. c. VII. p. 642.* iis argumentis accenset, ex quibus diuina scripturae origo demonstratur. *Quum enim*, ait, *vix vnus homo, quantumuis sapiens sit & eruditus, sibi constet; raro admodum autem duo, vel tres, de vno eodem-*

eodemque argumento scribentes, prorsus inter se consentiant: diuini sane operis certissimum est indicium, si tot homines, temporum, quodammodo etiam locorum interuallo a se inuicem remoti, in doctrina salutis, quam proponunt tam mirifice inter se conspirent, consentiantue Cuiusmodi consensionis exemplum, quum inter humanos scriptores non extet, diuina scripturae sacrae auctoritas recte inde euincitur.

§. V.

Diuiditur vero parallelismus generatim in verbalem & realem. *Verbalis* parallelismus dicitur, quum ea inter se loca conferuntur, vbi eadem, aut similis dictio habetur; licet res fortassis prorsus sit diuersa; qui maxime facit ad sensum *grammaticum* euoluendum. *

* Obseruanda igitur sunt loca,

I. *Vbi eadem vox occurrit.* Sic quando Ierem. XVII, 9. de corde hominis dicitur, quod sit אנש conferri potest Ierem. XV, 18. vbi dicitur מכתי אנושה plaga mea *est desperata*, siue *insanabilis*: item Mich. I, 9. אנוש מכותיה *desperata est* plaga eius. Ex quibus locis apparet, Ieremiam dicere voluisse, *malitiam cordis humani nulla humana arte sanari posse.* Sic verbum ἐυφαίνεσθαι Ebr. IX, 24. etiam Act. XXIV, 1. in negotio forensi occurrit. Hanc collationem genuinae significationi vocum eruendae inseruire, supra obseruauimus *cap VII. §. V. p. 263.*

II. *Vbi eadem constructio ac phrasis legitur*, vt si cum באמת *in veritate*, siue *vere*, Iud. IX, 15. conferantur alia loca, vbi praefixum ב aduerbio formando adhibetur, vt במהרה *in festinatione*, hoc est *festinanter*, Coh. IV, 12. Sic Exod. XXXII, 22. tu

22. tu nosti populum hunc, quod רע *in malo sit*, conferatur cum 1 Ioh. V, 19. ὁ κόσμος ὅλος ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται Phrasis: *num facies mea ibit?* Exod. XXXIII, 14. conferatur cum 1 Sam. XVII, 11. vbi Husai ad Absolomum: *facies tua*, inquit, *eat in praelium*, h. e. tu ipse exercitum ducas, non duci illum committas, vt Ahitophel suaserat, v. 1.

II. *Vbi vox, vel phrasis synonymica exstat*, vt si πολὺ ἔλεος, 1 Pet. I, 3. conferatur cum Eph. I, 6. πλοῦτος τῆς χάριτος, & cap. II, 7. ὑπερβάλλων πλοῦτος τῆς χάριτος Item ψυχὴν ἱυρίσκειν, Matth. XVI, 25. ψυχὴν σάζειν, Luc. IX, 24. ψυχὴν φυλάττειν, Ioh. XII, 25. It. ὀρθοποδεῖν, Gal. II, 9. & ἀκριβῶς περιπατεῖν, Eph. V, 15. & πρόχοὰς ὀρθὰς ποιεῖν, Ebr. XII, 13. Ita quod Psal. XXXII, 1. 2. dicitur, cui *dominus abstulit*, *texit*, *non imputauit peccatum*, id alibi exprimitur: *Dominus praeterire fecit peccatum tuum*, 2 Sam. XII, 13. *abluit & purgauit a peccatis*, Psal. LI, 4. *deleuit iniquitatem*; Esa. XLIII, 25. *proiecit in profundum maris omnia peccata*, Mich. VII, 19. cet. Plura exempla paralleliſmi ſynonymici dabit PAVLVS BERGERVS, de *litteraturae ebraeae copia & vbertate*, *contra Ioannem Clericum* §. *V.* & vener. IOACH. LANGIVS, in *comm. in epistolas Petrinus.*

IV. *Vbi vox, vel phrasis contraria deprehenditur*; vt Rom. XII, 12. ὑπομένειν τῇ θλίψει, & Ebr. X, 38. ὑποστέλλεσθαι: item Act. XIII, 48. τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον, & Act. XVIII, 6. ἀντιτασσόμενοι. Item 1 Ioan. III, 17. *claudere viscera*, & Esa. LVIII, 10. *expromere animam.*

V. *Vbi idem verborum ordo ac nexus.* Sic *poenitentia* cognitionem veritatis, siue *illuminationem*, antecedit, Dan. IX, 12. 2 Tim. II, 25. & 2 Cor. III, 16. Sic *prophetae apostolis* postponuntur, Eph. II, 20. & Apoc. XVIII, 20. Sic *longinqui propinquis* in vocatione diuina praeponuntur, Esa. LVII, 9. & Eph. II, 17. Luc. II, 32.

VI.

VI. *Vbi idem argumentandi modus.* Ita adhortatio ad patientiam acuitur *exemplo Christi*, Ebr XII, 2. 3. & Iac. V, 10. 11. 1 Pet II, 21. Ita dehortatio a vitiis vrgetur proposito *exemplo gentilium*, Leu XVIII, 24. Ier. X, 2. & Matth. VI, 31.

§. VI.

Paralleliſmus *realis* dicitur, quando ea inter ſe loca comparantur, in quibus eadem de re, ſiue ex profeſſo, ſiue obiter, ſiue iisdem, ſiue mutatis verbis agitur; * qui ſenſui *litterali* & *myſtico* euoluendo inſeruit.

* Bene ANDR. HYPERIVS, de *recte formando theologiae ſtudio, lib. II. cap XI. obſ. VI. Loci obſcuri conferantur cum aliis apertioribus. Saepe namque eadem, aut ſimilia, diuerſis tamen verbis, aliquando etiam occaſione diſpari, in ſacris litteris repetuntur; quod quidem eo adparet a ſpiritu ſancto ordinatum conſilio, vt, ſi quando res poſtularet, alter locus alterius collatione dilucidior reddi poſſet.* Accidit vero illud

I. *In rebus hiſtoricis*, vbi in cenſum veniunt loca, 1) *Vbi eadem prorſus hiſtoria a diuerſis auctoribus, iisdem fere circumſtantiis ac verbis narratur*, quod ad fidei hiſtoricae confirmationem facit, vt 1 Reg. XXII. & 2 Par XVIII. item Matth. XXVI, 26. 27. 28. & 1 Cor. XI, 23. 24. 25. 2) *Vbi eadem quidem hiſtoria, ſed copioſius, pluribusque inſtructa circumſtantiis, narratur, quam id alibi loco factum erat*, vt 2 Reg. XV, 5. & 2 Par. XXVI, 16 - 21. de *lepra* Vziae. item 2 Tim. III, 8. & Exod. VII. VIII. de *magis* Aegyptiorum. 3) *Vbi extra conſuetum locum aliquae facti circumſtantiae ſupplentur ac narrantur, quae in ſede hiſtoriae propria ſilentio fuerant praetermiſſae.* Ita Pſal. LXXVII, 18. 19. 20 mirifica quaedam commemorantur de Iſraelitarum *tranſitu per ſinum*

sinum arabicum, quae nusquam in Mosis libris occurrunt. Mosen ipsum splendore fulgurum, ac tonitruum fragore, quibus Deus solemniorem reddere voluit legis promulgationem, attonitum exclamasse, ἔκφοβός εἰμι καὶ ἔντρομος, id, Mose tacente, Paulus memoriae prodidit, Ebr. XII, 21. Nisi *Gibeonitarum* caedem Deus tempore Dauidis vltus fuisse diceretur 2 Sam. XXI, 1. seqq. numquam fortassis nobis illa stragis, Saulis iussu edita, innotuisset. Plura exempla collegit auctor *Mosis vindicati*, *aduersus Burnetii archaeologias philosophicas*, *cap. IX. p.* 202.

II. *In rebus dogmaticis ac moralibus*, vbi paralleliſmus est 1) *Primi ordinis*, quem ipse spiritus sanctus indicat, & quasi digito commonstrat, quo pertinent loca omnia noui foederis, quae ex veteri testamento adlegantur. Sic locum Esa. LIII, 4. 5. Psal. VIII, 5. 6. cet. de Christo agere, ex 1 Petr. II, 24. Ebr. II, 9. cet. cognoscitur. De his conferantur 10. DRVSII *notae in parallela sacra*, quae exstant *criticorum sacrorum tom. VI. p.* 1262. *seqq.* ed. Francof. FRANCISCI IVNII *parallela sacra*. 10. MAIORIS dissert. *de dictorum veteris testamenti in nouo adlegatione*. 10. CHRISTOPH. PFAFFII dissert. *de adlegatis veteris testamenti in nouo*, & quae alia huc pertinent. 2) *Secundi ordinis*, propria interpretis industria obseruandus, qui rursus est α) *Adaequatus*, vbi de *eadem* re, siue iisdem, siue diuersis verbis, agitur. Ita *angelum*, qui cum Iacobo colluctatus est, fuisse *angelum foederis* increatum, adparet ex Hos. XII, vbi v. 4. אלהים & v. 6. יהוה אלהי הצבאות vocatur. Sic *semen in quo nobis benedicitur*, Gen. XXII, 18. esse *Christum*, non solum ex aperta spiritus sancti indicatione Gal. III, 8. 16. adparet, sed etiam ex Ier. IV, 2. *benedicent sibi in eo*, IEHOVA, *gentes* vniuersae; & Eph. I, 3. laudatus sit Deus, *qui benedixit nobis in* CHRISTO. β) *Inad-*

aequatus, vel *similis*, vbi conferuntur loco quodammodo *analoga*, quibus aliquid continetur, quod vel ad expositionem, vel ad illustrationem facere potest, licet fortassis de alio prorsus argumento sermo in illis instituatur. Ita quum Christus, Matth. III, 11. a Ioanne ἰσχυρότερος dicitur, conferri possunt alia loca, vbi istud epitheton est inter nomina veri ac summi Dei, vt Neh. IX, 32. Ier. L, 34. Apoc. XVIII, 8. Ita quum impii & hypocritae, qui puro tritico in ecclesia admixti sunt, Matth. III, 12. ἄχυρον *palea*, dicuntur, conferri potest, Iob. XXI, 18. Psal. I, 4. vbi istud hominum genus similiter cum palea, a vento auferenda, comparatur.

III. *In textibus typicis & parabolicis* 1) conquirenda sunt loca parallela, *quibus antitypus exhibetur*. Ita cum blando illo Isaaci ad Abrahamum adloquio, *mi Pater!* Targ אבא *Abba!* Gen. XXII, 7. confer antitypicum Christi *Abba*, Marc. XIV, 36. Cum Num. XIX, 3. conf. Ebr. XIII, 12. cet. 2) *in antitypo declarando ad typum recurrendum est*. Ita Eph. V, 2. vbi Christus se ipse dicitur tradidisse tamquam victimam εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, haud obscure respicitur ad Gen. VIII, 20. 21. Leu. I, 9. quae proinde loca cum nostro conferenda sunt. Ita cum Ioan. VI, 37. confer Ios. XX, 5 cum Psal. XXVI, 6. Exod. XXX, 19. 20.

IV. *In textibus propheticis* 1) illa maxime loca intra scripturae ambitum conquirenda sunt, *quae complementum vaticinii exhibent*. Ita quod Ieremias praedixerat, cap. XXXIII, 11. *Audietur* in Hierosolyma instauranda *vox dicentium: celebrate Iehouam exercituum, quia bonus est Iehoua, & in aeternum durat benignitas eius;* id impletum describitur Ezr. III, 10. 11. Fundantibus enim structoribus templum Iehouae, constituti sunt sacerdotes & leuitae, -- *qui exclamabant laudando & celebrando Iehouam, quoniam bonus est, & in aeternum durat benignitas eius.*

Sic

Sic cum Pſal. XXII, 8. 9. confer Matth. XXVII, 43. cum Eſa. III, 1. confer Thren. I, 11. cet. Contra 2) ſi res declaranda olim fuerit a prophetis praenuntiata, ea loca in ſubſidium aduocanda ſunt, *quae praedictionem continent.* Ita quod Ieremias factum deplorat, Thren. I, 19. *Inclamo amaſios*, (populos foederatos) *ſed ipſi* ſpe vana *me deceperunt*; id ipſum dudum futurum praedixerat Ier. XXX, 14. *Omnes amaſii tui te obliuiſcentur, te non requirent* Sic cum Ioan. VIII, 56. confer Eſa. XLIX, 4. cum Matth. XXIII. confer Pſal. LXXXII, 2. 8. & Mal. III, 2. 3. cet. Inprimis enim *dicta & facta* CHRISTI *cum vaticiniis prophetarum conferenda ſunt*, vt hiſtoriae euangelicae ſcriptores ſuo nobis exemplo praeiuerunt: cui exercitio SALOMONIS TILLII *comment. in Matthaeum*, & HERO SIBERSMA *comm. in euangel. Ioannis*, *ex Moſe & prophetis illuſtratum*, inſeruire poſſunt. †

§. VII.

Neque deſunt *media & adminicula*, parallelismi conquirendi,* quorum tamen vſus a docto & limato iudicio dirigendus eſt, ne cuncta ſine diſcrimine & examine praeuio corradantur.

* Ad haec media pertinent

I. *Codices veteris ac noui teſtamenti, ſelectis locis parallelis copioſe inſtructi*, vt *biblia ebraica*, quae opera & ſtudio venerandi praeceptoris, IO. HENRICI MICHAELIS prodierunt. Inter *germanicos* codices NICOLAI HASII editio, & IO. REINHARDI HEDINGERI *nouum teſtamentum*, qua locorum parallelorum adparatum aliis praeferuntur. Inter codices noui teſtamenti graeci IO. MILLII & doctiſſimi viri G. D. T. M. D. hoc eſt, GERHARDI DE

† Adde HVETII *demonſtr. euangel. prop. IX.*

TRAIECTO MOSAE, siue VAN MASTRICHT, *Doctoris* & syndici rei publicae Bremensis, editio maximam locorum parallelorum, cum iudicio selectorum, copiam exhibet. Neque *editio Lipsiensis*, quae ad exemplar Oxoniense cum praefatione vener. AVGVSTI HERMANNI FRANCKII prodiit, ac vener. IO. GEORGII PRITII editio, illorum inopia laborat. Biblia *anglicana* ex editione IO. CANNE, MDCLXXXII. hoc ex capite commendantur a ven. FRANCKIO in *introduct. ad prophet. p. 22.* Iungi his possunt CHRISTOPHORI SONNTAGII *schedia parallelographica in pericopas euangelicas*, & IO. CHRISTOPH PFAFFII doctae dissertationes textuales *in Euangelium Matthaei*. Non tamen semper locis parallelis, quae editores scripturae sacrae adscripserunt, fides simpliciter adhiberi potest, quum nonnumquam aut spuriis illorum hypothesibus inseruiant, vt in STEPHANI CVRCELLAEI editione noui testamenti haud raro contingit; aut non satis adcurato iudicio selecta sint.

II. *Adsidua & attenta lectio scripturae sacrae*, maxime si illa secundum sedes materiarum attente instituatur, vt supra monuimus *cap. V. §. VII. p. 208.* & *cap. VI. §. V. p. 226.*

III. *Diligens adnotatio & obseruatio* illorum locorum, quae vel ab aliis viua voce traduntur, vel in commentariis aliisque libris iam obseruata sunt: quae non promiscue quidem nostro codici adiicienda, sed nec temere negligenda sunt.

IV. *Vsus concordantiarum* tum verbalium tum realium. *Verbales* nihil aliud sunt, quam indices biblici locupletissimi, quibus loca omnia, vbi vox aliqua occurrit, secundum librorum biblicorum seriem exhibentur. Suntque

a) *Ebraicae*, inter quas palmam adhuc tenent IO. BVXTORFII *concordantiae ebraicae & chaldaicae*,

cae, quae Basileae MDCXXXII. prodierunt, in cuius *praefatione* de origine & vsu concordantiarum erudite agitur. Conferatur de hoc incomparabili thesauro IO. FABRICII *historia bibliothecae suae*, *parte I. p. 41.* In epitomen illas redegit CHRISTIANVS RAVIVS, sub titulo *Fons Zionis*, siue *concordantiarum ebraicarum & chaldaicarum Io. Buxtorfii epitome*, Berolini MDCLXXVII. forma octaua. Quum vero Buxtorfius *particulas* neglexisset, CHRISTIANVS NOLDIVS, huncce defectum suppleturus, concinnauit *concordantias particularum ebraeo-chaldaicarum*, quarum noua & adcuratior editio *Ienae* adornatur. Ceterum concordantiarum ebraicarum vicem explere etiam potest GVIL. ROBERTSONII *thesaurus linguae sanctae*, siue *coocordantiale lexicon ebraeo-latino-biblicum*, de quo videri potest vener. IO. CHRISTOPHORI WOLFII *historia lexicorum ebraicorum*, *p. 170. seq.* Addantur ANTONII LAYMANNI *concordantiae ebraeo-sacrae*, *iuxta seriem cuiusque constructionis syntacticae*, fol. MDCLXXXI. Confer de concordantiis ebraicis vener. IO. CHRISTOPH. WOLFII *bibliothecae ebraicae part. I. p. 681. seqq.* & IAC. LE LONG *biblioth. sacr. p. II. p. 398.*

b) *Chaldaicae* in voces chaldaicas, quae in Daniele potissimum & Ezra occurrunt; in concordantiis *Buxtorfianis* reperiuntur. Seorsim tamen studio MARTINI TROSTII prodierunt *concordantiae chaldaicae ex Danielis & Ezrae capitibus chaldaicis*, *Wittebergae*, MDCXVII.

c) *Graecae*, & quidem 1) in *vetus* testamentum, siue versionem LXX. interpretum; vbi CONR. KIRCHERI *concordantiae veteris testamenti graecae*, *ebraeis vocibus respondentes*, diu eruditorum manibus versatae fuerunt; donec ABR. TROMMIVS anno huius seculi decimo octauo ederet *concordantias graecas versionis vulgo dictae LXX interpretum*, *cuius*

voces secundum ordinem elementorum sermonis graeci digestae recensetur, contra atque in opere Kircheriano factum fuerat cet. Scripsit quidem IO. GAGNIER *vindicias Kircherianas*; quibus vero ABR. TROMMIVS *epistolam apologeticam* opposuit: de qua lite videantur IO. CLERICI *bibliotheque ancienne & moderne, tom. X. part. II. p. 380.* 2) in *nouum* testamentum, post XISTI BETVLEII & HENRICI STEPHANI laborem, ERASMVS SCHMIDIVS opus adgressus est, qui edidit: *Noui testamenti Iesu Christi graeci, hoc est, originalis linguae ταμεῖον, aliis concordantiae*, quas rariores factas in lucem denuo reuocauit celeb. ERN. SALOMO CYPRIANVS. Neque LVD. LVCII *dictionarium noui testamenti*, Basiliae MDCXL. forma octaua editum, contemnendum est. Ordinis certe elegantia Schmidianum laborem superat. De aliis concordantiis graecis vide IACOBVM LE LONG, *bibliothecae sacrae part. II. p. 403.*

d) *Syriacae* in nouum testamentum syriacum; vbi, post MARTINI TROSTII *lexicon Syriacum, ex inductione omnium exemplorum noui testamenti syriaci adornatum*, clar. CAROLVS SCHAAFIVS edidit *lexicon Syriacum concordantiale.*

e) *Germanicae*, vbi, post CONR. AGRICOLAE labores, *Zeistanis* supplementis subinde auctos, prodierunt FRID. LANKISCHII *concordantiae bibliorum germanico ebraico-graecae*, opus absolutissimum, cuius postrema editio Lipsiae MDCCXVIII. opera clariss. CHRISTIANI REINECCII prodiit. Vt de GEORG. MICHAELIS, WENC. NIEDERWERFFERI, IO. REINH. AVENARII, aliorumque laboribus, nihil dicamus. De *latinis, anglicanis*, aliarumque linguarum concordantiis IAC. LE LONG, *bibl. sacrae part. II. cap. XV. p. 403. seqq.* videri potest. †

Vsum

† Conferri etiam de concordantiis potest ven. BVDDEVS, *in isagoge p. 1776. seqq.*

Vsum istorum indicum biblicorum amplissimum esse, nemo dubitauerit. WOLFG. FRANZIVS, de *interpret. p.* 57. de MARDOCHARI NATHANIS *concordantiis ebraicis*, quamuis adhuc satis imperfectis, non veretur scribere: *De huius libri laudibus ego, vsum ipsius multiplicem & prope infinitum expertus, satis grandia effari non possum. Hunc enim librum in bibliotheca theologica, post ipsa biblia ebraea, ante omnia probatissima lexica, & ante omnia monumenta, scripta a diuinis hominibus super libros sacros, primum locum occupare debere, mecum profitebuntur, quotquot rem ipsam tentare & continuare magno suo cum commodo non detrectarint.* Similiter STEPH. GAVSSENVS, vir acerrimi iudicii, in *diss. theolog. p.* 29. *Si quis*, inquit, *concordantiis bene vti nouerit, optimi commentarii vicem illa facile praestabunt.* Sed *de vsu concordantiarum* CONRADVS KIRCHERVS, ANDREAS GLAVCHIVS, & IO. HENRICVS FEVSTKINGIVS singularibus scriptis egerunt.

Reales concordantiae dicuntur, vbi loca, ad idem argumentum pertinentia, sub certis titulis collecta reperiuntur, quales e. c. sunt PAVLI CRELLII *bibliſche Real-Concordanz.* CONRADI PELLICANI & PAVLI TOSSANI *index biblicus.* IO. IANI *hellleuchtender Schrift- und Stern-Himmel.* DAN. CRAMERS *bibliſcher Hauptſchlüſſel und vollkommne Concordanz über die ganze heilige Schrift.* MATTHIAE VOGELII *bibliſche Schatzkammer* & *Thesaurus theologicus.* †

§. VIII.

Ceterum singulares quasdam *obseruationes* notare iuuabit, quibus saluberrimum illud paralleliſmi instituendi negotium diri-

† Realium etiam concordantiarum loco esse possunt *systemata theologiae dogmaticae & moralis*, ex sacris scripturae fontibus largiter irrigata.

gi, itaque formari potest, vt amplior inde vtilitas in studium hermeneuticum redundet.

I. *Libri vtriusque testamenti perpetuo inter se conferendi sunt, & diligenter obseruandum, vbi phrases & res noui testamenti ex tabulis veteris testamenti depromantur.* Non enim tantum vnus idemque auctor princeps vtriusque foederis scriptores adflauit; sed ipsi etiam scriptores noui testamenti minime hospites in scriptis antiquis fuerunt. Conferatur Ioan. I, 45. Act. XXII, 3. cap. XXVI, 22. Quatuor autem potissimum modis vetus testamentum in nouo inuenitur.

a) *Dum scriptores noui testamenti adhibent phrases & formulas, ex veteri depromtas.* Ita verba angeli, quae Lucas cap. I, 32. 33. & cap. II, 10. 11. 12. exhibet, ex phrasibus veteris testamenti decerpta atque collecta sunt; quod & in canticis Mariae, Zachariae, Simeonis, & alibi passim contingit. Conf. etiam Eph. IV, 26. cum Deut. XXIV, 15. Matth. XV, 13. cum Ier. V, 10. cet.

b) *Dum ad facta & sermones veteris testamenti adluditur.* Ita 1 Pet. IV, 14. *spiritus Dei gloriosus super vobis requiescit*, respicitur ad Exod. XL, 35. vbi nubes & gloria Domini super tabernaculo resedisse, illudque occupasse, dicitur. Sic Luc. XIV, 24. ad Num. XIV, 22. 23 Luc. XXII, 20. ad Exod. XXIV, 8. Apoc. XI, 5. ad Ier. V, 14. & 2 Reg. I, 10. 11. item Apoc. XVIII, 21. ad Ierem. LI, 63. adluditur.

c) *Dum veteris testamenti historiae in nouo repetuntur.* Sic Act. VII. cap. XIII, 17. seqq. *historia populi iudaici* in compendio exhibetur. Sic historia *vxoris Lothi*, Luc. XVII, 31. 32. historia *Mannae*, Ioan. VI, 49. historia *Melchisedeci* Ebr. VII, 1. seqq. & aliae plures alibi adlegantur. Confer PETRI ALLIX *vernünftige Betrachtungen über die Bücher heiliger Schrift*, *part. II. lib. II. cap. I. p.* 294.

d) *Dum dicta veteris testamenti adlegantur* & qui-

quidem ita, vt vel adducantur α) *nudae sententiae*, vti Rom. I, 17. adlegatur dictum Habacuci, cap. II, 4. iustus ex fide viuet, item Ebr. X, 30. β) *vaticinia*, & quidem vel vt *completa*, vt Matth. II, 17. 18. vel vt *complenda*, vt Rom. XI, 26. 1 Cor. XV, 54. γ) *dicta, quae certa facta complectuntur*, vt Marc. II, 35. Rom. IV, 3. δ) *dicta, quae continent typos*, cum antitypis conferendos, vt Ebr. IX, 20. Gal. IV, 22. seqq. Videatur IO. MAIORIS diss. *de dictorum veteris testamenti in nouo adlegatione*, & ven. AVG. HERM. FRANCKII *introd. ad proph. p.* 16.

II. *Huic collationi diligens LXX. interpretum lectio egregie inseruire potest.* Ita quum Ioan. IV, 22. dicitur σωτηρία, *salus*, hoc est, ipse generis humani *saluator* ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστί, ex Iudaeis est; commode conferri potest 2 Reg. XIII, 5. vbi dominus Israeli dedisse dicitur מושיע *saluatorem*; LXX σωτηρίαν, *salutem*. Ita Phrasis ποιεῖν ἀφ' ἑαυτοῦ, Ioan. V, 19. cum Num. XVI, 28. οὐδὲν ἄτοπον πράττειν Luc. XXIII, 41. cum Iob. XXXIV, 12. conferri potest. Iuuare hanc collationem possunt CONR. KIRCHERI & ABR. TROMMII *concordantiae graecae*. Addantur PETRI KEVCHENII *adnotata in nouum testamentum*, Amstelod. MDCCVIII. & GE. IO. HENCKE diss. de *vsu LXX. interpretum in nouo testamento*, nec non quae de *vsu librorum apocryphorum in N. T.* commentatus est; nam & hi dictionem noui testamenti saepe illustrant. †

III. *Diligenter attendendum est, vbi prophetae ad historiam veterem suis phrasibus adludant, atque ex Mosis oceano hauriant*, Sir. XXIV, 33. seqq. Dudum enim prudentiores inter Iudaeos pariter ac christianos obseruarunt, omnium scriptorum sacrorum seminarium legem Mosaicam esse, & quasi fontem,

† Addatur Cl. PETRI MINTERT *lexicon graeco-latinum N. T.* editum Francof. ad Moenum 1728. 4. in quo cuilibet voci adponuntur voces ebraicae, quibus in ista versione LXX. respondet.

ex quo vniuersa prophetarum doctrina promanauit, ita vt voces, sententiae, nec raro etiam stilus & dicendi character, propinqua admodum cognatione sese contingere videantur. Sacri enim scriptores ex vastissimo hoc prophetiae mosaicae thesauro tam multa transtulerunt, vt vaticinia sua Mosaicis quasi emblematibus distinxerint & ornarint. Ita sententia: *non negligam te, neque deseram te*, qua toties viri sacri vtuntur, Ios. I, 5. 1 Par. XXVIII, 20. Psal. XXVII, 9. cet. ex Mose Deut. XXXI, 6. hausta est. Ita verba Exod. XXXIV, 6. *Iehoua, Deus misericors, & gratiosus, longanimis ad iras, & magnus benignitate & veritate*, etiam Psal. CIII, 8. & CXLV, 7. Ion. IV, 2. Ioel. II, 13. Neh. IX, 17. & alibi saepius reperiuntur. Ad historiam Mosaicam respicitur Esa. IV, 5. coll. Exod. XIII, 21. XL, 38. it. Psal. CIX, 18. coll. Num. V, 27. Idem obseruauit ANDR. GERH. HYPERIVS, de *recte formando theologiae studio, lib. II. cap. XXVIII. obs.* 12. cui iungatur CONR. KIRCHERVS, de *vsu concordantiarum, vsu IX.*

IV. *In iis locis, vbi poenae, impiis vel inflictae, vel infligendae, describuntur, subinde ad Leu. XXVI, & Deut. XXVIII. respiciendum est.* Sic comminatio Esa. I, 7. *terram vestram peregrini consument*; desumta est ex Deut. XXVIII, 33. *terram tuam consumet populus peregrinus* cet. si conferatur Thren. I, 5. cum Deut. XXVIII, 44. Thren. I, 3. cum vers. 65. Thren. II, 20. cum vers. 53. Esa. XXX, 17. cum Leu. XXVI, 36. Quin cum CHRISTVS maledictionem legis pro nobis sustinuerit, *saepe calamitates eius describuntur loquutionibus, ex eodem maledictionum diuinarum systemate depromptis*, vt Psal. LXIX, 4. *deficiunt oculi mei*, coll. Deut. XXVIII, 65. *dabit Iehoua tibi oculos deficientes.* item Psal. LXIX, 12. coll Deut. XXVIII, 37. Matth. XXVI, 38. coll. Deut. XXVIII, 65.

V. *Studiose obseruandum est, vbi in scripturis* culpa,

culpa, *eique respondens* poena, *iisdem, vel synonymicis phrasibus exprimatur*; iste enim parallelismus ad *ius talionis diuinae* agnoscendum clauem suppeditat. Sic Ier. XVIII, 17. haec *poena* iudaeis denuntiatur: *Ceruicem non faciem, obuertam illis tempore calamitatis ipsorum.* En vero *culpam* eadem phrasi expressam, Ier. II, 17. *Obuerterunt mihi ceruicem, non autem faciem.* Sic cum Psal. LII, 7. conf. 1 Sam. XXII, 18. 19. Cum Thren. I, 13. conf. Ier. XVIII, 22. cet. conf. *supra* monita, *p. 195.*

VI. *Singularem considerationem meretur parallelismus in mysterio crucis*, vbi calamitates fidelium iisdem saepe phrasibus exprimuntur, quibus perpessiones Christi, tamquam capitis, alibi legimus descriptas. Vt Ier. XI, 18. 19. Demonstrauit mihi dominus actiones eorum, quod sim *sicut agnus, qui ad mactandum abducitur.* Similiter de Christo Esaias cap. LIII, 7. *vt agnus ad mactandum abducitur.* Ita cum Ier. XX, 10. conf. Psal. XXXI, 14. cum Iob. XXX, 9. conf. Psal. LXIX, 13. cum Act. XXI, 36. coll. Ioan. XIX, 15. cum Psal. XXII, 8. conf. Psal. XLIV, 15.

VII. *Non minori attentione obseruandum est, vbi Christus & fideles, eodem fidei spiritu animati, 2 Cor. IV, 13. eadem etiam lingua in sacris paginis vtantur.* Sic Christus Esa. L, 8. *Propinquus est, qui me absoluit; quis contendat mecum?* v. 9. *Dominus opem fert mihi, quis est condemnaturus me?* Similiter Paulus, nomine fidelium, Rom. VIII, 32. *Quis Dei electos accuset? Deus est, qui absoluit. Quis est, qui condemnet? Christus est, qui mortuus est.* cet. Sic cum Psal. XVI, 5. conf. Thren. III, 24. cum Ioan. VIII, 23. & 29. conf. 1 Ioan. IV, 5. 6. & c. III, 22.

VIII. *Non obiter adnotanda sunt loca, vbi verbis propriis dicitur, quod alibi dicitur figuratis.* Quod Gen. III, 15. est *caput serpentis conterere*, illud. 1 Ioan. III, 8. est *opera diaboli dissoluere.* Quod Cant. I, 13. dicitur:

dicitur: Amicus meus mihi est instar fasciculi myrrhini, *inter vbera mea pernoctantis*, id Eph. III, 17. dicitur; *Christum habitare per fidem in cordibus nostris.* Sic cum Esa. XLIII, 20. conf. Rom. XV, 9. cum 1 Cor. V, 7. conf. 1 Pet. II, 1.

IX. *In colligendo parallelismo ratio haud postrema habenda est illorum locorum, vbi res, vel phrasis illa in sacris paginis primum occurrit.* Sic in explicanda phrasi 1 Pet. II, 11. cohortor vos, vt *inquilinos & peregrinos* cet. recurrendum est ad Gen. XXIII, 4. vbi Abraham pater fidelium: *inquilinus*, inquit, *& peregrinus sum*; quod Dauid etiam repetit Psal. XXXIX, 13. & CXIX, 19. *Vocationis* ad Deum prima sedes est Gen. III, 9. cap. XII, 1. *Regis* nomen Christo primum tribuitur Num. XXIII, 21. vti nomen *Messiae* 1 Sam. II, 10.

X. *Parallelismus non solum extra libri, quem tractamus, pomoeria, sed etiam intra illum sollicite obseruandus est.* Sic 1 Cor. XIII, conferatur cum illis epistolae locis, vbi desiderantur in Corinthiis, quae hic tamquam verae charitatis attributa recensentur, vt v. 4. ἡ ἀγάπη οὐ φυσιοῦται cum cap. V, 2. καὶ ὑμεῖς πεφυσιωμένοι ἐστὲ. Ibidem v. 4. ἀγάπη χρηστεύεται, οὐ ζηλοῖ, cum cap. I, 11. relatum mihi est, ὅτι ἔριδες ἐν ὑμῖν εἰσι. cet. Sic cum Esaias cap. VIII, 14. accepisset diuinum oraculum, de virgine paritura Immanuelem, in sequentium capitum tractu diligenter obseruandum est, vbi ad hunc locum respiciat, eique maiorem lucem adfundat; quod egregie ostendit venerandus AVGVSTVS HERM. FRANCKIVS, in *fasciculo programmatum, progr. XV. p. 368. seqq.*

XI. *Si duo dantur loca parallela, quorum vnus locus rem breuius, alter fusius & distinctius exponit, tum is primo loco considerandus, & velut fundamenti loco ponendus est, qui rem plenius tractat, vt ex illo conciſiorem suppleamus & illustremus.* Obscuriora enim

enim loca ex clarioribus illustranda sunt. Ita iudicium Dei in ἄνομον, Apoc. XIX, 11. seqq. fusius; 2 Thes. II, 8. concisius describitur, vnde hic ex illo loco explicandus est. confer *examen antilogiae Simonianae*, *p. 77.*

XII. *Quum sapientiae subactioris sit, parallelismo recte vti; ii prae ceteris ad has sacrae exegeseos partes idonei sunt, in quibus rem suam agit spiritus sanctus, optimus verborum suorum interpres.* Vberiorem in haec monita commentarium suppeditare poterunt, *obseruationes selectae de parallelismo scripturae.* †

§. IX.

Denique caute & prouide in hoc etiam negotio, vt in omnibus reliquis sacrae hermeneuticae partibus, agendum est, ne extra oleas vagemur, aut aliquid in verbi diuini auctoritatem iniurium committamus. *

* Obseruandae nimirum hic sunt sequentes potissimum cautelae:

I. *Parallelismus ex fontium potius consilio, quam ex suffragio versionum instituendus est.* Etenim

α) In versionibus saepe parallela videntur, quae multum discrepant in fontibus, vt si quis Ier. XI, 15. legit: *was haben meine Freunde in meinem Hause zu schaffen!* facile cogitabit de loco Matth. XXII, 12. *Freund, wie bist du herein kommen?* Quum verba ebraica ita se habeant מה ליריד בביתי *Quid negotii est dilecto meo in domo mea?* siue: Quid habitet amplius dilectus meus filius in templo, tam turpiter prostituto, (in quo alias super Cherubinis symbolice praesens erat) quum non amplius sit domus precum, sed spelunca latronum, cap. VII, 11.

β) Saepe in versione diuersis phrasibus expressa sunt,

† Extant illae in *commentationibus* nostris *hermeneuticis* supra p. II. citatis, *pag. 207. seqq.*

sunt, quae in fontibus prorsus consentiunt. Sic verba אל גבור Esa IX, 5. versa videas: *Krafft, Held*; at cap. X, 21 vbi filii Israel ad eumdem illum *El Gibbor* conuertendi dicuntur, rectius redditur: *Gott der starke*. confer etiam Esa. LVIII, 14. cum Deut. XXXII, 13. & Psal. XXXIX, 13. cum Leu. XXV, 23. Pertinet huc monitum ANDR. GERH. HYPERII, *de recte formando theologiae studio, lib. II. cap. VIII. p. 101. Interpres nonnumquam vnam rem diuersis reddit vocibus, ex quo fit, vt lector subsistat, suspicans e fortassis rerum diuersarum mentionem fieri, vbi tamen de vna tantum sermo habetur.* Vnde satis adparet necessitas, in fontes ipsos introspiciendi

II. *Parallelismus* verbalis *non nimis cumulandus est, aut ad pompam magis quam ad vsum adornandus*, quod saepe fit a concionatoribus, qui eruditionis laudem praeposterе adfectant, & concordantiis eam in rem abutuntur. †

III. *Etiam in parallelismo* reali *selectui studendum est, nec sine discrimine adlegandi sunt, qui rem eamdem tangunt:* sed si quis plenius, quam ceteri, si luculentius aliquid expressit, is prae ceteris in subsidium adhibendus est.

IV. *Cauendum est, ne falso pro locis parallelis, siue verbalibus, siue realibus, habeantur, quae rectius considerata, toto saepe caelo differunt.* Ita spurius esset parallelismus *verbalis*, si quis inter se conferre velit Ion. IV, 10. vbi germen illud, quod intra vnius noctis spatium excreuerat, *filius noctis* dicitur; & 1 Thess. V, 5. vbi de fidelibus dicitur, quod non sint *filii noctis*, sed diei. item Num. XXVII, 3. cum Ioan. VIII, 24. Gen. XXXI, 26. cum 2 Sam. XV, 6. Ita porro adulterinus esset parallelismus *realis*, si quis conferat Psal. LVII, 5. laceo inter homines, *quorum lingua est gladius acutus.* cum Apoc. I, 16. vbi *ex ore*

† Conf. ven. IOACH. LANGII *oratoriam sacram, p. 146.*

ore Christi dicitur prodiisse *gladius acutus.* Dauid enim in eo est, vt noxias hostium suorum calumnias & obtrectationes perstringat, Iohannes autem id agit, vt depingat efficaciam euangelii Christi, quam in conuincendis conuertendisque hominum animis exserit. Ita Gen XV, 6. & Psal. CVI, 31 verbis quidem, sed non rei similitudine conueniunt. Interim in homiliis sacris saepissime audimus loca adlegari, quae tantum per adcommodationem quamdam ad argumentum adplicantur; vnde alii parallelismum in *homileticum* & *exegeticum* distinxerunt, quamuis isthaec distinctio non iuri, sed facto innitatur: confer *Berlinische Hebopfer, sect. XXII. n.* 1. *& sect. XXX. n.* 5. Addi possunt 10. GEORGII NEVMANNI & DAV. CLODII dissert. de *parallelismo scripturae.*

Prorsus vero ridicule *Iudaei* parallelismo abutuntur, vt ex sola verbi vnius alteriusue conuenientia nescio quam abstrusam ipsarum rerum conuenientiam exsculpant. Sic ex Gen XXV, 29. *venit Esauus ex agro & fessus fuit*, tria scelera extundunt, quae Esauo imputant: 1) *furtum*, quia verbum בוא *venit* Obad. v. 5. cum *furibus* coniunctum legitur 2) *stuprum virgini iam desponsatae illatum*, quia vox שדה *ager*, Deut. XXII, 27. de stupro sponsae, in *agro* repertae, inuenitur. 3) *homicidium*, quia צוף *fessus* Ier. IV, 31. occisis iungitur. Conferatur STEPH. RITTANGELIVS, ad *librum iezirah, p.* 32. Si hic modus accusandi sufficiat, quis tandem ex viris sanctissimis innocens erit? Non minus vero *Sociniani* spuriorum parallelismorum glaucomata lectoribus suis obiiciunt, vt, quando Ioan. I, 1. per ἀρχὴν intelligendum esse *initium euangelii*, vel *N. T.* ex Marc. I, 1. euincere volunt. Quod dudum obseruauit FRIDERICVS BALDVINVS, in *idea dispositionum biblicarum lib. I. cap. II. p.* 16. *Oportet collationem scripturarum fieri non ex locis peregrinis, sed similibus: alias* παραλο-

παλογισμὸς *committitur, qualem saepenumero hoc in genere committunt Photiniani.* Quam in rem concordantiis turpissime abuti solent. Vnde STEPHANVS GAVSSENVS, in *dissert. theol. p.* 29. *Ipsum*, inquit, FAVSTVM SOCINVM, *qui a suis ob scripturarum scientiam tantopere celebratur, scimus ebraice fuisse minus, quam mediocriter, eruditum, vt ipse responsione ad* PIGHIVM *agnoscit; at, qua erat* πανουργίᾳ, *dictionario* IO. FORSTERI, *& variis variorum concordantiis vsum fuisse, vt id extunderet, quod suo errori maxime fauere videbatur.*

V. *Cauendum est, ne putemus, vnum locum parallelum, alteri quodammodo similem, ius quoddam in alterum habere*; ac necessario hanc vel illam phrasin ita heic esse interpretandam, quia alibi isthoc significatu gaudeat. Ita sane minime sequitur, Ioan. III, 5. per *aquam* intelligendam esse metaphorice *spiritum sanctum*, quia Esa. XLIV, 3. hoc modo reperitur: Effundam *aquas* super sitientem, & fluenta super aridam, hoc est, effundam *spiritum meum* super semen tuum. Similiter, quia Gal. III, 29. fideles dicuntur *semen Abrahae*, neutiquam sequitur, etiam Gen. XXII, 18. vbi in semine Abrahae omnes gentes beandae dicuntur, fideles esse intelligendos, quum id praedicatum non permittat.

VI. *Denique paralleliſmus ita instituendus est, ne in analogiam fidei, praecipuum sanae interpretationis principium impingatur.* Ita loca Pauli Rom. III, 28. & Iac. II, 24. minime sunt omni ex parte parallela, quum Paulus de iustificatione *coram Deo*, quae, testibus clarissimis scripturae dictis, sola fide peragitur; Iacobus vero de iustificatione *coram hominibus*, qui ex operibus iudicium ferunt, loquatur.

LIBER

LIBER TERTIVS
DE
SVBSIDIIS EXEGESEOS EXTERNIS ET LITTERARIIS.
CAPVT PRIMVM
DE
ADMINICVLIS GRAMMATICIS ET CRITICIS.

Σύνοψις.

Delineatio argumenti, libro tertio tractandi, §. I. II. III. vbi primo loco occurrunt *adminicula grammatica & critica* §. IV. & ostenditur

I. VSVS

1) *artis grammaticae*, quae est

a. *magistra linguarum* originalium §. V.

b. *index* significationis, constructionis & idiotismi §. VI.

c. *iudex* versionum biblicarum §. VII.

d. *vindex* barbarismi & solocismi §. VIII.

2) *artis criticae*, cuius ostenditur

a. *necessitas* §. IX.

b. *antiquitas* §. X.

c. *officium* §. XI.

d. *vsus* in hermeneutica sacra §. XII.

II. CAVTELAE, obseruandae

1) circa artem *grammaticam* § XIII.

1) circa artis *criticae* ad scripturas sacras adplicationem, caute & prudenter instituendam §. XIV.

§. I.

Actum est libro superiore de mediis exegeseos sacrae internis & quasi domesticis,

sticis, quae, si recte adplicentur, certissimam interpreti viam ostendunt, ad sensum, quem spiritus sanctus intendit, inuestigandum atque eruendum. Nunc alia sequuntur subsidia, ex reliquae eruditionis adparatu depromta, non vt normam interpretationis constituant; sed vt aptiorem reddant interpretem, ad media domestica rectius feliciusque adhibenda.

§. II.

Ista vero subsidia partim a disciplinis, vt vocant, *instrumentalibus*, grammatica, rhetorica, logica, subministrantur; partim a *realibus*, theologia dogmatica & morali, philosophia practica, scientia naturali & medica, mathematicis etiam atque historicis disciplinis: quibus denique scriptorum rabbinicorum ac profanorum vsus, nec non versionum praecipuarum & commentariorum adminicula accedent.

§. III.

Ita autem haec pertractabuntur, vt & singulorum adminiculorum *vsus* in studio exegetico ostendatur, & abusui necessariis *cautelis* occurratur; additis subinde selectis auctoribus, qui fusius singula descripserunt.

§. IV.

Inter auxilia disciplinarum instrumentalium primo loco comparent, adminicula *grammatica & critica*: quae a nobis coniungi nemo mirabitur, cui veterum studiorum ratio nota ac perspecta fuerit. *

* Am-

* Ampliores nimirum termini arti grammaticae apud veteres adsignabantur, quam quibus hodie contenta esse iubetur, vt suo ambitu complecteretur quidquid ad linguarum antiquitatisque cognitionem pertinebat. Vnde FABIVS QVINTILIANVS, in *institut. orat. lib. I. c. IV. Haec professio plus habet in recessu, quam in fronte promittit. Nam & scribendi ratio coniuncta cum loquendo est, & enarrationem praecedit emendata lectio; & mistum his omnibus iudicium est, quo quidem ita seuere sunt vsi veteres grammatici, vt non versus modo censoria quadam virgula notare, & libros, qui falso viderentur inscripti, tamquam subditicios submouere, permiserint sibi; sed auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero.* Pluribus hac de re differit DANIEL. HEINSIVS, in *praefatione aristarchi sacri*, & IO. WOWERIVS, *de polymathia veterum*, *c. VIII. & XII.*

§. V.

Vsus igitur artis grammaticae potissimum in eo consistit, vt sit *magistra* linguarum originalium, quibus interpres verbi diuini carere nequit, quaeque sine fundamentis grammaticis solide comparari non possunt. *

* In linguis quidem *viuis*, sine praeceptorum grammaticorum vsu, facile aliquis eos progressus facere potest, vt eas non intelligere solum, sed expedite etiam loqui queat. (Conf. tamen quae de methodo, linguas ex vsu & conuersatione hauriendi, iudicat DAN. GEORG. MORHOF in *polyhistore litterario lib. II. c. VIII. p. 420. seqq.*) At enim in linguis *mortuis* haec via difficilius calcatur. Certe interpreti sacro non conuenit caeca illa, linguas addiscendi, methodus; sed ab illo iure requiritur, vt

nominum verborumque formationes, paradigmata, constructiones, totiusque linguae naturam & analogiam, teneat; quod sine solidis praeceptis grammaticis fieri nequit. Notitiam eorum, qui tum inter *Iudaeos*, (qui *Arabum* exemplo ad hoc studium, in artis formam redigendum, excitati creduntur) tum inter *christianos, institutiones ebraeae linguae grammaticas* vulgauerunt, dabit ven. VAL. ERNEST. LOESCHERVS, de *caussis linguae ebr. lib. I. c. XI. p. 147.* RICH. SIMON, in *historia critica V. T. lib I. c XXX. p 150.* IO. IACOBVS SCHVDT, in praef. ad *genium & indolem ebraeae linguae*, & in *deliciis ebraeo philologicis p. 215. seqq.* IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. II p 595. seqq.* vbi & *p. 618* BENED. SPINOZAE *grammatica ebraea* recensetur, quem inter grammaticos pauci quaesiuerint: de qua etiam videatur ven. LOESCHERVS *lib. cit. p. 160.* De MASCLEVII nouis conatibus grammaticis, legatur reu. IO. CHRIST. WOLFII *dissertatio*, illi opposita. De *grammaticis graecis* vid cel. IO. ALB. FABRICII *biblioth graec. lib. V. c. VII.* & DAN. GE. MORHOFII *polyh. litter. lib. IV. c. VI. p. 776.*

§. VI.

Index porro est significationis vocum,* quarum proprietatem nosse, in omni studiorum genere primum est; nec non constructionis** & idiotismi,*** quo linguae sacrae ab aliis distinguuntur.

* Vnde petenda sit vocum *significatio* supra *p.* 256. docuimus. Adminicula, quae a grammatica hic exspectari possunt, eo redeunt, vt attendatur

α) Ad *orthographiam*, quum vnius saepe litterae, aut puncti mutatio significationis etiam mutationem

nem post se trahat, vt שוח *schuach*, inclinari, שוח *suach*, meditari, שכר *schachar*, ebrius fuit, שכר *sachar*, merces, דור *dur*, habitare, דור *dor*, aetas, איש *isch*, vir, & אש *esch*, ignis cet. κάμηλος *camelus*, κάμιλος *funis nauticus*. Ita enim SVIDAS & *scholiastes* ARISTOPHANIS distinguendum monent, vt scriptum per η in medio, ἀχθοφόρον ζῶον; per ι expressum, παχὺ χοινίον significet, vnde locus Matth. XIX, 24. vbi constanter per η scribitur, diiudicandus est.

β) Ad *etymologiam*. Ita quid sit νάρδος πιστικὴ Marc. XIV, 3. ex etymologia adparet. Deriuatur enim a πίστις *fides*, adeoque denotat *nardum sincerum, purum, fidei exploratae*; quale vnguentum fiebat ex nardi spica Indica, vera, germana, non ex aliqua pseudonardo, cuius nouem species recensere posse PLINIVS ait, *tanta*, inquiens, *materia adulterandi est; histor. nat. lib. XIII. c. I.* conf. 10. HENRICI VRSINI *hortum aromaticum p. 252. Vsum* tamen hic esse semper consulendum, *l. II. c. VII. p. 259. 261.* iam obseruatum est. Ita ῥαπίζειν vi originis significat *ferire baculo* (id enim est ῥάπις;) at ex vsu etiam, *alapam manibus impingere*, Matth. V, 39.

γ) Ad *modum formationis & flexionis*. † Ita Esa. III, 24. כי תחת יפי non vertendum est: *Quia* pro pulchritudine haec tibi euenient; sed, *Adustio*, siue *vultus adustus & tetricus* loco pulchritudinis tibi obtinget; a radice כוה vti a רוה *irrigauit*, est רי Iob. XXXVII, 11. conf. ven. 10. ANDR. DANZII *paradigmata nominum simplicium & verborum*. Sic 1 Cor. XV, 49. alius sensus emergit, si φορέσωμεν; alius si φορέσωμεν legatur.

† Huc etiam pertinet doctrina de *dialectis* graecae linguae, in stilo N. T. passim obuiis, quam haurire licet ex G. E. PASORII idea graecarum N. T. dialectorum & CASP. VVYSSII dialectologia sacra.

Ceterum in vocum significatione indicanda, *lexica* & *glossaria* vtilem operam praestant. Et de *ebraicis* quidem *lexicis* videatur IO. HENR. MAII *praefatio ad lexicon Cocceii.* IO. IAC. SCHVDT, in *deliciis ebraeo philol. p. 221. seqq.* VALENT. ERNEST. LOESCHERI tract. *de caussis linguae ebraeae, lib* I. *c.* XII *p. 165.* praesertim ven. IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS, in *biblioth. ebr. part.* II. *p. 548.* & ex instituto, in *historia lexicorum ebraicorum.* De *naeuis ac defectibus lexicorum*, & ratione illa emendandi, commentatus est AVG. PFEIFFERVS, *crit. sacr. c.* V. *quaest.* III. *p. 168 seqq.* VALENT. ERN. LOESCHERVS *loc. cit. pag 171.* MATTHIAS ANSGARIVS, *in spicilegio defectus lexicorum rabbinicorum, potissimum Buxtorfiani vtriusque;* de cuius etiam erroribus disseritur *im Berlinischen Hebopfer, sect.* IX. *p. 755 seqq.* De *lexicis & glossariis graecorum* legendus DAN. GR. MORHOF, in *polyhist. litterario lib.* IV. *c.* VII VIII. *p. 791 seqq.* IO. ALBERT. FABRICIVS, *biblioth graec. lib* IV. *c.* XXXV. *p.* 540. & peculiari diatribe *de lexicis graecis;* quod argumentum etiam IO. HENR. BOECLERVS singulari dissertatione tractauit. Addatur PHIL. IAC. MAVSSACI dissert. critica, quam *suis in Harpocrationem notis* praemisit.

** Ex vocibus inter se iunctis & combinatis PHRASES & FORMVLAE LOQVENDI oriuntur, quibus cognoscendis pars grammatices *syntactica* inseruit, cuius ignoratio non raro multas cruces interpretibus figit. Obseruauit hoc dudum, communis Germaniae praeceptor, PHILIPPVS MELANCHTHON, in *praefatione ad grammaticam* suam: *Etiam doctos homines interdum nouitas syntaxeos fallit. Nam, vt ex sacris litteris exempla petamus, exstat 1 Tim. II, 15 gnome Pauli: Saluatur mulier per filiorum generationem* (siue διὰ, in statu τεκνογονίας, vt Gal.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0408
DFG

Gal. IV, 13.) *si manserint in fide. Hic multos fefellit numeri mutatio*, si manserint: *ideoque disputant, quid velit Paulus, an mater, alioqui pia, si filii abiecerint fidem, peritura sit ipsa quoque? His intempestiuis quaestionibus nihil opus esse, sagax grammaticus facile intelliget. Vt enim dicimus*, turba ruunt; *ita hic de sexu loquitur*, si manserint, *scilicet sexus muliebris. Si quis ignoret grammaticam rationem syntaxeos, haec vtilis doctrina tota iacet obruta densissima caligine. Itaque hic prodigiosas ineptias* THOMAS *comminiscitur.* Addatur SAL. GLASSII *praefatio in grammaticam* suam *sacram*, quae ipsa in hoc studio vtramque paginam facit; item ven. VALENT. ERN. LOESCHERI tract. *de caussis linguae ebraeae lib.* II. *c.* XI. *p.* 431. MATTHIAE WASMVTHI *ebraismus restitutus*, qui, iudice LOESCHERO, *pristinam ac vere orientalem syntaxin linguae ebraeae reddidit*, & ven. IOAN. ANDR. DANZII *interpres ebraeo-chaldaeus.* Huc etiam pertinent, qui de *phrasibus* ebraeae linguae scripserunt, quamuis hactenus admodum imperfecte; vt ABDIAS PRAETORIVS, cuius exstat *liber aureus, de phrasibus ebraeae linguae, Witembergae*, MDLXXXIV. THEODORICVS HACKSPANIVS, in IV. *dissertationibus de loquutionibus sacris.* ROBERTVS STEPHANVS, qui *phrases ebraeas*, quae in veteri testamento leguntur, ordine alphabetico dispositas, tanquam *alteram partem thesauri linguae sanctae Pagniniani*, anno MDLVIII. edidit, quo & MATTHIAE FLACII *clauis scripturae sacrae, part. I.* pertinet. Vt nihil dicamus de IACOBI GVSSETII laboribus, in *commentario linguae ebraeae*, vbi constructiones ebraearum vocum grammaticas diligenter etiam excussit. Sed nimirum, vt AVG. PFEIFFERVS & IO. IAC. SCHVDT merito conquesti sunt, perfectam phraseologiam ebraicam adhuc desidera-

mus, ad quam construendam consilia quaedam suppeditantur in *Vnschuld. Nachricht.* MDCCII. *p.* 322. De *graeca* lingua videatur IO. CASP. SVICERI *ratio syntaxeos apud graecos*, & IO. POSSELII tum *syntaxis*, tum *calligraphia graeca.* †

*** IDIOTISMI, vel IDIOMATA, siue peculiares loquendi formulae, quae a generalibus constructionum & sermonis regulis, non nihil deflectere videntur, non minus obseruandae sunt. Sunt enim omnibus linguis certi quidam & ipsis proprii loquendi modi, qui cum aliarum linguarum modis vel parum vel nihil commune habent. Ita ebraea lingua habet suos *ebraismos*, graeca *graecismos*, arabica *arabismos* cet. quorum nulla caussa reddi potest, quum vsu magistro sint inuenti atque recepti; quos si quis verbum de verbo in vernacula, aut alia lingua exprimere velit, barbarus euaderet, & risui se saepius exponeret. Vnde haud immerito cel GODFRIDVS OLEARIVS, in doctissimis *obseruationibus sacris ad euangelium Matthaei p.* 142. perstringit CASP. ERNESTI TRILLERI *nouam versionem N. T.* qua in idiotismis linguae sacrae ad litteram exprimendis molestе ineptit, vt καρδία τῆς γῆς *das Hertz der Erden.* ποιεῖν τὸ δένδρου καλὸν *den Baum gut machen*, Matth. XII, 32. 40. cet. De his conferatur BENEDICT. ARIAS MONTANVS de *familiaribus linguae ebraicae idiotismis.* ANDR. SENNERTVS, in *centuria canonum, de idiotismis linguarum orientalium.* BRIANVS WALTONVS, in *adparatu biblico f.* 99. *seqq.* MATTH. WASMVTH, in *adpendice II. ebraismi restituti.* GE. FRID. HEVPELII duae diss. *de idiotismis ebraei sermonis.* Ven IO. HENR. MICHAELIS, tum in *diatribe* philologica, *de peculiaribus ebraeorum loquendi mo-*

† Nobilis pars syntaxeos est doctrina de *ellipsibus*, de qua vid. LAMBERTI BOS *mysterium ellipseos graecae*; CHRIST. BENED. MICHAELIS diss. *de ellypsibus ebraeis*, & quae SAL. GLASSIVS adnotauit *phil. sacr. lib. IV. tract. II. p.* 1198. Adde supra *p.* 343.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0410
DFG

modis, tum in *grammat. ebr lib. III. p.* 145. vt de SAL. GLASSII *phil. sacr.* nihil dicamus, cuius *epitomen* dedit HENR. PHIL. HERWARTVS Addatur FRANC. VIGERII de *praecipuis graecae linguae idiotismis* libellus vtiliſſimus, & ven. AVG. HERM. FRANCKII *manuduct. ad lectionem ſcripturae ſacrae p.* 50. *ſeqq.*

Si idiotiſmi ſtili ebraici exprimantur vocibus ac phraſibus graecis, ad ebraicarum locutionum imitationem compoſitis, oriuntur EBRAISMI, quos in ſtilo N. T. reperiri, pertinaciter nonnulli pernegarunt; alii quamuis puritatis ſtili graeci haud ſegnes defenſores veritate conuicti, non prorſus negare auſi ſunt. Sic ERASMVS SCHMIDIVS, rigidus alioqui ebraiſmorum cenſor, ad *Act IX*, 31. vbi eccleſiae dicuntur οἰκοδομούμεναι καὶ πορευόμεναι ἐν φόβῳ τοῦ κυρίου adnotat: *Non eſt negandum, dari hic verum ebraiſmum, & verbum* πορεύεσθαι *hic more ebraeorum ſignificare augmentum capere, progreſſum facere, ſiue in bono, ſiue in malo, vt LXX. 2 Reg. III*, 1. Similiter etiam *Apoc. XV*, 2. in vocibus κιθάρας τοῦ Θεοῦ ebraiſmum concedit. Rationes, cur ſpiritus ſanctus virorum ſanctorum ſtilum ita temperauerit, ſapienter obſeruat IO. OLEARIVS, lipſienſis olim academiae lumen, in *elementis hermeneuticae ſacrae p.* 7. vbi, *Non pure graeco*, inquit, *ſed ebraiſmis multis permixto idiomate, conſcripta eſt ſcriptura N. T. idque varias ob cauſſas, maxime ob arcanum illud coniungendae cum iudaeis gentilitatis myſterium, & ſcripturae vtriusque teſtamenti* συμφωνίαν *tam in verbis, quam in rebus obſeruandam.* Addatur eiusd. diſſ. de *ſtilo N. T. p.* 65. Conſpiciuntur autem ebraiſmi veſtigia 1) *in vocibus graecis*, vt quando σάρξ vel pro *toto homine*, vel pro *homine non renato* accipitur, vt ebraeum בָּשָׂר Gen. VI, 3. 12. Eſ. XL, 5. it. quando ὁμολογεῖν *laudandi* ſenſu occurrit Ebr. XIII, 15. vt ebraeum הוֹדָה Pſal CXXXVI, 1. ſeqq. 2) *in conſtructionibus*, vt quando femininum pro neutro, quo ebraei carent, poſitum

repetitur, Matth. XXI, 42. παρὰ κυρίου ἐγένετο αὕτη, vt LXX. Iud. XXI, 3. Pſal XXVII, 4. 3) *in phraſibus & loquendi formulis*, vt quando phraſis ἄρτον φαγεῖν more ebraeorum *totum epulum* complectitur, Luc. XIV, 1. quando εἰσέρχεσθαι καὶ ἐξέρχεσθαι pro *vitae curriculo & vniuerſis officii actionibus* ponitur Act. I, 21. vbi rurſus ipſe ER. SCHMIDIVS ebraiſmum concedit. Videatur de hoc argumento IO. LEVSDENII *philologus graecus*, *diſſ. XII-XVI.* ven. IO. HENR. MICHAELIS diſſ. *de textu N. T. §. XI. ſeq.* IO. OLEARII diſſ. *de ſtilo N. T. p.* 63. *ſeqq.* cui & IO. HENR. BOECLERI de eodem argumento commentatio ſubiungitur. IO. IAC. SCHVDT, in *deliciis ebraeo-philol. p.* 255. *ſeqq.* inprimis IO. VORSTII commentarius *de ebraiſmis N. T.* quem tamen exceſſu peccare, multi obſeruarunt. † Scripſit in illum HORAT. VITRINGA *obſeruationum ſpecimen*, quod ſuis *obſeruationibus miſcellaneis* auxit & edidit LAMBERTVS BOS, Franequerae, MDCCVII. Addatur CASP. WYSSII *dialectologia ſacra*. Nimis vero perſpicaces fuere, qui ebraiſmorum veſtigia in ipſo etiam Homero deprehenderunt, quo pertinet ZACHARIAE BOGANI *Homerus ἑβραΐζων*, ſeu *comparatio Homeri cum ſcriptoribus ſacris*, *quoad normam loquendi*, qui liber editus eſt Oxonii MDCLVIII. vti & Homeri ebraiſmos adnotauit IACOBVS CAPELLVS, in *vindiciis Caſaub. lib.* IV. *c.* XI. Quin PETR. DAN. HVETIVS in *demonſtr. euang. prop.* IV. *c.* II. §. 3. Moſen Homero non incognitum fuiſſe, nimis infirmo argumento, ex Homeri ebraiſmis probari poſſe exiſtimat.

Ad idiotiſmos alicuius linguae quodammodo etiam referri poſſunt LOCVTIONES PROVERBIALES, quae etiam in aliam linguam ad verbum transfun-

† Exhibet illic claſſes XXXI. ebraiſmorum; vti CASP. VVYSSIVS XIII. & IO. OLEARIVS VI.

fundi non possunt, de quarum scriptoribus videatur cel. IO. ALBERTVS FABRICIVS *biblioth graec. lib. IV. p. 494.* Modum illa exponendi tradit IO. CONR. DANNHAVERVS, in *idea boni interpretis §. XIX.* Attendere nimirum iuuat 1) *ad historiam.* Ita quid sit *fractura Ioseph* Amos VI, 6. ex historia Gen. XXXVII, 24. 25. explicandum est. 2) *Ad analogiam alterius similis prouerbii.* Ita cum prouerbio, *facilius est, camelum intrare per foramen acus,* Matth. XIX, 24. conferri potest alterum in codice Talmudico *Berachoth f. 55. Non est elephas, qui intret per foramen acus.* conf. AVG. TITTELII in hoc prouerbium cogitationes, in *miscell Lipsi. tom. V. p. 185.* 3) *ad rei naturam.* Ita facile adparet, quid sit, *montes transferre* 1 Cor. XIII, 12. scil. *res arduas, & quae fieri non posse videbantur, tamen praestare,* de quo conf. IO. FRIDER. MAYERI diss. *de translatione montium.* Permulta in codice sacro latitant eiusmodi adagia, iudice DAN. GE. MORHOFIO, in *polyh. tom. I. p. 253.* nondum digne satis excussa. Interim suam operam huc contulerunt IO. DRVSIVS, cuius *de prouerbiis sacris* cogitationes exstant tum *tom. VI. criticorum sacr. p. 1890* tum in BRIANI WALTONI *adparatu biblico p. 423.* nec non MARTINVS DELRIO in *adagialibus sacris*, qui tamen vulgatum interpretem sequitur, & ornamenta rhetorica cum adagiis, proprie dictis, saepe permiscet: & IOACH. ZEHNERVS, qui scripsit *adagiorum sacrorum centurias quinque*, ex vniuerso bibliorum codice collectas, ac parallelismis patrum & gentilium scriptorum illustratas, *Lipsiae MDCI.* Addantur AD. ERDM. MIRI *prouerbia sacra.* De adagiis *noui testamenti* ex instituto IO. VORSTIVS & ANDR. SCHOTTVS commentatus est. Iungatur SAL. GLASSII *rhetor. sacr. p. 1969.* & THOMAE CRENII *animaduers. philol. part. II. p. 138. seqq.*

§. VII.

§. VII.

Deinde grammatica est *iudex* versionum translationumque biblicarum, quae omnes imperio grammatices sese submittere eiusque sententiam siue absoluentem, si eum fonte conueniant, siue condemnantem, si ab illa discedant, audire coguntur. *

* Nulla scilicet conscripta est vmquam scripturae versio, nec fere conscribi potest, quin aliquid imperfectionis habeat, suisque naeuis laboret, quos saepe artis grammaticae iudicium, ac punctationis, formationis, constructionisue ratio detegit & ostendit. Exempli caussa LXX verba ebraea ויחב אותם אברם Genes. XV, 11. reddiderunt: *συνεκάθισεν αὐτοὺς Ἀβραμ.* Nimirum isti interpretes verbum וישב a radice ישב *sedit*, deriuauerunt; quum dagesch forte, litterae ש impressum, indicet, loco primae radicalis, נ esse adiiciendum, vt radix sit נשב *sufflauit*, Esa. XL, 7. vnde in futuro Hiphil ישב pro ינשב *flatu illos abegit.* Similiter quum vulgata versio Gen III, 15. habeat: *ipsa* mulier) *conteret tibi caput*, aperte huic translationi refragatur grammatica. Nam α) omnes ebraei codices in hunc vsque diem legunt הוא *ipse*, (non היא *ipsa*) & ante Christi tempora ita fuisse lectum, versio graeca euincit. β) obstat 1. antecedens *nomen masculinum* זרע 2. sequens *verbum masculinum* ישופך & 3. eodem versu occurrens *adfixum masculinum* תשופנו vt pluribus demonstrat SIXTINVS AMAMA, *antibarb. bibl. lib. II p. 202.* & in *censura vulgatae versionis quinque librorum Mosis p. 8. seqq* qui ipse etiam liber plura eiusmodi exempla suppeditabit. Conferatur quoque cum textu ebraeo versio LVTHERI 2 Sam. XVIII, 3. Ezech. VI, 9. cet. & SEBASTIANI SCHMIDII versio Ios. II, 18. cet.

§. VIII.

§. VIII.

Denique grammatica etiam disciplina *vindex* est *barbarismi & soloecismi*, scripturae sacrae stilo a nonnullis sine merito adsperſi. *

* Equidem ARNOBIVS *lib. I. aduersus gentes pag. m. 45* soloecismos in sacro codice inueniri haud negat, atque, *puerilis*, exclamat, *& angusti pectoris reprehensio! Quam si admitteremus, vt vera sit, abiiciamus ex vsibus nostris quorundam fructuum genera, quod cum spinis nascuntur & purgamentis aliis, quae nec alere nos possunt, nec tamen impediunt perfrui nos eo, quod principaliter antecedit, & saluberrimum voluit nobis esse natura.* Similiter AVGVSTINVS *de doctrina christiana lib. II. cap XIII* iudicat, *infirmiores esse, quam doctiores videri volentes, qui offenduntur barbarismis, aut soloecismis.* Attamen quum nulla necessitate vrgeamur, ad eiusmodi orationis vitia in stilo scriptorum sacrorum, ab ipso spiritu Dei formato, agnoscenda; merito ab eiusmodi accusatione mens pia abhorret. *Orationis enim impurae purus intellectus vel soboles vel parens esse nequit*, vt scite SCALIGER ait, *exercit. CIV.*

Quod ad *textum veteris instrumenti* attinet, inter ipsos iudaeos fuerunt audacia ingenia, quae scriptorum sacrorum stilo varia adfricare vitia studuerunt, inter quae primum veluti locum occupat IS. ABARBANEL, qui in *praefat. ad Ieremiam fol. 96. col. 4. lin. 4 seqq.* non erubescit scribere, *prophetas interdum ipsam linguam non satis intellexisse, atque in rebus grammaticis, & orthographia rite instituenda, parum fuisse exercitatos. Id quod ipsis non minus condonandum, ac si quis lapsus & error principi exciderit.* Inuehitur deinde potissimum in IEREMIAM, quod *multa vitiose scripserit per lapsum, vel errorem, quae deinde*

deinde. Ezras superueniens correxerit, explicatione, quae linguae indoli conueniat, margini adscripta; quod decade exemplorum confirmat. Eandem tibiam inflat RICH SIMON, *hist crit. vet. test lib I. cap IV. pag. 29.* vbi *tot*, inquit, *in Ieremiae textu phrases concisae, aut mutilae occurrunt, vt non nisi multa supplendo vocabula, aut periodorum ordinem inuertendo, vt primas & natiuas restituas, sensum adsequi, aut reddere possis. Quae quidem res etiam aliqua ex parte ex proprio cuiusque auctoris stilo oriri potest.* Neque mitius sentit IOANNES CLERICVS ad 1 *Sam.* XXV, 31. vbi nescio quam *scabritiem asperitatemque* scripturae stilo tribuit. At enim vero si quis linguae genium recte perspectum, mentemque fundamentis grammaticis bene excultam habeat, is nihil vitii in locis accusatis deprehendet. ABARBANEL e. c. ad Ieremiae soloecismos refert locum cap. II, 15. vbi scribitur ערין נצתה *vrbes eius succisa*, vel *incensa est*; quod pugnare videtur cum regula communi, & in omnibus linguis recepta, vt verbum finitum cum nominatiuo, tamquam praedicati istius subiecto, in eodem numero ac genere conueniat; qualem constructionis imparitatem *soloecismis* adnumerare, & *stribileginem* adpellare vereres consueuerunt, teste GELLIO *noct. artic. lib. V. cap. XX.* & FABIO QVINTILIANO *institut orat lib. I. cap. IX.* qui tamen *lib. IX. cap III.* recte monet, eiusmodi constructiones, *si cum ratione fiant*, minime esse vitiosas; sed potius quotidiani, & semper eodem modo formati sermonis, fastidium leuare, eumque, si parce, & vbi res poscit, adhibeantur, velut adsperso quodam condimento, reddere iucundiorem. Minime igitur putandum est, Ieremiae haec per errorem excidisse, vt ABARBANEL cauillatur, sed ex deliberato & prudenti consilio singularis נצתה plurali ערין iungendus, a Deo ipso inspiratus, & a Iere-

a Ieremia conceptus fuit, vt indicaret, *vnamquamque vrbium populi Israelitici destruendam, & ab hostibus exurendam esse*, quo idiotismo nihil in ebraea lingua notius. Ita vero omnis suspicio soloecismi euanescit. Sed pluribus hoc argumentum pertractat ven. IOAN. ANDREAS DANZIVS, in dissert. *sinceritas scripturae V. T. praeualente Keri vacillans*, quam sequuta est alia, quae inscribitur, *sinceritas scripturae eluctans*, quae tamen tantum rudimenta sunt operis maioris, quod vir doctissimus dudum molitur. Interim ex priori schediasmate iudicium venerandi auctoris de soloecismis scripturae, pium sane & modestum, apponere liceat. Ita ille §. XIII. *pag.* 41. *Haec ipsa veritas scripturae elocutione exprimitur accurata, & analogiae ac genio linguae quoad vocum constructiones non minus, quam istarum flectionem, vbiuis conueniente. Quae vt ab omni fuco & adfectata grandiloquentia, dictisque phaleratis est immunis: ita etiam a qualicumque soloecismo & sermonis barbarie longissime abest, nec inhabilis, quae quodcumque criticorum, a praeiudiciis liberorum, examen sustineat rigidissimum. A DEO quippe supremo nil prouenire potest, nisi quod omnibus numeris absolutum sit & perfectissimum.* Addatur WOLFG. HENR. FRID. PERTSCHII dissert. de *scriptura sacra, omnis dictionis vitii experte*, & ANDR. CONR. WERNERI de *puritate fontium ebraeorum*, ex libro *Iosuae* probata.

Idem de *stilo noui testamenti* sentiendum. In hoc barbarismos ac soloecismos sibi detexisse visi sunt ERASM. ROTERODAMVS, in *notis ad N. T. Act. X.* IO. CROIVS in *obseruationibus ad N. T. cap. XXXIV. p.* 261. *seqq.* aliique plures; sed sine caussa. Vbi enim de puritate stili graeci sermo est, minime illa exigenda est ad scripta profanorum graecorum, Demosthenis, Isocratis, Homeri aliorumque; quis enim spiritum sanctum, linguarum datorem, ad scriptores pro-

profanos, sibimet etiam quoad stilum dissimiles, tamquam ad normam adligauerit? Sed eiusmodi concipienda est puritas, quae ad regulas tum graecae tum ceterarum, praesertim orientalium linguarum, quadrat. Vnde sufficit in stilo N. T. vbi alienior est a profano, verba ea lege sibi esse coaptata, qua coaptauerunt prophetae veteris testamenti, vel alii linguarum orientalium periti homines, qui ante apostolos non sine auctoritate locuti fuerunt; vt prudenter iudicat IO. OLEARIVS differt. *de stilo N. T. pag.* 101. Vt taceamus multa saepe pro barbaris & soloecis haberi, quae apud optimos auctores graecos inueniuntur. Ita IOACHIM. CAMERARIVS, vir graece non indoctus, ad 3 Ioan. vers. 4. μειζοτέραν τούτων οὐκ ἔχω χαράν, adnotat: βαρβαρίζει ἡ λέξις. Sed ERASM. SCHMIDIVS probatissimos adfert auctores, qui ex comparatiuo nouum comparatiuum fecerunt, vt ARATVS ex χείρων *peior*, χειρότερος *multo peior*; THVCYDIDES ex καλλίων *pulchrior*, καλλιότερος, cet. Idem doctissimus SCHMIDIVS passim obseruat, multos *ebraismos* (qui tamen minime soloecismis adnumerandi sunt) *ex ignorantia graecismi esse fictos*, in *notis ad N. T. pag.* 21. 586 1293. Huc etiam pertinet HIERONYMI fabula de *cilicismis*, quos in PAVLI stilo vir magnus subodoratus erat. Putat enim in *epist. ad Algasiam quaest.* 10. *tom. IV. part. I. pag.* 204. Paulum in Tarso Ciliciae educatum, id vitium imbibisse, vt quod senserit, non potuerit puro sermone exprimere. Sed quis quaeso credat, graecam linguam a Paulo, qui natus in ciuitate graeca clarissima, qui in poetarum graecorum scriptis diligenter versatus erat, adeo fuisse alienam? Non sic iudicabant Athenae ipsae, nec PORCIVS FESTVS existimabat, apostolum nostrum barbare & obscure loqui. Adde, quod ipse STRABO, *geographiae lib. XIV. fol.* 771. de Tarsensibus testatur, *eos philoso-*

losophiae & bonarum litterarum studio, Athenas & Alexandriam, & si quis alius nominari possit locus, superasse. Quae huc trahi solent, doctissimus olim STOLBERGIVS peculiari dissertatione, *de Pauli Ciliciſmo* conscripta, ab omnibus sermonis sordibus liberauit. Conferatur de puritate stili N. T. idem BALTH. STOLBERGIVS, *de soloeciſmis & barbariſmis, graecae noui foederis dictioni falso tributis.* IACOBI GROSSII *trias propositionum theologicarum, stilum N. T. graecum a barbaris criminationibus vindicantium*; cui tamen IO. MVSAEVS opposuit *disquisitionem de stilo N. T.* quae magnae litis † occasio extitit. IO. HENRICI BÖECLERI *commentatio de lingua N. T. originali.* ADAMI RECHENBERGII dissert. *de stilo Pauli epistolico* §. IV *seqq.* †† Adde quae *supra* diximus *lib.* I. *cap.* II. §. 2.

§. IX.

Pergimus ad auxilia *critica*, quibus exegesis sacra carere non potest, inter tot insidias, scripturarum sacrarum integritati a cacodaemone subinde structas; * contra quas ebraeae ac graecae veritatis ** patrocinium ab arte critica suscipi par est.

* Necessitas scilicet crisin docuit. Quum enim ipsum codicem sacrum e medio tollere *malus genius* non posset, studuit illi infelix lolium adspergere, veros auctores in dubium vocare, spurios substituere, voces corrumpere, mutilare, lectiones variare, diuidere coniungenda, coniungere diuidenda, atque sic intelligentiam scripturarum sacrarum intricatam fa-

† Vide cel. PFAFFII *notas in Matth. pag.* 30.

†† Add. TACO HAIO VAN DEN HONERT *epistola de stilo N. T. graeco, a barbariſmis & sermonis vitiis ei nuper ab* ELIA BENOIST *adspersis, vindicato*; quae extat in eiusdem *syntagmate dissert. de stilo N. T. graeco.* Et RVMPAEI *comment. crit. ad libros N. T. p.* 59. *seqq.*

cere ac difficilem, vt monet IO. CONR. DANNHAVERVS, in *hermen. sacr. pag.* 118. Accedit *humana incuria*, qua saepe fit, vt vel scriptio corrumpatur, vel male disponatur interpunctio; vbi interpres operam ludit, nisi genuina lectio prius restituatur.

** Solet HIERONYMVS subinde textum originalem *veritatis* elogio ornare, ad quam, tanquam ad arcem, confugiendum. Et tam frequens in ore eius est *ebraea veritas*, ac si aliud nomen ignoraret, quo scripturam prophetarum aeque decenter adpellaret, vt, citatis HIERONYMI locis, obseruat ven. DANZIVS, in *sinceritate scripturae vacillante* §. XII. *p.* 40.

§. X.

Hinc neque in *iudaica*,* neque in *christiana* ecclesia ** defuerunt viri docti ac diligentes, qui omnem lapidem mouerunt, vt codicem sacrum, pretiosissimum illud diuinae prouidentiae depositum, integrum & incorruptum posteritati traderent.

* In *ecclesia iudaica*, huc spectat labor *masoretharum* criticus. Accepit autem מסרה *masora*, vel מסורת *masoreth*, nomen, siue a מסר *tradidit*, quemadmodum Iudaei ipsi communiter interpretantur, vt significet παράδοσιν, *doctrinam voce traditam*; siue ab אסר *ligare*, *claudere*, vt vult. ven. DANZIVS in *sinceritate scripturae vacillante*, *pag.* 81. quod tamquam *clausura* scripturam muniat, ne quid temere in eam introducatur, vel eidem subtrahatur; quo respectu etiam a Talmudistis סייג לתורה *epimetrum legis* vocatur. Est vero *masora*, vt IO. BVXTORFIVS, in *Tiberiade cap II. pag.* 6. definit, *doctrina critica, a priscis ebraeorum sapientibus, circa textum ebraeum scripturae sacrae ingeniose inuenta, qua versus, voces, & litterae eius numeratae, omnisque ipsarum varietas notata, & suis locis cum singulorum versuum recitatione indi-*

indicata est; vt sic constans ac genuina eius lectio conseruetur, & ab omni mutatione aut corruptione praeseruetur, & valide praemuniatur. Originem huius laboris alii ad ipsum *Mosen*, alii rectius ad *Ezram* eiusque socios, alii ad *academiam Tiberiensem* in Galilaea ad lacum Genezareth sitam, retulerunt; quod nunc disputare instituti ratio haud permittit: nec adeo adcurate definiri potest, quum illud negotium procul dubio per diuersas temporum vicissitudines creuerit, ac subinde magis fuerit expolitum. Versabatur autem illorum criticorum opera I. *circa* VERSVS, quos α) per singulos libros *numerabant*. Sic obseruarunt Genesin continere versus 1534. quorum medius sit cap. XXVII, 40. Exodum 1209. Leuiticum 859. Numeros 1288. Deuteronomion 955. cet. quamuis Masorethae & Talmudici multum ea in re inter se dissentiant. Ita Talmudici tr. *Kidduschin, f. 30. a.* pentateucho tribuunt versus 8888: (vitiose procul dubio pro 5888. ה scripto, loco ח) masora hodierna 5245. at ex ELIAE LEVITAE computo 5842. conf. cel. IO. GE. ABICHTII diss. *de duobus versibus Iosuae restituendis, p. 14. seqq.* β) varia *singularia circa versus obseruabant*. Sic Ier. XXI, 7. adnotarunt, vnicum hunc in sacro codice occurrere versum, *42. vocibus* & *160. litteris* constantem; item Num. XXXVI, 8. tres esse versus, quorum *singuli* habeant *80. litteras*; item Ezech. XXXVIII, 13. viginti sex esse versus, in quibus singulis *omnia alphabeti elementa* occurrant, cetera. II. Circa VOCES, quarum obseruarunt α) *numerum*, vt Ioan. II, 6. vocem לראשי quater tantum in scriptura sacra inueniri; β) *locum ac situm*, vt Genes. I, 2. vocem הארץ octies constituere versus initium; γ) *syntaxin* & *relationem ad alias voces*, e. c. quod verbum שמע cum praepositione על duodecies, cum לקול decies septies legatur; δ) *significationem*, vbi confusio erat metuenda: sic Gen. XXVI, 12. notant nomen שערים alias quidem

dem *portas*; hoc vnico vero loco *mensuras* denotare; β) *orthographiam* num *plene*, vel *defectiue* (sine ו & י) scriptae sint, vt Gen. I, 14. מארת bis defectiue scribi. γ) *variam lectionem*, vnde keri & cetibh enatum, de quo deinceps. III. Circa LITTERAS, quarum α) *numerum iniuerunt*, quaeque in toto libro *media* sit, definiuerunt: qualem operam ex recentioribus etiam suscepit CORNELIVS PITTELVS, in calce *orationis ebraicae*, Rostochii MDCLXIV. editae, qui obseruauit, א in ebraeo codice 42377. vicibus, ב 38218. ג 29537. cet. reperiri; vniuersum vero codicem litteris 809238. constare. β *figuram insolentiorem*, maiusculam, minusculam, inuersam, suspensam, conf. *supra c.* VIII. §. VII. *p. 325. seq.* IV. Circa VOCALES. Ita ad Gen. I, 5. obseruatur ad לאור quod septies per *kamets* scribatur. V. Circa ACCENTVS, vt Gen. III, 11. ad לך quatuordecim vicibus occurrere cum accentu *sakeph* in lege. De quibus omnibus fusissime agit IO. BVXTORFIVS, in *Tiberiade* siue *commentario masorethico*, & BRIANVS WALTONVS, in *adparatu biblico proleg.* VIII. *pag. 288. seqq.*

Quod si quaeratur, *quid de isto labore critico masoretharum iudicandum sit?* duo vtrimque *extrema* vitanda esse putamus, ne quid nimis, siue laudando, siue vituperando, fiat. Grata nimirum mente agnoscendi sunt stupendi masoretharum labores, qui non parum ad sacri codicis integritatem sartam atque tectam conseruandam fecerunt. Licet enim masoretharum, praecipue posteriorum, crisis quandoque fuerit curiosior, & hinc inde superstitiosa; vtilis tamen nobis per accidens fuit eorum curiositas, adeoque DEVS, qui iudaeis oracula sua concrediderat, finem suum vel per ignaros & aliud agentes sapientissime est exsecutus; vt modeste iudicat AVGVSTVS PFEIFFERVS, *crit. sacr. c.* VI *p. 193.* qui & aliorum de hoc labore sententias exhibet; quod manu multo largiore

largiore facit reu. IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, de toto hoc argumento docte & solide commentatus, *in biblioth. ebr. part. II. p. 528. seqq.* † Hodiernam tamen masorae faciem admodum esse confusam ac mutilam, ac pristinae multum dissimilem, ven. IO. HENR. MICHAELIS, in *praef. ad bibl. ebr. cap. IV. pag. 19. seqq* post aliorum ea de re querelas demonstrauit. Ceterum de masora, eiusque natura, historia, fatis, vsu, pluribus videatur IO. BVXTORFIVS, pater, vir in his litteris princeps, in *Tiberiade*, IACOB. BASNAGE, in *historia iudaeorum lib. III. cap. IX.* IO. BENED. CARPZOVIVS, in *introduct. ad theol iudaicam p. 77 seqq.* IO. LEVSDENIVS, in *philolog. ebraeo dissert. XXII-XXV.* AVG. PFEIFFERVS, in dissertat. philologica *de masora*, celeb. DAN. GVIL. MOLLER, in dissertat. de *mari masorethico infido*. Add. ven. OPITII *praef. ad bibl ebr.*

** Inter antiquos ecclesiae doctores praeter ORIGENEM & HIERONYMVM pauci fuerunt, artis criticae periti, quum linguam ebraeam parum calluerint. ORIGENES graecae LXX virorum versioni, variis modis iam dum corruptae, manum criticam admouit, eamque e codicibus optimis, speciatim Alexandrino codice, emendatam, cum aliis versionibus ita contulit, vt vbicumque aliquid in septuaginta virali *abundaret*, id notaretur *obeliſco*, siue virgula; vbi *deficeret* non nihil, hoc est alia versione, THEODOTIONIS maxime, suppleretur, atque *stellula*, siue *asteriſco*, notaretur; vbi denique aliquid a LXX interpretibus *redditum* esset *paullo obscurius*; ei sub *lemniſci* nota adiungeretur lucidior altera translatio, itidem plerumque ex THEODOTIONE, nonnumquam etiam ex AQVILA, vel SYMMACHO repetita; de quibus notis criticis Origenis, *obeliscis* nimirum,

† Et IO. GOTTLOB CARPZOVIVS, in *critica sacra p. 285.*

asteriscis lemniscis, videantur PETRI DAN. HVETII *Origeniana p.* 260. & ANDREAE CHRISTIANI ESCHENBACHII dissertat. *de veterum criticorum σημειώσεσι*. Istam vero editionem LXX senum ita recensitam, & notis criticis instructam, Origenes *Hexaplis* suis inseruit, operi incomparabili, cuius specimen exhibet celeb. IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graecae lib.* III. *cap.* XII, *p.* 346. †

Similiter HIERONYMVS, aliquo linguarum sacrarum praesidio instructus, criticam emendationem translationum biblicarum, maxime LXX viralis, suscepit, *quaestiones* etiam *ebraeas* in aliquot libros biblicos scripsit, in *commentariis* saepe verba ebraea cum versionibus contulit, ac de his sententiam dixit; quamuis IO. CLERICVS, in *quaestionibus Hieronymianis, quaest.* V. *seqq.* eum *modica ebraeae linguae cognitione tinctum fuisse* putet, qui & de critica Hieronymi eruditione pluribus videri potest. Adde ven. CARPZOVII *crit. sacr. pag.* 21.

Quum seculo decimo quinto bonae litterae reflorescerent, ars etiam critica coli & exerceri coepit; dum viri docti non solum operam dederunt, vt scriptores profani adcurate ederentur; sed etiam vt codex veteris pariter ac noui testamenti emendatius prodiret, locis vel iniuria temporum, vel scribarum iniuria male adfectis, probatorum manuscriptorum ope, restitutis, ac variis lectionibus adnotatis. *Ebraeo codici* curando DANIEL BOMBERGIVS, IO. BVXTORFIVS, ROBERTVS STEPHANVS, AVGVSTINVS IVSTINIANVS, BENEDICTVS ARIAS MONTANVS, BRIANVS WALTONVS & alii inſudauerunt; de quorum laboribus videatur CHRIST. KORTHOLTVS, *de variis scripturae editionibus cap.* XXXII. *p.* 377.

† Reliquias hexaplorum Originis edidit BERNH. DE MONTFAVCON, Parisiis, 1713. Conf. vener. CARPZOVII *critica sacra p.* 574.

p. 377. *seqq.* & RICH. SIMON. *hist. crit. V. T. lib.* III. *p.* 125. *seqq. Novi testamenti textui* criticam manum adhibuerunt LAVRENT. VALLA, FRANCISCVS XIMENIVS, DESIDERIVS ERASM. ROTERODAMVS, ROBERTVS & HENR. STEPHANVS, STEPHAN. CVRCELLAEVS, IOAN. MILLIVS, GERHARD. DE MASTRICHT, & alii. Conf cel. IO. ALBERTI FABRICII *biblioth. graecae lib. IV. c. V. p.* 180. *seqq.* & *prolegomena*, editioni *Millianae* ac *Wetsteinianae* praemissa.

§. XI.

Quum vero fines artis criticae latissime pateant,* maxime huc pertinet, suum que in hermeneutica vsum praestat, illa pars, quae a *sanando* nomen accepit,** quaeque in verorum libris emendandis & integritati nativae restituendis conseruandisque, sedulo studio versatur.

* CL. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, in *parergis criticis p.* 9. *seqq.* tot putat esse artis criticae partes, quot modis κρίσις, siue iudicium rationis circa verba exerceri potest. Adeoque critici officium esse putat I. *naturam linguarum* contemplari II. *originem* & natales inuestigare, siue *vocabulorum*, siue *adagiorum*. III *methodum linguae addiscendae* praescribere facillimam. IV *regulas* tradere *interpretandi* verba phrasesque obscuriores. V interpretari *fabulas poetarum & aenigmata*. VI. iudicium ferre de *stilo*, eiusque *virtutibus* ac *vitiis*. VII discrimen *stili* ostendere *ratione aetatum*. VIII. indicare *stilum certae sectae*, deque eius vsu ferre sententiam. IX designare *characterem stili* cuiusque auctoris. X Inquirere stili characteribus de *libri aetate* & *auctore*, verborumque *sinceritate* iudicare. XI. iudicium ferre de

de recta *pronuntiatione* linguae. XII. *orthographiam* monstrare, eamque solidis superstruere fundamentis. Speciatim *criticam sacram* AVG. PFEIFFERVS, in *crit. sacr. p.* 2 ita describit, quod sit *pars philologiae sacrae, tradens modum dextre iudicandi de textus sacri perfectione & sensu, nec non versionum cum archetypo conuenientia*; de cuius scriptoribus videatur reuer. WOLFII *biblioth. ebr. part. II. p.* 262. †

** Est nimirum singularis pars critices, quae *therapeutica* dicitur, vocabulo e medicorum schola desumto, quia in sanandis ac restituendis adfectis veterum scriptorum locis, nec non in sanitate ac integritate illorum conseruanda versatur. Quam artem certis regulis ac limitibus circumscribit CL. HEVMANNVS, *loc. cit. p.* 32. *seqq.*

§. XII.

Vsus igitur *artis criticae* in exegesi sacra eo potissimum redit, vt dignoscatur, vtrum liber aliquis huic vel illi auctori ex vero tribuatur, an sit suppositicius? vtrum oratio sit sincera, an glossemate interpolata; vtrum interstinctiones recte se habeant, nec ne? denique quaenam ex pluribus variantibus lectionibus alteri praeferenda? *

* Paullo vberius haec declaremus. Vsus artis criticae versatur.

I. *Circa dignoscendum libri auctorem.* Quibus indiciis verus alicuius libri auctor & scriptor cognoscendus sit, *supra* monstrauimus *p.* 108 nunc ostendendum est, quomodo falsus & ψευδεπίγραφος detegatur. Quam plurimos enim circumferri libros sacros, qui auctorem, cuius nomen in fronte gerunt, mentiun-

† Addatur IO. GOTTLOB CARPZOVII *critica sacra Vet. Test.* & IO. CHRISTIANI CLEMMII *principia criticae sacrae in N. T.*

mentiuntur, satis notum est; quos collegit, doctisque passim obseruationibus illustrauit cel. IO. ALB. FABRICIVS, in *codice apocrypho* & *pseudepigrapho* tum *veteris*, tum *noui testamenti*. Interest igitur veritati, nosse indicia fraudis ac suppositionis; quae petuntur 1) *ex lingua, vero auctori non vsitata*; hinc liber sapientiae, additamenta Estheris & Danielis, liber Ezrae tertius & quartus, epistolae latinae Pauli ad Senecam, cet. conuincuntur, quod non proficiscantur ab illis auctoribus, quibus vulgo tribui solent. 2) *Ex vocabulis, isti seculo, quo auctor vixisse fertur, ignotis.* Ita vocabuli libri *sapientiae* σεφανηφορεῖν, πομπεύειν, ἆθλα, ἀγών, manifesto adludunt ad *graecorum certamina*, longo post Salomonem tempore instituta. 3) *Ex pugna cum aliis eiusdem auctoris scriptis.* Ita *historia Beli & Draconis*, quam pontificii Danielis prophetiis inserunt, aperte cum illis pugnat. In illa enim c. c. Daniel v. 30. *sex* dies; at Dan. VI, 19. sqq. *vnicam* tantum *noctem* inter leones transegisse dicitur. 4) *Ex contradictionibus historicis & chronologicis*, vt, quum in *historia Susannae* Daniel tamquam παιδάριον νεώτερον introducitur, quum tamen, cum Ioiakimo in Babyloniam translatus, circa finem regni Astyagis vltra XL annos haberet, & iam in Aula Darii inter primos satrapas numeraretur. Insuper nullo modo credibile est, Chaldaeos iudaeis captiuis tantum indulsisse, vt iudicia exercerent & supplicia decernerent capitalia. Conferatur ea de re pluribus IO. CLERICVS, *art. crit. part. III. sect. II. c. II. p.* 324. *seqq.* & post ANDR. RIVETVM, GVIL. CAVEVM, aliosque, vir doctissimus IO. RAINOLDVS, in *censura librorum apocryphorum*, opere consummatissimo; nec non ven. IO. ANDR. SCHMIDII diss. de *pseudo-veteri testamento*, & quae de *liturgiis* sub apostolorum nomine circumlatis (quas EVSEBIVS RENAVDOTVS in *collectione liturgiarum orientalium* &

cel. IO. ALBERT. FABRICIVS *codicis apocryph. N. T. parte* III. exhibet) habet IO. GERHARDVS, in *confess. cathol. lib.* I. *part.* II. *c.* VIII.

II. *Circa orationis sinceritatem adserendam, & a glossematibus liberandam.* Nimirum *glossemata* dicuntur aliena verba, orationi auctoris siue a criticis audacioribus, siue a librariis imperitis inserta, qualia in antiquis scriptoribus non raro occurrunt. Quum enim alicubi aliquid deesse videbatur, ad explendam auctoris sententiam; saepe critici non satis circumspecti aliquid inseruerunt, quo orationem redderent perfectiorem. Nonnumquam quae librarius aliquis *ad marginem* adscripserat, alius librarius transtulit *in contextum*, vel, quod putaret, omissa esse illa verba in orationis serie, vel quod iis contineri censeret veriorem lectionem, intra orationis corpus recipiendam. Exempla adfert IO. CLERICVS, *art. crit. part.* III. *sect.* I. *c.* VII. *p.* 78. *seqq.* & CL. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS, in *parergis crit. pag.* 33. *seqq.* & *p.* 121. *seqq.* qui & *criteria* suppeditat, ex quibus glossemata agnosci possint, quae sunt 1. si *verba cum reliqua oratione non cohaereant.* 2. si ea *ab indole & elegantia auctoris aliena sint.* 3. si *manifesta & frigida adpareat ταυτολογία.* 4. si *verba commodissime absint; adsint incommodissime.* 5. si *verba quaedam alio loco rectius collocentur.* 6. si *duae phrases sint coniunctae*, quarum prior posteriore multo est dilucidior: quamuis omnes istae regulae multas patiantur exceptiones.

Et in *versionibus* quidem scripturae sacrae talia glossemata passim occurrere, nemo negauerit; maxime in *versione graeca*, vbi saepe duplex exhibetur vnius vocis, aut phraseos ebraicae interpretatio, quarum altera margini illita fuerat primum, deinde irrepsit in orationis contextum, vt Genes. XXXIV, 15. אך בזאת נאות לכם *Hac lege vobis consentiemus.* LXX.

LXX, ἐν τούτῳ ὁμοιωθησόμεθα ὑμῖν, καὶ κατοικήσομεν ἐν ὑμῖν it. Prou. I, 7. 14. c. III, 16. c VII, 2, cet. Idem in *codice pentateuchi samaritano* saepius contigisse IO. CLERICVS *loc. cit. p. 80.* obseruat. Similiter in *vulgata* versione latina 1 Petr. III, 22. verba, *deglutiens mortem, vt vitae aeternae haeredes efficeremur*, procul dubio sunt scholion studiosi, qui illa ex 2 Tim. I, 10. ad oram textus adscripsit, quae postea scribae in textum receperunt.

Sed longius multi critici progrediuntur, & *in ipso* etiam *textu originali* quaerunt, quae sub glossematum titulo inde proscribant, & velut furfures a puriori farina separent. Ita THEOD. BEZA verba Marc. IX, 43. εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον, & Luc. II, 14. εὐδοκία ἐν ἀνθρώποις; IO. CLERICVS *art. crit. l. c. p. 84.* vocem κτίσεως Marc. X, 6. RICHARD BENTLEIVS verba Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ Gal. IV, 25. pro glossemate habet, & LVD. KVSTERVS, in *praefatione N. T. Milliani* ad Marc. VII, 2. adnotat: *Verba τοῦτ' ἔστιν ἀνίπτοις scholion redolere, & ex margine in textum irrepsisse, quilibet naris paullo emunctioris facile sentit.* Similiter IO. MILLIVS, in proleg. N. T. voculam ἐκεῖ ex Matth. V, 22. & εἰς μετάνοιαν ex Matth. IX, 13. tamquam *glossema* exulare iubet; nulla alia ratione instructus, quam quia IVSTINVS MARTYR, vbi haec loca citat, ista verba omisit. Sed si criteria, ex quibus glossemata agnosci diximus, in huiuscemodi locis prudenter adplicentur; facile adparebit, omnia salua esse, & verba de quibus eiiciendis agitur, non sine sensus detrimento abesse posse, quod pluribus demonstrat cl. IAC. HASAEVS in *bibliotheca Bremensi. class. I. p. 687.* Addantur IO. FRIDER. HOMBERGK *parerga sacra, ad Luc. II, 14. p. 122.*

III. *Circa interstinctiones ebraei & graeci codicis.* Laborem criticum masorethorum ad accentus etiam

etiam ebraei codicis, eorumque insolentiorem situm obseruandum, sese extendisse, supra ad §. X. *p. 404.* diximus. Neque hodie deest, maxime in libris *metricis*, quod hic agatur; vbi saepe accentuum ordo in multis codicibus, etiam impressis, valde disturbatus est, ex diligenti manuscriptorum collatione restituendus, qua de re videatur cel. DAN. ERN. IABLONSKI *praefatio bibliorum ebraicorum.* De distinctione librorum N. T. per *capita, versus, puncta, cola, commata* supra disseruimus c. VI. §. V. XVII. *p. 228.* Vsum hic quoque praestat *codicum antiquiorum collatio.* Sic in tract. *Untersuchung etlicher Oerter des N T part I. p. 345* obseruatur locum Ioan. VII, 37-40. in veteri aliqua editione Argentoratensi anni MDXXIV. ita esse distinctum: ἐάν τις διψᾷ, ἐρχέσθω πρός με, καὶ πινέτω ὁ πιστεύων εἰς ἐμέ. Καθὼς εἶπεν ἡ γραφή, ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος. Nec diffitendum, hoc modo verba minus impedite fluere, & commodissimum fundere sensum. Locus hic *coniecturis* datur, caute tamen & sobrie proferendis. Sic IO. BRENTIVS, quamuis parum probabiliter coniectat, *Nathanaelem* verba sua ita forte pronuntiasse: *A Nazareth? potest aliquid boni esse!* Ioan. I, 47. Plura dabit BALT. STOLBERGIVS *de soloecismis & barbarismis N. T. p. 20 seqq.* & IO. CHRISTIAN HERZOG, † in *obseruationibus philologicis de interpunctionum positu in epistolae ad* Romanos *selectioribus locis*, qui *p. 4.* hanc regulam praescribit: *Non iuxta interpuncta sensum qualemcumque conglutinare, sed iuxta*

† Idem commode mouet verba Pauli Rom. VII!, 3. sic optime interpungi posse τὸ γὰρ (sc. ἐλευθερὸν v. 2.) ἀδύνατον τοῦ νόμου, sc. ἐστὶν ἐν ᾧ sc. πράγματι ἠσθένει διὰ τῆς σαρκός. ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας, κ. τ. λ. *Hoc enim*, scil. liberare a lege peccati & mortis, *est impossibile* opus *legis, siquidem infirmata est per carnem. Deus, filium mittens - - condemnauit peccatum.* vid. *obs. cit. p. 9.*

ta sensum, qui defaecato, pio, humilique animo, a perito linguae, rerum & personae scribentis interprete tractandus est, interpunctionum notas, si emendatione indigent, figere, ad sinceri interpretis officia spectat. Idem de *accentibus* & *spiritibus dictionis graecae N. T.* obseruandum, vbi nonnumquam occurrere possunt circumstantiae, vbi exigua aliqua variatione magna tolli difficultas potest. conf. ven. FRANCKII *praelectiones herm. p. 71. 78. 79.* & IO. CLERICI *art. crit. part.* III. *sect.* I, *c.* X. *p. 141.*

IV. *Circa variantes lectiones diiudicandas ac seligendas.* Quamuis enim sacri codicis integritatem supra *lib.* I. *c.* II. §. VI. merito adstruxerimus, excluſa *vniuersali* omnium codicum corruptione; minime tamen negamus, librariorum ac typothetarum incuria, in multis codicibus manuscriptis pariter ac impressis aliquam hinc inde discrepantiam in scriptione certarum vocum obseruari, cuius fontes & occasiones docte ostendit ven. IO. HENR. MICHAELIS, in *praef. bibl. ebr. c.* III. §. V. *p. 17.* Vnde non defuerunt viri diligentes, qui variantes istas vtriusque testamenti lectiones congesserunt. Et *collectores* quidem *variantium lectionum ebraearum* recenset reu. IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part.* II. *p. 544.* Lectionum vero *graecarum N. T.* cel. IO. ALB. FABRICIVS *biblioth. graec. lib.* IV. *c.* V. *p. 180. seqq.* & clar. GERH. A MASTRICHT, in *proleg. N. T.* quod ex officina *Wetsteniana* prodiit, *p. 17. seqq.* Add. IAC. LE LONG *biblioth. sacr. part.* II. *p. 415 seqq.*

Ad *varias lectiones codicis ebraei* ex nonnullorum iudicio etiam pertinet decantatum illud *keri* & *cetibh*, de cuius origine & scopo varie inter philologos disputatur. Nonnulli scilicet Iudaeorum, maxime ISAAC ABARBANEL, originem eius repetunt *a lapsibus scriptorum sacrorum*, eorumque imperitia gram-

grammatica, a masorethis castigata; alii *a lapsibus librariorum*, masorethicarum opera emendatis. Sic LVD. CAPPELLVS, in *crit. sacr. lib. III. c. XV. sect. XIII.* lectiones marginales deducit ex critico antiquorum masorethicarum acumine, qui codicis, quo vtebantur, antiqui forte, reuerentia & auctoritate moti, scripturam eius, vtut variis in locis vitiosam atque defectam, inducere atque interpolare noluerint, sed, ea integra & intacta relicta, vitium, quod subesse suspicati sunt, per τὸ *keri* indicauerint. Cui sententiae etiam accedit IOAN. MORINVS, *exercit. bibl. lib. II. exerc. XXIV. c. IV. p. 630.* ven. VAL. ERN. LOESCHERVS, *de caussis ebr. linguae lib. III. c. I. p. 441.* & CHRISTOPH. MATT. PFAFFIVS, in *primitiis Tubing. p. 74.* aliique. Alii *a varietate codicum illud deriuant, vt* DAV. KIMCHIVS, in *praefat. comment. ad prophetas priores.* IO. BVXTORFIVS pater, *in Tiberiade c. XI. p. 115.* & filius in *anticritica part. II. c. IV. p. 462. seqq.* IO. LIGHTFOOTVS *operum tom. II. p. 285* ad Matth. V, 18. vbi *Compactum*, inquit, *keri & cetibh maxime probabile est ex collatione duorum exemplarium summae auctoritatis* iudaici *scilicet* & babylonici, *quae quum tot locis in apicibus quibusdam scriptionis inter se discreparent, at quod ad sensum, parum, aut omnino nihil; sanissimo consilio est cautum, vt vtraque reseruaretur, ita vt vtrique codici sua etiam reseruaretur dignitas, & textui sacro sua puritas & plenitudo*, dum ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία non periret. Vnde sunt, qui *vtramque lectionem retinendam*, atque ita explicandam statuunt, vt in eandem diuini scriptoris mentem consentiat; quo spectat ven. MATTHAEI HILLERI labor *de arcano cetibh & keri*, a *Wagenseilio*, *Heidegggero*, *Schudtio*, aliisque viris docti, summis laudibus celebratus. Alii abiecta conciliationis spe, *in vna lectione textuali*, seu cetibh, acquiescendum putarunt, vt tum integritas] textus

tus ebraei, tum vnitas & certitudo sensus sarta tectaque maneret; quod negotii sibi datum credit ven. IO. ANDR. DANZIVS, singularem pollicitus tractatum, cui titulum *masorae thronb motae* destinauit, cuius prodromum dedit in diss. *Sinceritas scripturae V. T. praeualente keri vacillans*; quam secuta est alia: *Sinceritas scripturae V. T. suspicione erroris, in decade exemplorum, Abrabbaneli ac assectis incusatorum absersa, eluctans.* Alii denique keri & cetibh habent *pro variantibus lectionibus*, ex diuersis codicibus diligenter collectis, eo consilio, vt *adhibitis sane interpretationis legibus optionem instituere possit lector, & eam eligere, quae contextui scopoque sacri auctoris maxime adcommodata videatur*; ita tamen vt in delectu isto faciendo *potiores partes τῷ Cetibh relinquantur.* Inter huius sententiae patronos nomen suum etiam profitetur reu. IO. CHRIST. WÖLFIVS, *bibl. ebr. part. II. p.* 520. qui de hoc argumento pluribus videatur.† Addatur SIXT. AMAMA commentatio *de keri & cetibh*, quae exstat in *antibarbaro biblico, p.* 462. IO. HENR. HOTTINGERVS, in *thesauro philolog. pag.* 413. *seqq.* CAMP. VITRINGA, *obseru. sacr. lib. III. c. XIV-XIX.* vbi de illis locis agit, vbi altera lectio לא altera לו exhibet.

Variae lectiones codicis N. T. inaniter nonnumquam sedula virorum eruditorum industria ita sunt multiplicatae, vt vix numerari queant. Vir doctissimus, IO MILLIVS, cuius splendidissima N. T. editio forma maiori MDCCVII. in Anglia prodiit, in Belgio, LVD. KVSTERI studio, recusa, incredibili labore plus quam centum & viginti codices manu exaratos contulit; omniumque patrum pariter ac haereticorum monumenta perreptauit; (nam & ex MARCIONE, EX VALENTINIANIS, EX LVCIANO eiusque sectatoribus, in *proleg. p.* 30. *seqq.* quaedam adduxit.

† Et ven. CARPZOVIVS *crit. sacr. p.* 328.

ducit) ex quibus tandem exercitium *triginta millium variantium lectionum* conscripsit. De quo labore modeste iudicat clar. GERHARDVS A MASTRICHT, in *prolegomenis N. T. p. 26. Optima intentione stupendam hanc diligentiam impendisse virum clarissimum, neminem sinit dubitare eius pietas & veritatis studium, qui hoc opere reipublicae christianae prodesse voluit. Attamen de sequelis numerosissimae huius conlectionis & abusu non satis sollicitus mihi fuisse videtur; ne posset nimirum ingens ista farrago (quae sine delectu omnes omnino colligere & referre voluit varietates, etiam insipidas, ridiculas & futiles) obesse testamento, ac eius fidei & auctoritati.*

Hic igitur implorandum est artis criticae auxilium, vt immensa illa variantium lectionum multitudo imminuatur, ac verae a spuriis discernantur. Equidem hic maxime recurrendum est ad probatae fidei *codices manuscriptos*, quorum suffragiis res stare vel cadere cogitur. Vnde conferantur, quae de *codicibus manuscriptis ebraei codicis* habet reu. IO. CHRIST. WOLFIVS, *biblioth. ebraea part. II. p. 293. seqq.* † IAC. LE LONG. in *biblioth. sacra part. I. pag. 64.* ven. IO. HENR. MICHAELIS, in dissert. de *codicibus manuscriptis bibliorum ebr. Erfurtensibus.* De manuscriptis *noui testamenti* videatur IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graecae lib. IV. cap. V. p. 179. seqq.* RICH. SIMONIVS, in *historia crit. N. T. c. XXX.* & peculiari diss. critica *de manuscriptis N. T.* Insuper non desunt *canones critici*, ad valorem & pretium variantis alicuius lectionis inueniendum comparati, quos doctissimus GERH. A MASTRICHT, in *proleg. ad N. T. p. 11 seqq.* exhibet & *p. 48. seqq.* confirmat. Qui si dextre adplicentur, longe maxima pars variantium lectionum proscribetur. Nonnullae enim

† Adde rursus CARPZOVII *crit. sacr. p. 364.*

enim sunt lectiones, *isthoc nomine prorsus indignae*, quo pertinent omnia vitia scribarum, ac typographorum errores; aliae sunt *dubiae;* aliae *vere tales*, vbi aliquid vel additur, vel omittitur, vel transponitur, vel mutatur, quae rursus vel *nullius*, vel *alicuius* sunt momenti. Ea vero demum lectio hoc nomen meretur, *quae ex probatae fidei codice, antiquo inprimis manuscripto, hausta, & sobrio deinceps critices examini subiecta est, ita vt cognita sensus aliqua saltem mutatione, per rationes dubitandi vel iustas, vel probabiles saltem, lectorem dubium omnino faciat; praesertim quum illa doctrinae vel vitae normam respiciat & attingat, aut ad veritatem confirmandam, nodosue felicius expediendos inseruiat*, vti monet ven. IO. GVIL. BAIERVS, in diss. *de variantium lectionum scripturae N. T. usu & abusu, c. I. §. I.* Addatur SAL. GLASSII *philol. sacr. lib. I. tract. II. p.* 177. IO. SAVBERTVS, in *prolegomenis ad varias lectiones textus graeci euangelii Matthaei*, vbi varia disserit de variarum lectionum origine, auctoritate & vsu. ADAMI RECHENBERGII diss. de *variantibus graecis N. T. lectionibus*, quae exstat in *volumine altero exercitationum p.* 33. IO. HENR. MAIVS in *examine histor. crit. Simonianae c. XXIX.* Ven. CHRISTOPH. MATTH. PFAFFII diss. *critica, de genuinis N. T. lectionibus;* de qua tamen cel. auctor in praef. *primitiarum Tubing.* ipse fatetur, *quod in ea, vtpote tumultuaria opera conscripta, multa exstent, in quibus re postmodum melius perpensa, sententiam mutauerit.* Iungatur doct. DAN. WHITBY, in *examine variantium lectionum* IO MILLII *in N. T.* quod Londini MDCCX. prodiit. † Haec de vsu artis grammaticae & criticae in studio exegetico dixisse sufficiat.

§. XIII.

Quantacumque tamen sit artis *gram-*

† Add. IO. GOTTL. CARPZOVII *praefatio* ad RVMPAEI *commentationem ad libros N. T.* & in hac ipsa *comm. p.* 291. *seqq.*

maticae in hermeneutica sacra vtilitas;* sedulo tamen *cauendum* est, ne quid hic nimium committatur.** Neque enim, se posita ipsa scripturae lectione, grammaticis minutiis insenescendum est,*** neque locutiones peculiares, ab adfectu & consuetudine formatae, tamquam ἀνὰ λογίαι, grammatica virgula perstringendae sunt. ****

* Vere enim ac grauiter pronuntiat MARTINVS CHEMNITIVS, in *locis theol. part.* II *p.* 217. *Ecclesiam tantum debere esse grammaticam, hoc est, non debere fingere res nouas, aut noua dogmata gignere; sed ea, quae a spiritu sancto tradita sunt, debere discere ex genuina significatione vocabulorum, quibus in tradenda doctrina caelesti scriptura vtitur.* Et rursus *p.* 246. *Amissa vera grammatica, statim amissa est lux purioris doctrinae, & quum nostro tempore restitueretur vera grammatica enarratio vocabulorum in hoc loco* (de iustificatione,) *rursus restituta est puritas doctrinae. Nec possumus custodes esse doctrinae huius loci, diuinitus repurgatae, nisi grammaticam discamus & amemus.* Hinc etiam confessores nostri, piae memoriae, in *libr. symb. p.* 196. *Aduersarii*, inquiunt, *nostri dant poenas contemtae grammatices.* Sed isti nimirum homines fortassis erant discipuli IO. DVLLARDI, de quo LVD. VIVES, de *caussis corruptarum artium lib. II. p.* 73. testatur, quod saepe dixerit: *Quanto eris melior grammaticus, tanto peior eris dialecticus & theologus.* Rectius MART. GEIERVS: *Grammaticae cognitionem negligere velle, est nauem permittere solis ventis, non curata pyxide nautica*, & DAV. KIMCHII sub finem *grammaticae ebraeae: Qui discit legem, & non discit fundamenta grammatica, est sicut arator, qui agit boues, & manus eius est sine baculo & stimulo.* Vi-

den-

dentur illa nonnumquam minutiis accenſenda, ſed ſine his minimis maxima conſiſtere non poſſunt, quod eleganter oſtendit IO. IAC. SCHVDT, in *praef.* ad *genium linguae ſanctae*. Ex gr. Meſſiam eſſe *Deum*, nonnulli probare voluerunt ex Eſa LIII, 4. vbi dicitur מכה אלהים *mukkeh elohim*, quod illi verterunt, *percuſſus Deus*. Et narrat CORN. A LAPIDE *ad h. l.* hoc argumento plures iudaeos ad chriſtianiſmum eſſe conuerſos. Sed illos ſane linguae ebraeae admodum ignaros fuiſſe oportet. Nam 1. ita participium adiectiuum ſubſtantiuo debeat *poſtponi*. 2. מכה ſcribitur non cum *ſaegol*, in ſtatu abſoluto; ſed per *tſere* in ſtatu *conſtructo*, adeoque vertendum: *percuſſus Dei*, ſiue *a Deo*. Haec nimirum ab *vnico punctulo* dependent.

** Eleganter EDVARDVS POKOKIVS, in orat. de *poeſi Arabum*. *Monent*, inquit, *ipſi Arabes, grammaticam eſſe diſciplinarum ſal, cuius nimia adſperſio, cauendum eſt, ne palatum exulceret.*

*** Ita etiam iudicat ven. AVG. HERM. FRANCKIVS, in *manud. ad lect. ſcripturae ſacrae p. 42. Plus temporis tribuendum lectioni ipſius textus, quam rudimentis grammaticae addiſcendis, quae certe longe minori negotio, nec tanto cum taedio diſcemus, vſu linguae imbuti & confirmati.* Idem ſentit vir maxime reuerendus, IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. II p. 621. Rebus ſuis parum conſulere exiſtimandi ſunt, qui in grammatica, tamquam in atrio linguae, nimis diu haerent, ad cuius penetralia maturo vſu & lectione felicius pertingere poterant. Ad quae tamen nec illi perueniunt, qui limen ſaltu quaſi ſuperaturi, in ipſo limine offendunt, & extra grammaticam ſapere ſibi poſſe videntur.* Addantur IO. IAC. SCHVDTII *deliciae ebraeo-philol. p. 215 ſeqq.*

**** Sunt nimirum in omnibus paene linguis

eiusmodi locutiones, quae siue ex adfectu, qui difficulter habenas *grammaticas* audit, siue ex *consuetudine*, aliquid anomalici trahunt. Vt enim recte monet QVINTILIANVS, *instit. orat. lib. I. c. VI. Non quum primum fingerentur homines, analogia demissa caelo formam loquendi dedit; sed inuenta est, postquam loquebantur. Itaque non ratione nititur, sed exemplo.* Vnde apud elegantissimos nonnumquam scriptores eiusmodi constructiones occurrunt, quae a regulis grammaticis non nihil discedunt, vt ostendit IO. CLERICVS, *art. crit. part. II. sect I. c. X. p. 237.* Maxime huc pertinent *constructiones ad sensum*, vt apud Terentium: *Senium, QVI me hodie intermoratus est.* Rom. IX, 24. σκεύη ἐλέους - - οὓς καὶ ἐκάλεσε cet. Interim non praeter necessitatem fingendae ἀκυρολογίαι, vbi sana sunt & integra omnia, vt vir doctus *loc. cit.* facit, qui *p. 260. libros noui Testamenti, & praesertim Pauli scripta, scatere ἀκυρολογίαις*, nimis audacter pronuntiat. *Omnis enim ἀκυρολογία* (vere talis) *in verbo DEI interpretando subiacet vitio; quum nulla non dictio scriptorum sacrorum sua se commendet emphasi*, vt prudenter sentit CAMP. VITRINGA, *comm. in Esa tom. II. p. 41. a.* Addatur HERM. WITSIVS, *miscell. sacr. tom. II. p. 947.*

§. XIV.

Non minori cura omnis abusus scientiae *criticae* in sacris hermeneuticis vitandus est, ne ad labefactandam diuini codicis auctoritatem ea arte vtamur, quae ad illam adserendam stabiliendamque adhibenda erat.*

* Multae ac graues exstant virorum doctissimorum de artis criticae abusu querimoniae, quarum nonnullas exhibebimus. IO. CONR. DANNHAVERVS, *hermen. sacr. p. 122. Vti necessitas crisin docuit, ita πολυπραγμοσύνη & περιεργία eamdem reddidit exosam,*

exosam, vt criticae nomen in contumeliam abierit; cui si nimium indulgeatur, fieri possit, vt nihil amplius genuini auctoris sit proprium. ERID. ADOLPHVS LAMPE, in praef. exercitationum sacr. in Psal. XLV. p. 19. Pii animi abominantur effrenem criticorum licentiam, qui idem sibi in codicem sacrum, quod in Plauti vel Aristophanis comoedias licere putant, quorumque artem criticam vir quidam πολυμαθέστατος & vere θεόφιλος ARTEM NIL CREDENDI recte nominare solet. HERM. WITSIVS, in oratione de felici an infelici rei publicae litterariae hoc seculo statu, quae exstat miscell. sacr. tom. II. p. 947. Audax hominum genus criticorum natio est, nihil sibi non in omnes & omnia permissum esse, temeraria praesumtione fingens. Nihil vel profanum, vel sacrum est, quod violentas ipsorum manus euadat. Postquam superbientis animi libidinem in secularibus scriptis male multandis (ipsi corrigere vocant) expleuerunt; parti confidentia in sanctissimorum oraculorum arcana volumina inuolant: quorum orationem addendo, demendo, transponendo fingunt ac refingunt pro lubitu. Idque sine vlla aliorum codicum auctoritate, contra antiquissimarum versionum fidem, contra vetustissimorum interpretum consensum, sola nixi hariolandi audacia: ea tamen artis suae fiducia, vt non minora in Mosen & Dauidem, in Petrum & Paulum ausi sint, quam in Polybium & Liuium, in Aristophanem & Plautum. -- Immo integras odas, integros libros haec pestis adoritur, eosque critico veru crudeliter transfixos, expungit. Ven. PAVLVS ANTONIVS, in stricturis historico-theologicis in varia naturalismi & rationalismi capita, part. I. §. VII. p. 14. Sed nec critici interdum liberi sunt ab abusu rationis & obseruationum criticarum. Dum enim mente, nouarum opinionum cupida, scripturam inuolant, auctoritatem eius, immo diuinitatem eleuant, sensum torquent, & pro lubitu

bitu secundum vnam vel alteram regulam criticam nonnulla expungunt mutantque; mihi certe rationalissimi & naturalissimi semina fouere ac spargere videntur, & recedunt omnino a vero & salutari vsu scripturae sacrae. Ven. IO. LAVR. MOSHEIM, in orat *de eo, quod nimium est in studiis linguarum & critices*, quae subiuncta est, *libro* eius *primo obseruationum sacrarum p. 458 Horatium, aut Anacreontem in ordinem cogere velle, etsi temeritatis nota non caret, ab impietate tamen remotum est. Idem vero imperium in sanctissimos homines, Paulum & Petrum, exercere, hos ad normam nescio quam exigere velle, animi est, ne quid grauius dicam, diuina ab humanis non satis discernentis.* Addatur IOACH. BORGESII oratio *de pseudocriticorum ineptiis.* PETR. POIRET, *de abusu critices in negotio religionis*; nec non ven. VAL. BRN. LOESCHERVS, *de causis linguae ebr. lib. III. c. I. p. 443. 445.* & IO. HENR. MAIVS, in *introduct. ad studium philol. & crit. c. XI.* vbi profanos MARCI MEIBOMII in reformando sacro codice ausus perstringit, qui cum LVD. CAPPELLO, RICHARDO SIMONE, ISAACO VOSSIO, IO. CLERICO, GVIL. WHISTONO, RICH. BENTLEIO inter audaciores criticos haud immerito refertur. † Sed ad specialiora descendamus. Versatur nimirum artis criticae *abusus*

I. *Circa diiudicandos librorum sacrorum auctores,*

α) *Quum veris auctoribus scripti ab ipsis libri eripiuntur.* Quo pertinent ISAACI PEIRERII, THOMAE HOBBESII, & BENEDICTI SPINOZAE, aliorumque conatus, qui *pentateuchum* Mosi abiudicare studuerunt, quos refutat ven. SAL. DEYLINGIVS, *obseru. sacr. lib. I. obs. II.* Nec non systema RICHAR-

† Conf. IO. HERM. AB ELSVVICH de *recentiorum in nouum foedus critica*, diss. Witebergae, 1711.

RICHARDI SIMONIS, qui librorum sacrorum exarationem nescio quibus *scribis publicis* tribuit, qui a Mose constituti ac potestate instructi fuerint, temporum suorum acta non tantum colligendi, sed iisdem quandoque actis, a praedecessoribus suis collectis, addendo, detrahendo & immutando, nouam quasi formam inducendi: quod HERM. WITSIVS, *tom. I. miscell. sacr. p.* 116. ad *somnium ex eburnea porta* referendum esse pronuntiat. Tales enim scribas sine vlla idonea ratione fingi, erudite ostendit IO. HENR. HEIDEGGERVS, *exerc. bibl. tom. I. diss. VIII. p.* 219. 236. *seqq.* & EZECH. SPANHEMIVS, *in epist. ad amicum*, subiuncta latinae versioni *historiae criticae V. T. Simonis p.* 26. *seqq.* †

β) *Quum sacris auctoribus scripta supposititia & ab illis numquam profecta obtruduntur.* Quo pertinent pontificiorum pro libris apocryphis V. T. decertationes. Videatur PETRI DAN. HVETII *demonstratio euang. propos. IV. p.* 360. *seqq.* nec non viri docti conatus, qui in *obseruat. Hallens. tom. V. obs. XIII.* procul dubio ingenii ostendendi caussa, librum *sapientiae* Salomoni vindicare voluit; quos confutatos vide in ven. IO. FRANC. BVDDEI *hist. eccl. vet. test. tom.* II. *p.* 647. *seq.*

II. *Circa orationis sinceritatem, illegitimis mediis adserendam.* Multos glossemata fingere, vbi non sunt, eaque expunctum ire, iam supra §. XII. obseruauimus †† Quibus addimus RICH. SIMONEM, qui integrum comma 1. *Ioan. V*, 7. margini primum adiectum, ac deinceps textui a scribis in-

† Ad pyrrhonismum huius viri hypotheses ducere ostendit cel. FRICKIVS de *cura ecclesiae veteris circa canonem scripturae p.* 1. *seqq.*

†† Addatur ZACH. PIERCE, Anglus doctissimus, qui in duabus *epistolis criticis*, Londini editis, nonnulla N. T. loca a glossematum maculis perpurgare nititur, confutatus a doct. IO. HENR. MAIO, filio, in *vindiciis stili apostolici.*

truſum putat; quam adſertionem, omni fundamento carentem, refutat IO. HENR. MAIVS, in *examine hiſtoriae criticae p.* 225. *ſeqq* & fuſius FRID. ERN. KETTNERVS in *hiſtoria dicti* 1 *Ioan. V*, 7. Alii, ſi quid forte in codice ſacro offendant, cuius vim difficulter capiunt; aut quod venuſtati ſcriptorum, cum quibus conſueuere, non ſatis reſpondere cenſent; aut ſi vocabulum quoddam non quotidianum reperiant: ingenium ſine mora in ſubſidium vocant, ac, quod diſplicet, ſiue torquent miſere, ſiue prorſus eiiciunt. Hic, ſi ſe rite ſtatim expedire non poſſit, nil niſi interpretamenta ſomniat, librarios malae fidei poſtulat, & ad exilium, quae concoquere neſcit, condemnat. Ille in antiquitatem denotat, corruptelam codicum deplorat, vocibusque, aut litteris, ſibi ſuſpectis, excluſis, alias, quas melius conuenire credit, adoptat. Alius ſubinde clamat, *in mendo cubat locus, obelo indiget, manifeſto vitio laborat.* Ego *ſic lego, deleo, corrigo*, & cetera *ineptiſſimae ambitionis verba*, vt recte ea vocat IO. BARCLAIVS *in ſatyrico p.* 119. Ita ſaepe, vt vulnera ſanari poſſint, prius inflguntur. Sic quum Marc. IV, 1. legitur, ἆρε αὐτὸν ἐμβάντα εἰς τὸ πλοῖον, καθῆσθαι ἐν τῇ θαλάσσῃ, valde haec offendunt criticum acutiſſimum, TANAQV. FABRVM, *epiſt. crit. lib. II. ep. XVII. Neque enim in mari*, inquit, *ſed, quod neceſſe eſt, in naui ſedebat.* Quid igitur faciendum? aut expungendae ſunt voces ἐν τῇ θαλάσσῃ, aut emendandae, legendumque ἐν τῇ πρύμνῃ. Similiter quum Iudaei Ioan. VIII, 22. quaerunt: μήτι ἀποκτενεῖ ἑαυτὸν; idem vir doctus locum in mendo cubare clamat, ita ſcilicet reſtituendum, μήτι ἀποξενεῖ ἑαυτὸν; *numquid in exteras terras proficiſci parat?* Similiter in loco Iac. V, 6. ἐφονεύσατε τὸν δίκαιον, οὐκ ἀντιτάσσεται ὑμῖν, vbi nemo ſalebras deprehendit; tamen criticus doctiſſimi RICH. BENTLEII ſtilus aliquid emendandum inuenit. Coniicit ni-

nimirum, quo loco hodie ὄυκ legitur, κύριος olim scriptum fuisse, breuiter quidem, antiquo more, sic expressum ΟΚΣ, quod librarii, insciti simi homines, supina quadam negligentia, in ΟΤΚ transformarint. † Plura dabit ven. IO. LAVR. MOSHEIM, in diss. *de eo quod iustum est circa litterarum sacrarum ex priscis auctoribus interpretationem & emendationem* §. XX. XXI. XXII. IO. CLERICVS, *artis crit. tom. II. p.* 264. *seqq.* & IO. GVIL. BAIERVS *de var lectionum vsu & abusu p.* 36. *seqq.* Vt nihil dicamus de MARCI MEIBOMII emendationibus audacissimis, qui se, non solis coniecturis nixum, tentasse emendationem corruptae in 2200 locis scripturae iactitat, sed in primis *metrice ebraea*, sibi diuinitus adaperta, & *pro parata pecunia* aliis a se reuelanda, adiutum. Hac igitur fiducia inflatus, quadrata rotundis miscet. Locus Esa. II, 22. ita ex ipsius ingenio restituendus est: *Quiescite ergo a* DOMINO (pro האדם lege האדון) *cuius spiritus in naribus eius est: quia* INTER DOMINATORES TERRAE *reputatus est ipse.* Nimirum במה sunt ipsi notae tantum initiales vocum במושלי הארץ Similiter Psal. IV, 2. tollit phrasin אלהי צדקי *Deus iustitiae meae*, quam *friuolam* adpellat, *cui simile exemplum nullum in sacra scriptura reperiatur*; vt alia monstra criticarum emendationum, quibus nihil proteruius fingi potest, taceamus, quae proponit in scripto, Amstelodami MDCXCIIX. impresso, cui tit. *Dauidis psalmi XII. & totidem sacrae scripturae V. T. integra capita, quae noui speciminis loco biblicarum suarum emendationum & interpretationum prisco ebraeo metro restituit, & cum tribus interpretationibus adparere voluit* MARCVS MEIBOMIVS. Merito tamen temerarios illos conatus castigauit reu. BRANDANVS HENRICVS

† Huc etiam pertinet, quod nuper Cl. SAM. BATTIERIVS Ioh. VII, 23. loco ὅλον legendum putabat χωλὸν ἄνθρωπον, in *bibl. Brem. class. VIII. p.* 745.

RICVS GERHARDVS, in diss. *de metro M. Meibomii*; nec non IO. IOACH. ZENTGRAFIVS, in *vindiciis incorrupti codicis ebraei contra Meibomium*. Add. reu. IO. CHRIST. WOLFII *biblioth. ebr. part.* II. *p.* 36.

III. *Circa interpunctiones temere lacessitas & mutatas.* Prudenter venerandus Francofurtensium antistes, IO. GEORGIVS PRITIVS, in *introd. ad lectionem N. T. c.* XXVII. §. VI. *Si vel maxime*, inquit, *postea additas fuisse interpunctiones statuamus, qua in opinione non inficior esse viros doctissimos; tamen eas a cuiuscumque inepti librarii libidine fuisse introductas, & hodie posse sine vrgente necessitate, & pro cuiusque saltem arbitrio deseri, aut mutari, id adfirmanti nolim concedere* HVGONI GROTIO; *quin potius a doctissimis illius ecclesiae doctoribus arbitror ex legitimis mediis fuisse constitutas, a quibus non sine temeritate, & absque praegnantissimis rationibus fuerit recedendum.* Vti vero reiiciendae sunt omnes illae arbitrariae interstinctionum mutationes, quae sensum gignunt, analogiae fidei ac scripturae contrarium; ita suspectae saltem sunt illae, ex quibus sensus multo difficilior & coactior emergit; quo fortassis nonnulli referent viri venerandi, IO. LAVR. MOSHEMII crisin in verba Luc. II, 14. quae in *obseruat. sacr. lib.* I. *p.* 133. ita interpungenda iudicat: Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ καὶ ἐπὶ γῆς. εἰρήνη ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Vt priori membro *ipsae Dei laudes* contineantur; altero, *laudum persoluendarum caussa* exhibeatur: quia *pax inter homines* sit Dei *voluntas*, seu *quia summo numini placeat, vt & Iudaei gentesque per Christum in vnum corpus coalescant, & vtrique per eumdem sibi reconcilientur.* Nec non quando verba Christi ad latronem Luc. XXIII, 43. ita a nonnullis distinguuntur: λέγω σοι σήμερον· μετ' ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ, quam insulsam commatis mutationem ad falsam hypothesin quodammodo firmandam, excogitatam esse, nemo non videt. Solennis vero est *Socinianis* istae distinctiones vellicandi

candi pruritus, vbi alia via elabi non possunt. Quid quaeso ineptius fingi potest, MATTHIAE CLIRII noua interstinctione, quam verbis 1 Ioan II, 22. intrusit: *Quis est mendax, nisi qui negat? Quoniam Iesus non est Christus.* Quidlibet hoc modo ex quolibet formari posse, apertum est; vnde hanc crisin Glrianam ipse SOCINVS† improbauit; quamuis, qui ab eius partibus stant, locum Paulinum Rom. IX, 5. non clementius tractent, dum postrema verba ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ab antecedentibus, puncto interposito, auellunt, vt per abruptam quandam *apostrophen ad patrem* referantur, hoc modo: *Deus pater, qui super omnia est, benedictus sit in secula!* †† cui sententiae etiam GVIL. WHISTONVM accedere, monet reu. IO. IAC. QVANDT, in doctissima diss. *de doxologiis Paulinis §. XI. p. 21.* Adde THEOPH. ALETHAEI *Erleuterung der dunckelsten Oerter des Alten und Neuen Testaments, part. IV p. 222. seqq.* ††† Denique etiam huc pertinent, qui *accentus* codicis ebraei sollicitant, & pro arbitrio mutant, vt sensum expeditiorem, suisque hypothesibus fauentiorem exsculpant; quod Sociniani Ier XXIII, 6. & IO. CLERICVS passim in suis commentariis, plerumque tamen infeliciter, facit.

IV. *Circa variantes lectiones*, quibus abutuntur

α) *Qui eas in immensum augent, atque cumulant*, inter quos IO. MILLIVM fere principem esse, iam ante obseruauimus, §. XII. Cui autem bono tanta farrago vndique corraditur? relatis etiam in variarum lectionum indicem adlegationibus dictorum discrepantibus, quae in patrum scriptis occurrunt: *qui venerandi scriptores de verborum apicibus non multum*

† In *elenchis sophisticis*; qui exstant in *bibliotheca fratrum Polon. tom. I p. 619.*

†† Vide *Berl. Heliopfer, sect. XXV. p. 330.*

††† Adde clar. CHRISTOPH. VVOLLII *quadrigam dictorum N. T. ab interpunctionibus nouis vindicatorum*; & CL. VVIGANDI KAHLERI *saturam duplicem, de veris ac fictis textus sacri traiectionibus.*

tum solliciti, ex memoria, quae ad institutum factura videbantur, passim adlegabant: vnde factum, vt de prisca lectione ex illorum scriptis nihil fere certi potuerit hauriri; vt *auctor praefationis ad editionem N. T. Oxonienſem* recte monet. Addatur DANIEL WHITBY, in *examine var. lectionum, lib. I. c. I. sect. I-V.* Quod si vero ipsa etiam *sphalmata* & errata, ex codicibus manu scriptis & impressis, anxie colligantur, & in variantium lectionum numerum referantur, quis tandem erit collectionum finis? *Id fidei & auctoritati testamenti, vt quidam volunt & produnt, non posse obesse, pauci, saltem non iure consulti, sibi persuaderi patientur,* iudice doctissimo auctore *proleg. N. T. Wetstenii, p. 48.*

β) *Qui varias lectiones, ex priuato arbitrio & coniecturis profectas, textui ingerunt.* Sic STEPHANVS CVRCELLAEVS, in *praef. N. T.* ipse fatetur: *Intermiscui nonnullas Henrici Stephani aliorumque emendationes* EX CONIECTVRA. Addit: *Quamuis enim eiusmodi correctiones auctoritate cedant iis, quae veterum codicum testimonio fulciuntur, quaedam tamen tanta se probabilitate commendant, vt absque veritatis iniuria sperni non posse videantur.* † Idem Hispanum quendam fecisse, obseruat IO. CLERICVS *art. crit. tom. II. p. 292.*

γ) *Qui nouis versionibus, in lingua vernacula adornatis, variantes lectiones adiecerunt,* quae obseruationes criticae plus impedimenti, quam emolumenti, indoctis versionum lectoribus adferunt. Ita IEREMIAS FELBINGERVS ex *Curcellaei* collectione variantes lectiones in germanicam etiam linguam transfudit: quo id consilio factum sit, homo callidus ad Rom. IX, 5. 1 Ioan. V, 7. & alibi passim satis prodidit.

δ) *Qui*

† Extat IO. GOTTLOB MÖLLERI diss. Rostochii habita 1695. de STEPH. CVRCELLAEO *in editione originalis N. T. textus Socinizante.*

δ) *Qui variantium lectionum copia ad scripturae sacrae integritatem ac certitudinem infringendam male vtuntur;* quod IO. MORINVS & IAC. GORDONVS HVNTLABVS omni studio agere studuerunt, quibus se haud inuitus adiunxit ANTONIVS COLIN, in *discours sur la liberté de penser p. 129.* aliis id saltem clanculum tentantibus, vt auctor *der theologischen sendschreiben part. IV. p. 200.* conf. *prolegomena N. T. Wetsteniani p. 77.* Sed vani sunt isti conatus: quum ipsae illae variae lectiones ad stabiliendam & vindicandam sacri codicis integritatem vtilissime adhiberi possint; siquidem inter illas, cum iudicio selectas, nulla fere occurrit, quae veram ac magni momenti sensus mutationem inferat, vt inductione exemplorum doceri potest. Videatur rursus ven. IO. GVIL. BAIERI diss. *de lectionum variantium in N. T. vsu & abusu*, maxime c. *II. §. VII. p. 38.* & addatur cel. GODOFREDI OLEARII tract. germ. doctissimus elaboratissimusque: *Iesus der wahre Messias p. 514. seqq.*

LIBRI TERTII CAPVT SECVNDVM DE ADMINICVLIS RHETORICIS.

Σύνοψις.

Rhetorica adminicula in exegesi non spernenda esse docetur, §. I. quorum

I. VSVS ostenditur
1. in *dignoscendo charactere dicendi* §. II.
2. in *discernenda oratione propria ac figurata* §. III.
3. in *tropis* indagandis & euoluendis §. IV.
4. in *figuris* orationis diiudicandis §. V.

II. CAVTELAE, in adplicatione praeceptorum rhetoricorum ad scripturam sacram obseruandae §. VI.

§. I.

§. I.

Rhetoricis etiam adminiculis suum esse in re hermeneutica vsum, nemo negauerit, qui rem sobrie & citra praeiudicatas opiniones expendit. *

* Sunt equidem, qui sacra profanis temere misceri aiunt, quum praecepta rhetorica ad sacras litteras adplicentur, quum ἄτοπον sit statuere, scriptores diuinos ad artis normam suum sermonem composuisse. Enim vero, quamuis posterius libenter concedamus; prius tamen illud, si sobrie fiat, non culpandum esse arbitramur. Quum enim DEVS, & mentis, & vocis, & linguae artifex, per viros sanctos ac sapientes loquutus sit; sapientiae comitem voluit esse eiusmodi eloquentiam, quae & profanam augusta quadam maiestate infinitis modis antecelleret, & ab ea tamen iure taxari ac reprehendi non possit. Eleganter ea de re THEODORICVS SCHNEPFIVS, theologus olim Tubingensis, in *proleg. commentarii in Esaiam: Quis negauerit*, inquit, *in sacrosanctis illis scripti ea exstare, quae in omni oratione diserta cernuntur, quamuis prophetae nec rhetorum, nec dialecticorum praecepta tenerent; quum interim domini spiritum secum haberent, cuius beneficio & facundi homines & eloquentes sunt, cuius etiam instinctu artes illae sunt inuentae. An vero in oratione Ciceroniana ordinem & seriem argumentorum obseruare licet, in Esaia autem & Paulo non licet? Adeone enervatam & abiectam tantorum virorum orationem iudicas, vt in ea nihil sit, quod laudem copiosae disertae & ad docendum & mouendum compositae dictionis mereatur?* cetera. Addatur AVGVSTINVS, qui quum, Manichaeorum partibus adhuc addictus, satis tenuiter de stilo scripturarum sacrarum sensisset, *eumque cum Tulliana dignitate nequaquam comparandam* iudicasset (vt ipse fatetur *confessionum lib. III.*

III. c. V.) deinde longe rectius de sacrarum litterarum eloquentia iudicium tulit, in *de doctrina christiana, lib.* IV. c. VI. *seqq.* Conferatur etiam LVDOVICI CHRISTOPH. BLOSII diss. de *rhetorica ebraeae linguae compositione*, hoc est, *de eius iunctura, ordine, periodo & numero.*

§. II.

Vsus autem ille primo quidem versatur *in dignoscendo charactere dicendi*, quo sacri auctores vsi sunt, qui pro diuersitate argumenti, adfectus, ingenii, a natura accepti, cui se diuinus spiritus, per homines ad homines locutus, sapienter adtemperauit,* diuersissimus esse obseruatur. **

* Vide quae supra notauimus *lib.* I *c.* II. §. XIV. *p.* 52. & *lib.* II. *c.* III § IV. *p.* 127.

** Equidem cel. IO. CLERICVS lectoribus suis persuadere conatur, *simile narrationis filum parilemque orationis colorem & speciem* in libris sacris, maxime historicis, vbique occurrere. Sed quis haec viro docto adfirmanti crediderit? Quum enim 1) *scribentes* non semper eodem modo fuerint affecti, nec 2) *res* semper sint eaedem, sed quaedam sublimes ac reconditae, quaedam mediocres & vulgares; nec tenor orationis sibi est per omnia similis. Aliam orationis speciem oratores sacri adhibent, aliam historici, aliam metrici scriptores. Et inter hos ipsos alius grandior & copiosior, alius simplicior & nitidior, alius lautior & lenior, alius acrior & seuerior; vt quemadmodum sua cuique facies, ita suus cuique stilus exinde cognoscatur. Sic in vno *Mose* grande, modicum, & humile dicendi genus conspicitur. Res enim ad historiam pertinentes non nimie, nec tamen exiliter ac ieiune pertractat. Sublimes contra & ad cultum diuinum spe-

spectantes, vt preces & hymnos, tam copiose enuntiat, vt rem eamdem non raro, verbis mutatis, non sine emphasi repetat. Leges denique diuinitus acceptas concisa, graui & sententiosa oratione, quae summum legislatorem decet, persequitur. Liber *Iosuae*, si pauca excipias, simplici apertoque dicendi genere, verbis propriis ac minime fucatis, conscriptus est. *Iudicum* volumen res gestas ac personas operosius & diffuse describit, causas permultas subnectit, aliasque circumstantias copiose percenset. In libro *Ruth* dictionem puram conspicias, quae cum lenitate quadam aequabili coniuncta, & ab omni nimio dictionis adparatu aliena est. De reliquis nihil addimus, praeter illud, scriptores historicos, qui post captiuitatem babylonicam vixerunt, a reliquis singulari prorsus charactere esse distinctos. In stilo *prophetarum* maxima varietas non sine voluptate obseruatur. *Esaias*, vt erat vir doctus & illustris, ita grandi oratione omnia enuntiat, vnde & a veteribus μεγαλοφωνότατος salutatur, & Paulo ἀποτολμᾷν Rom. X, 20. & κράζειν dicitur c. IX, 27. Res insuper mirifice ante oculos ponit, rebusque mortuis non raro vitam, ac sensum inanimatis tribuit. Praeterea verbis significantissimis vtitur, ac sententiarum figurarumque luminibus lectorum oculos quasi perstringit. *Ieremiae* contra dictio non aeque comta & ornata est, quamquam a rusticitate, quam ipsi HIERONYMVS in *prologo Ieremiae tom. I. p.* 551. impingit, aliena. In *Ezechiele* sermo ex humili & grandi genere est temperatus, & in principio ac fine voluminis haud mediocriter obscurus. In *libris metricis* stilus grandis, concisus ac sententiosus legitur; vt de reliquis, breuitatis studio, nihil dicamus. Vberius haec persequitur PAVLVS BERGERVS, de *litteraturae ebraeae copia & vbertate, contra Ioan. Clericum* §. *VIII. seqq.* nec non cl. IO. GOTTLOB CARPZOVIVS, in *introductione ad libros canonicos V. T.* vbi etiam de cuiuslibet

bet libri stilo & orationis habitu differit. Addatur SAL. GLASSII *philol. sacra, lib. I. p.* 311. 337. 341. & ven. IOACH LANGII comm. *de vita & epistolis Pauli p.* 303. 344. nec non AD. RECHENBERGII *exercitationum vol. II. exerc. I. de stilo Pauli epistolico.*

§. III.

Alter vsus rhetorices est *in discernenda oratione propria ac figurata*, ne proprie accipiantur, quae improprie intelligenda erant; * aut vicissim, quae proprie accipienda sunt, in tropos ac metaphoras conuertantur. **

* Grauissimis erroribus hoc modo ianuam aperiri, multis exemplis comprobat SAL. GLASSIVS, in *praef. rhetorices sacrae p.* 26. 27. inter quae vix vllum illustrius, exemplo *Oniae*, qui, abusus verbis Esaiae XIX, 19. *Isto tempore erit altare Domino in medio terrae Aegypti*, ex concessione regis Ptolomaei Philometoris, templum in Aegypto aedificauit, ad exemplum templi Hierosolymitani; prouocans in litteris, ad regem datis, ad vaticinium Esaiae, qui haec ante sexcentos annos praedixerit. Vid. FLAVII IOSEPHI *antiquit. lib.* XIII. *c.* VI. & *de bello, lib.* VII. *c.* XXX. (graec. λξ.) qui & ipsum illustr. HVETIVM in suas partes pertraxit, qui in *demonstr. euang. prop.* VI. *p.* 482. istud vaticinium in structura templi Oniae vere adimpletum fuisse putat: quum sensus tantum prophetiae sit, multos Aegyptios se ad Deum esse conuersuros, eumque ex ritu verae religionis culturos; vt pluribus ostendit cl. CAMP. VITRINGA, *comm. in Esaiam, tom. I. p.* 767. & 779. Adde exemplum Nicodemi Ioan. III, 4. & discipulorum Luc XXII, 36. 38. Ioan. XI, 12. 13.

* Recte monet AVGVSTINVS, de *doctrina christiana lib.* III. *c.* X. *Si animum occupauit alicuius erroris opinio, quidquid aliter adseruerit scriptura, figuratum homines arbitrantur.* Ita qui baptismo inuiden

vim regenerandi, illico parati sunt Ioan. III, 5. vocabulum ὕδατος ex propria & natiua significatione in metaphoricam transfundere † Conf. quae supra diximus *lib. I. c. III. §. VI p.* 60. & adde, quae de tropica locutione dignoscenda commentatus est MATTH. FLACIVS, in *clau. script. part. II. p.* 286. CHRISTIANVS CHEMNITIVS, in duabus integris dissertationibus, quibus inquiritur: *Quodnam sit sufficiens fundamentum, recedendi a littera, & admittendi tropum?* & SAL. GLASSIVS, in *philol. sacr. lib. II. part. I. p.* 400. *seqq.*

§. IV.

Tertius vsus est *in tropis indagandis, euoluendis*, & ad sermonem proprium reducendis.* Scripturas enim sacras illustrissimis tropis velut gemmis ac luminibus hinc inde distinctas esse, nemo, nisi qui illas numquam inspexit, negare audebit.

* *Tropus* (τρέπω *verto, muto*) est *elocutio, qua vox a natiua significatione in aliam conuertitur & immutatur.* In METAPHORA explicanda, secundum IO. CONR. DANNHAVERVM *herm. sacr. p.* 268. opus est 1) *indagine* omnium illorum nidorum & cubilium, vbi similitudinis correlatum quasi domi est. Nihil autem est in rerum vniuersitate, e quo tropus nasci non possit. Ridet sacer codex, vt hortus, floribus innumeris, e natura, e ciuitate, e domo, e ritibus, e moribus veterum vndiquaque depromtis. Deinde opus est 2) *euolutione*, instituenda ex ea disciplina, vnde translatio deducta est. Ita ex agonistica veterum explicandum τὸ βραβεύειν Col. III, 15. e sacrificiali ritu τὸ τετραχηλισμένον Ebr. IV, 13. e re matallica τὸ ἐρευνᾶν Ioan.

† Sic Sadducaeos ea, quae in lege & prophetis de resurrectione leguntur, habuisse pro *formis loquendi parabolicis*, quibus redemtio ex captiuitate denotetur, ABARBANEL obseruauit in *expos. radicis tertiae, de resurr. mort.* Conf. 2 Tim. II, 18.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0452
DFG

Ioan. V, 39. cet. Res est felicis ac ingeniosae ἀγχινοίας, euoluere tropum, & suo significato ad amussim aptare. Denique 3) *moderamine* opus est, ne vltra sensum scribentis & similitudinis indolem dictionis florem extendas. Ita quum Hierosolyma Ezech. XXXVIII, 12. dicitur *vmbilicus terrae*; minus recte hinc colligitur, eam vere totius orbis terraquei esse centrum. Adde Hos. V, 12.

In reliquis tropis, METONYMIA maxime & SYNECDOCHE, interpretandis, subinde recordandum est aurei canonis: *Talia sunt subiecta, qualia permittuntur esse a suis praedicatis*; & rursus: *Talia sunt praedicata, qualia a suis subiectis requiruntur*. Ita quum 2 Reg. IV, 40. *mors*, quae in destructione machinae corporis, quam animae secessio sequitur, consistit, *in olla* esse non possit, ita explicandum est subiectum, vt suo praedicato conueniat, de *herba* nimirum *noxia*, quae mortem comedentibus adfert. IRONIA *vocalis* ex pronuntiatione; *scripta* ex historia, scopo & adfectu scriptoris diuinanda est. vide 1 Reg. XVIII, 27. Exod. X, 10. 1 Cor. IV, 8. Adhibendum vero in omnibus eiusmodi locis, tropo adfectis, iudicium naturale, ac reliqua etiam adminicula hermeneutica in auxilium aduocanda sunt. Adde AVGVSTINVM, *de doctr. christ. lib. III. c. XXIX.*

§. V.

Denique ea quoque pars rhetorices, quae de *figuris* orationis agit,* earumque nomina, naturam ac indolem tradit, studium hermeneuticum quodammodo iuuare potest.

* *Figura* nimirum est *elocutio, qua orationis habitus a recta & simplici consuetudine mutatur.* Estque I. VERBORVM, quum oratio exornatur verbis, apte & iucunde inter se resonantibus, quod fit 1. *defectu*, per ellipsin & asyndeton. 2. *excessu*, per pleonasmam, poly-

ſyndeton, ſynonymiam, exergaſiam. 3. *repetitione*, per anaphoram, epiphoram, epizeuxin, anadiploſin, climacem, epanalepſin, epanodon, antanaclaſin, plocen, ſymplocen, polyptoton. 4. *ſimilitudine*, per paregmenon, paronomaſiam, homoeoptoton, homeoteleuton. II. SENTENTIARVM, quum tota ſententia aliquo animi motu adficitur; quod facit 1. *ad exornationem probationis*, in occupatione, conceſſione, communicatione; 2. *ad explicationem & amplificationem*, in diſtributione, hypotypoſi, antithetis, paradiaſtole, antimetabole, oxymoro, digreſſione, reuocatione, epiphonemate, cet. 3. *ad exaggerationem*, vel *extenuationem* in praeteritione, incremento, periphraſi; 4. *ad concitationem adfectuum*, in epanorthoſi, interrogatione, apoſtrophe, proſopopoeia, ſermocinatione, exclamatione, apoſiopoeſi; 5. *ad connexionem*, in tranſitione & reiectione. Nullum fere eſſe ex iſtis ſtili ornamentis, cuius non exempla in ſacris etiam paginis exſtent, qui de tropis & figuris ſcripturae commentati ſunt, ſatis ſuperque docuerunt. Quo pertinent MATTH. FLACIVS, *in clau. ſcript. part. II. p. 298. ſeqq.* BARTH. WESTHEMERI *tropi inſigniores ex vtroque teſtamento.* IOACH. CAMERARII *notatio troporum & figurarum in ſcriptura apoſtolica.* IOACH. ZEHNERI *ſimilitudines biblicae*, &, qui inſtar omnium eſt, SAL. GLASSIVS, in incomparabili opere *rhetorices ſacrae.* †

§. VI.

Verum hic etiam omnis exceſſus vitandus eſt, tum ne ſcriptorum ſacrorum ſtilum ad profanae rhetorices normam exigamus;* tum ne in troporum figurarumque ſacrarum explicatione terminos transſiliamus. **

* In

† BENIAM. KEACHI *clauis metaphorarum ſacrae ſcripturae* lingua anglicana prodiit. Plures, qui de tropis & figuris biblicis ſcripſerunt, exhibet IAC. LE LONG in *bibl. ſacr. tom. II. p. 1054.* ed. Pariſ. 1723. fol.

* In arte rhetorica haud pauca traduntur, quae ostentationi, quam vsui, sunt adcommodatiora; *quoniam*, vt ille ait in Bruto, *concessum est rhetoribus, mentiri in historiis, vt aliquid dicere possint argutius.* Sacri autem scriptores praeterquam id, quod vtile est, ne verbulum quidem adiecerunt. Multus in profanis oratoribus fucus; hic nullus obseruatur. Elegantissime de hoc discrimine differit PHILIPPVS MORNAEVS, in egregio opere de *veritate religionis christianae c. XXVI.* p. m. 494. *In biblicis habemus historias. In historia quid maxime laudamus? veritatem. Est enim historiae essentia, veritas. Veritatem vero quid magis indicat quam simplicitas? Stilum porro, qui praeterita reuocet & quasi rediuiua ob oculos reponat. Huiusce rei quodnam argumentum maius, quam si eosdem nos adfectus legendo, quos illi, de quibus agitur, agendo, sentiamus? Accedant iam seu durissima corda, seu fastidiosissima palata ad illas nostras veteris testamenti historias: vt Isaac sacrificandus ducitur, vt Ioseph a fratribus agnoscitur, vt Iephta filiae occursu turbatur, vt Dauid exitio Absolomi cruciatur; tum certe, si fateri lubet, eam toto corpore formidationem, eam cordis commotionem, eos animi motus vno momento persentient, quae non oratorum Atheniensium Romanorumue actio, motus, gestus, non contentio laterum, non verborum vlla vis, si eamdem historiam tractent, vel diebus integris aut elicere, aut inducere possint. Quod si vero easdem narrationes apud* IOSEPHVM *legas, cui ob historiae elegantiam Titus imperator statuam instituit, postquam omnia rhetorices ornamenta adhibuit, gelidiorem te, quam susceperit, dimittet. Nimirum non vult vera pulchritudo fucari, & quo magis nuda est, eo vehementius trahit; & quod aurifices dicere solent, quo gemma elegantior est, eo & auro & opere indiget minus: vt qui nostras scripturas sublimibus & grandibus verbis imponere velit, perinde faciat, ac si hominem, apta partium compositione decorum,*

grallis incedentem inducat, quae proceritati nihil addunt, naturali proportioni demunt plurimum. In scripturis habemus etiam prophetias, & in his minas, conciones, vehementes motus. In eo vero argumento oratores tonant, & cothurnum induunt; quo in genere latini Ciceronem mirantur. Testor hic quicumque eadem mente, eodem animi statu, vtrumque legerunt, quid ad Esaiam Cicero? Et quid Ciceronis blandae illae insinuationes, & pueriles ignorantiae excusationes, ad viua & grauia, venerandaque ipsa maiestate, Esaiae exordia? Quid denique longae illae, quamquam numerosae, illius periodi, quibus sibi ipse blanditur, ad illa huius commata, tum concisa, tum plane incisoria, quibus tamquam conduplicatis fulminibus contumaciſſimos quosque stupefacit ac terret?

** Cauendum nimirum est circa troporum

I. *Indagationem*, ne tropos pro arbitrio fingamus, statimque habeamus pro metaphoris, aut *hyperbolis*, quae aut captum nostrum forte excedunt, aut proprie accepta parum nobis placent. Bene LVTHERVS *tom. 3. Ien. lat. f. 195. Sic sentiamus*, inquit, *neque tropum in vllo scripturae loco admittendum esse, nisi id cogat circumstantia verborum euidens, & absurditas rei, manifeste in aliquem fidei articulum peccans; sed vbique inhaerendum est simplici puraeque & naturali verborum significationi, quam grammatica & vsus loquendi habet.* Interim sunt, qui illico ad metaphoram ac hyperbolem †, velut ad sacram ancoram, sese recipiunt, vbi ipsorum oculi veritatis fulgore praestringuntur. Ita ROB. BELLARMINVS Gen. VI, 5. c. VIII, 21. vbi *omne figmentum cordis humani tantum malum esse a pueritia* dicitur, *hyperbolen* statuit, *tom. IV. controu. p. 315. 669.* refutatus ab ANDR. RIVETO *exercit. LI. in Genesin p. 262.* Enimuero *hyperbolas* in scriptu-

† Exempla plura congesta lege in THEOD. HACKSPANII *miscell. sacr. lib. II. c. IV.*

scriptura sacra dari IO. CONR. DANNHAVERVS, in *herm. sacr. p.* 272. quodammodo concedit, easque *non voce, sed sensu aestimandas, nec prius falsiloquii damnandas* dicit, *quam ad sensum logicum reducantur.* Ita quum ingens multitudo posterorum Abrahami Gen. XXII, 17. cum *stellis caeli* & *arena maris* comparatur, non exacta aequalitas designatur, sed aliqua similitudo, ratione innumerabilitatis. Similiter quum apostolus Ioan. XXI, 25. ait, *mundum non capturum esse, qui scriberentur, libros,* si omnia Christi signa sigillatim litteris mandarentur; non profecto nimium dicit. Si enim signorum dominicorum non numerum modo, sed auctorem etiam, vim, pondus, momentum, maiestatem, scopum, omnemque adeo profunditatem spectes; iis digne celebrandis, ac celebrando exhauriendis, ne quidem aeternitas sufficerit. Quamuis id alii de capacitate ingenii humani, tot voluminibus legendis & expendendis haud sufficturi, interpretentur.†

Simili circumspectione cauendum est, ne *ironias,* (maxime DEO tribuendas) *hypallagas, synchyses* cet. fingamus. Porro autem circa troporum figurarumque

II. *Explicationem cauendum est,*

1. *Ne genuinum illorum fontem, concitatissimum scilicet, quo viri sancti commoti fuerunt, adfectum praetereamus,* ex quo quidquid in sacris paginis figurarum ac schematum est, sua sponte profluxit. Videantur, quae *supra* diximus *lib.* II. *c.* VIII. §. XIV. *p.* 350.

2. *Ne metaphoras ac tropos scripturae statim adcusemus audaciae, si ita nobis videantur.* Adscribimus egregiam apologiam, quam pro illis adornauit STEPHAN. GAVSSENVS, in *diss. theol p.* 398. ed. Hall. p. 385. *Quod si tibi V. & N. T. figurae & tropi, qui ab vsu nostro alieni sunt, duri nimium & audaces ali-*

† Adde ven. VAL. ERN. LOESCHERI *dissertationes sacri & litterarii argumenti, tom. I. p.* 1. vbi ostenditur, *hyperbolas in verbis Dei nullas contineri.* Et DAN. GERDESII, theol. prof. in acad. Duisburg. diatriben *de hyperbolis ex scriptura sacra eliminandis.* an. 1737.

quando videantur: primum hoc cogites velim, quaedam esse, & ea sane non pauca, quae, vt nos magistri docuerunt, in genere illo sublimi suum locum bene inueniant; quae si alio transferas, aut seorsim contempleris, enormia & temeraria dici queant. Hoc primum. Deinde suum vnicuique genti peculiarem esse genium. Aliter graeci, aliter latini, aliter ebraei φανταζονται; neque si latini sermonis consuetudo figuram aliquam spernat, eam statim ebraei ratio reiiciat. At illa, quae stili sublimis sunt communia; feliciter audere, praecipitia vitare, fumos & meteora non captare, nullibi melius, quam in scriptura obserues.

3. *Ne tropos vltra scribentis intentionem, a qua limites comparationis pendent, extendamus.* Vide *supra* notata *lib.* II. *cap.* VII. §. XVI. *p.* 294.

LIBRI TERTII.

CAPVT TERTIVM

DE

ADMINICVLIS LOGICIS.

Σύνοψις.

Philosophiae rationalis

I. VSVS in hermeneutica sacra commendatur §. I. qui situs est

1. *in tollenda obscuritate*, quae ex *ideis*, *verbis* ac *propositionibus* oritur, §. II.

2. *in cohaerentia & analysi logica* rite obseruanda & adhibenda §. III.

3. *in conciliandis locis*, quae inter se pugnare videntur §. IV.

II. CAVTELAE in applicatione logices ad scripturam sacram obseruandae, traduntur, §. V.

§. I.

§. I.

Pergimus ad illa adminicula, quae *philoſophia rationalis* ſuppeditat, quorum haud contemnendum eſſe in hermeneutica vſum, nemo, niſi qui rationem omnem eiurauit, diffitebitur. *

* Tota ſcilicet ars interpretandi, generatim ſpectata, ad philoſophiam rationalem pertinet, quippe quae non ſolum docet, quomodo verum, adhibitis intellectus emendati viribus, inuenire; ſed & quomodo illud, ex aliorum ſcriptis eruere, & cum aliis communicare legitimis modis debeamus. Vnde etiam, qui recentiori aetate inſtitutiones logicas ſcripſerunt, regulas interpretandi ſuppeditauere. Videatur CHRIST. THOMASII *praxis logices c.* III. ven. IO. FRANC. BVDDEI *philoſ. inſtrum p.* 180. cel. IOAN. IACOBI SYRBII *inſtit. philoſ. rationalis*, *part* I. *c.* XIV. cet. Quin inter veteres ipſe ARISTOTELES, in *órgano* ſuo, peculiari libro περὶ ἑρμηνείας, ſiue de *interpretatione*, quamuis ſatis imperfecte, egit, vt oſtendit IO. CONR. DANNHAVERVS, in *idea boni interpretis*, *part I. ſect. I. art. I. §.* 2. Adde cel. IO. ALB. FABRICII *biblioth. graec. lib. III. c. VI. p.* 111. vbi eruditorum de illo opere iudicia exhibentur. Iungatur etiam ION. CONRADI SCHRAMMII *collegium de interpretatione*. Immo *iure conſulti* etiam, vbi de legum & pactorum interpretatione agunt, nonnulla tradunt, quae huc pertinent, vt facit HVGO GROTIVS, *de iure belli & pacis*, *lib.* II. *cap.* XVI. SAM. PVFFENDORFIVS, *de iure naturae & gentium lib. V. c. XII.* & ſingulari opere IOANNES A FELDE, *de interpretatione*, quod tamen ob nimiam ſubtilitatem eruditorum adplauſum non impetrauit. Generalia igitur interpretandi praecepta doctrina rationalis ſuppeditat, quae a iuris peritis ad argumenta iuridica, a theologis ad ſcripturam ſacram

rite adplicantur, accedentibus mediis domesticis, quae ab ipsis diuinioribus litteris subministrantur.

§. II.

Ac primo quidem artis logicae est, obscuritatem tollere, quae tum ex *ideis*,* tum ex *verbis*,** tum ex integris *enuntiationibus**** oritur: quarum rerum indolem ac naturam dum philosophia rationalis explicat, dubitari non potest, eam studio hermeneutico manus amicissimas iungere.

* Magnam esse *idearum* varietatem, eamdemque esse inter causas obscuritatis haud postremam, supra *lib. I. c. II. §. XIV. p.* 48. obseruauimus. Dum igitur logica illarum naturam rimatur, & simplices a compositis, absolutas a relatiuis, abstractas a concretis, singulares a particularibus, adaequatas ab inadaequatis, obscuras a claris discernere ac internoscere docet, egregium sane adminiculum suppeditat, ad obscuritatem, quae inde in orationem diffundi poterat, prudenter euitandam. Cauendum vero est diligenter, *ne obscuritatem, vbi in ipsis ideis haeret, in verbis ac sermone quaeramus*, nisi operam & oleum in illustrandis verbis, saepe per se clarissimis, perdere velimus. Solet autem ideis quaedam obscuritas adnasci siue *ex hominum vitio*, qui in cogitando summa imis miscent; siue, vt fit in sacris, *ex rerum sublimitate*: qualis obscuritas nullam arguit ex parte scriptoris imperfectionem, sed tantum imbecillitatem ex parte lectoris prodit; cui tamen logicorum praecepta mederi non possunt.

** *Verba* sunt signa cogitationum nostrarum, quas de rebus habemus. Nimirum *nomina substantiua* sunt signa rerum absolute spectatarum, & modorum, per quos res, vt tales, concipimus. *Adiectiua* sunt signa rerum modificatarum. *Verba actiua* sunt signa modorum, per quos res concipimus, vt agentes. *Verba passi-*

passiua sunt signa modorum, per quos eas concipimus, vt actionem recipientes. Nomina substantiua & adiectiua exprimunt rerum diuersos respectus, per *casus*; & modificationis quantitatem, per *gradus*; & rerum mutuam dependentiam, per vocabulorum *deriuationes* & *compositiones*. Verba diuersum tempus indicant per diuersam mutationem, quam *tempora* verborum praecipiunt; similiter per terminationis mutationem diuersas *personas numerosque* agentium & patientium significant. Nexum denique & similitudinem rerum indicant particulae, quae *aduerbiorum*, *praepositionum* & *coniunctionum* nomine grammaticis veniunt. Passiones animi *interiectiones* produnt. confer LAMY *l'art de parler lib. I. c. VI VII IX.* & ingeniosum auctorem libri: *Grammaire generale & raisonnée.* Illa igitur verba, quibus cogitationes nostras de rebus exprimimus, dicuntur *obscura*, quando in animo legentis vel non eamdem, quam scribens habebat; vel eamdem quidem, sed non satis adaequatam & distinctam; vel denique prorsus nullam ideam excitant: quod in scripturis sacris non scribentium, sed legentium vitio contingit.

Dantur vero *regulae nonnullae generales*, quae ad tollendam obscuritatem & ambiguitatem, ex vocibus phrasibusque prognatam, comparatae sunt, quas quidem HVGO GROTIVS, *de iure belli & pacis lib. II. cap. XVI. §. IV. coniecturas* vocat, quae tamen, recte adhibitae, certitudinem moralem non infimi ordinis producunt. Ducuntur illae

1. *Ex materia subſtrata*, siue indole ipsius negotii, de quo agitur. Vnde regula: *Verba sunt intelligenda secundum materiam subſtratam.* Ita TERTVLLIANVS, in libro *de resurrectione carnis c. XXXVII. ex materia*, inquit, *dicti dirigendus est sensus.* Idemque libro *de pudicitia c. VIII. seqq.* nonnulla scriptura loca ex hoc principio interpretari conatur. Ita Luc.

XIV.

XIV, 23. non esse intelligendam *coactionem* violentam & externam, quum dominus dicit, ἀνάγκασον εἰσελθεῖν; *indoles negotii* satis ostendit. Agitur enim de conuiuio spirituali, vbi diuina *beneficia*, per Christum parata, fidelibus dispensantur. Beneficia autem vi cuipiam obtrudi, quis vmquam audiuit?

2. *Ex effectu;* vnde regula: *Si vox ex vsu receptiore sumta, effectum post se traheret absurdum, & a ratione alienum; tum ab vsu eius receptiore paullisper est recedendum.* Ita incendiarium ex Christo faceret, qui verba Luc. XII, 49. πῦρ ἦλθον βαλεῖν εἰς τὴν γῆν, vti sonant, acciperet. Intelligendum id est de illuminatione hominum per doctrinam caelestem, a se patefactam; nisi effectum absurdum & a sanctitate Christi alienum verbis tribuere velis.

3. *Ex coniunctis loco & origine;* vnde regula: *Obscurae locutiones explicandae sunt ex eiusdem auctoris loco planiore, licet alio tempore & occasione prolato; adhibitis in consilium iis, quae antecedunt & sequuntur.* Conf. Prou XXIV, 16. cum Psal. XXXIV, 20. In profanis equidem auctoribus cautela adiicienda est, *nisi manifesto adpareat, auctorem a sententia sua prorsus recessisse;* qua tamen in sacris non opus est, quum spiritus sanctus, ceu verus Deus, sententiam non mutet. Ceterum ex principio isthoc generali fluunt praecepta de *analogia fidei lib. II. c. I.* de *collatione cum antecedentibus & consequentibus c. V.* & de *parallelismo c. IX.*

4. *Ex adfectu & conditione loquentis;* vnde regula: *Sermo obscurus ita est interpretandus, prout adfectui loquentis, itemque dignitati & conditioni tum eius, qui dicit, tum illius, ad quem dicitur, conuenit.* Dauid, exempli caussa, erat rex populi ebraei, cui negotia publica non permittebant, vt subinde circa tabernaculum foederis haereret, cultumque, qui ibi peragebatur, otiose spectaret. Hinc quum Psal. XXVII, 4. dicit: *Vnum petii a Iehoua; hoc requiram: vt habitem*

tem in domo Iehouae omnibus diebus vitae meae, vt videam amoenitatem Iehouae, & in illam inquiram in templo eius: facile adparet, eum de vera potius ecclesia, cuius emblema erat tabernaculum typicum, loqui, & optare, vt eius membrum genuinum in regno gratiae pariter ac gloriae habeatur. Ita quomodo *Salomonis ad esum potumque exhortationes*, quas libro Coheleth interspersit, intelligendae sint; ex statu & conditione auctoris, eorumque, ad quos loquitur, ostendimus in conscripta eo de argumento *dissertatione*, *sect.* II. §. I. II. III. IV. Adde, quae de *affectu* indagando supra *lib.* II. *c.* III. commentati sumus.

5. *Ex fine & scopo sermonis;* vnde regula: *Non tribuendus est verbis auctoris eiusmodi sensus, qui scopo & consilio eius repugnat.* Pertinet huc *cap.* IV. *lib.* II. de *scopo* inuestigando. Ceterum isthaec regulae etiam docere possunt, *quando vocis cuiusdam significatio aut extendenda sit, aut restringenda.* Solent enim tria potissimum interpretationis genera statui. Datur scilicet interpretatio *declaratiua*, qua verba simpliciter declarantur, & ab obscuritate, quae illis adhaeret, liberantur. *Extensiua*, quando verba latiori sensu, quam plerumque solent, accipiuntur. *Restrictiua*, quum angustiori sensu adhibentur. Ita vocabulum אחות Leu XVIII, 18. in verbis, אשה אל אחותה לא תקח hic stricte esse accipiendum de *sorore*, proprie dicta, ex *coniunctis loco*, & *materiae subsratae* indole adparet. Agitur enim in toto contextu de connubiis, vbi vocabula familiae, אב, אם, אחי, אחות in significatione vsitata ac propria accipienda esse, ratio suadet. conf. ven. IO. FRANC. BVDDEI *theol. moral. p. 564.* Hinc etiam diiudicanda est quaestio, vtrum in legibus matrimonialibus Leu. XVIII. XX. interpretatio extensiua, an restrictiua locum habere debeat, h. e. vtrum tantum *personae* ibi expressae, an etiam reliquae, iisdem *gradibus* a se inuicem distantes, prohibeantur? Interpreta-

pretatio sane restrictiua *effectum absurdum* post se esset tractura. Si enim tantum illae personae, quarum in legibus istis matrimonialibus expressa mentio fit, matrimonium mutuum inire prohibentur, non item reliquae, quae eadem ratione a se inuicem distant: sequetur, quasdam nuptias licitas esse, quae tamen communi consensu tamquam illicitae damnantur. Non enim ex. gr. nefas esset, si nepos in matrimonium duceret auiam, & auus proneptem. Harum namque personarum expressa mentio in istis legibus non iniicitur conf. rursus ven BVDDEI *theol. moral. p 560. seqq.* & quae de significationum extensione ac limitatione *supra* diximus *lib. II. c. VII. §. XVI. p. 291.*

*** Plurimum nimirum interest, *propositiones* simplices a compositis, complexas ab incomplexis, categoricas ab hypotheticis (Ioan. XXI, 23.) *discernere*, & in singulis *subiecti ac praedicati situm* ac limites adcurate considerare; qua in re logicis rursus adminiculis opus est. conf. quae de *propositionum varietate* supra monuimus *p. 51.* De subiecti ac praedicati indagatione aliquot regulas, quamuis satis obscuras ac subtiles, tradit IO. CONR. DANNHAVERVS, in *idea boni interpretis p. 108.* Addatur eiusdem *hermen. sacra p. 220.* Fallax & incerta est regula, quae ex *articuli* positu subiectum venari iubet, quam examinat & exemplis refellit SAL. GLASSIVS *philol. sacr. lib. III. tr. II. can. IV. p. 702.* vbi ostendit, διάκρισιν adcuratam subiecti & praedicati non soli articulo, qui etiam praedicato interdum praeponitur, (vt Matth. V, 13. Vos estis τὸ ἅλας τῆς γῆς;) sed totius contextus inspectioni esse committendam. Rarius fallet obseruatio, quae *terminum communiorem ac generaliorem* pro *praedicato* agnoscendum esse suadet, vt Ioan. I, 1. θεὸς ἦν ὁ λόγος, vbi ὁ λόγος est subiectum enuntiationis, θεὸς praedicatum; quia Θεὸς latius patet, quam λόγος. Omnis enim persona, quae λόγος est, Deus est; sed non omnis persona diuina, est λόγος. Adhibendum

dum etiam est iudicium logicum, in iis, quae subiecto, vel praedicato, vel copulae adhaerent, discernendis. 1 Cor. II, 14. ψυχικὸς ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ, vbi *subiectum* est ἄνθρωπος, cui adhaeret adiunctum ψυχικός: *praedicatum* est δέχεται, cui etiam adhaeret descriptio rerum, quae ab homine animali non admittuntur, τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ: copulae adhaeret negatio, adeoque excludit ψυχικὸν ἄνθρωπον ab admissione rerum spiritualium. In discernendis iis, quae subiecto adhaerent, ab iis, quae ad praedicatum spectant, ebraei textus accentuatio in subsidium vocanda est. Vide Hab. II, 5. *iustus ex fide, viuet;* & adde supra *lib.* II. c. VII. §. XXII. p. 306.

§. III.

Magna porro lux multis locis obscuris accedit, quum integra sermonis *cohaerentia* cogitationumque series cognita ac perspecta fuerit, cui detegendae ac ordinandae *analysis logica** operam & auxilium pollicetur.

* *Analysis* resolutionem aliquam denotat, qualis est periti anatomici, corpus humanum in suas partes, ex quibus compositum est, dissoluentis & secantis, vt illarum structura oculis subiici possit & demonstrari. Datur vero analysis *grammatica*,† quae circa verba versatur, vocisque etymologiam, homonymiam, variamque acceptionem, aequiuocationem, synonymiam, constructionem, cetera, examinat & exponit. Datur porro *rhetorica*, quae in examinandis modis connexionum, troporum, figurarum; inque propositione, partitione, pathologia, & argumentorum rhetoricorum adparatu discutiendo, occupata est. Datur deni-

† De analysi grammatica, rhetorica, logica videri etiam potest Cl. HALBAVERI *Klughеit zu predigen, part. II. c. 11. §. 10. 13. 16.*

denique *logica*, quando scriptum, vel argumentum ipsum examinatur, propositiones, earumque inter se nexus, tum argumenta explicantia, probantia, illustrantia discernuntur, & reducuntur ad sua principia, ex quibus fluxerunt; de qua exstat CORNELII MARTINI *analysis logica materiae ac formae.* IOAN. NICOLAI HARTSCHMIDII *doctrina analytica*; eiusdemque diss. *de vsu analyseos in omnibus disciplinis.* Opus id potius est iudicii maturi & exercitati, quam multarum regularum, in quibus saepe multum subtilitatis est, vtilitatis parum. Huc pertinet integrum *tap.* VI. *lib* II. Addatur speciminis loco cel GOD. OLEARII *analysis logica epistolae ad Ebraeos*, & IO. FRID. BVRG *analysis logica epistolae Pauli ad Ephesios:* quibus dissertationibus nexus logicus istarum epistolarum euoluitur.

§. IV.

Denique quum multa in scripturis loca occurrant, quae sibi contradicere, ac mutuis bellis diffidere videntur; in illis amice *conciliandis* * felicius versabitur, qui leges verae oppositionis, a logicis traditas, habuerit exploratas.

* Attendendum scilicet potissimum est, num in vtroque loco sit

1. *Idem orationis subiectum.* Ita quum Exod. XX, 5. Deus dicitur *visitaturus iniquitatem patrum in filios;* Et contra Ezech. XVIII, 20. scribitur: *filius non feret iniquitatem patris:* haec secum inuicem pugnare videntur. Ex aduerso enim haec sibi contradicere putes: *Filius plectetur propter patrem*; & *Filius non plectetur propter patrem.* Sed non idem hic est orationis subiectum. Priori enim loco concipitur *filius impius*, mali parentis imitator, Posteriori loco sistitur *filius innocens*, qui a peruersis parentis mori-

moribus abhorret, coll Ezech. XVIII, 14--19 Ita conf. Prou. IV, 23. cum Matth. XV, 19.

2. *Idem modus ac respectus.* Ita *homo sola fide, non ex operibus, iustus reputatur*, nimirum CORAM DEO, Rom III, 28. Contra *non sola fide, sed ex operibus, homo iustus reputatur*, nempe CORAM HOMINIBVS, Iac II, 24. coll. Rom. IV, 2. qui locus hanc conciliationem egregie prorsus confirmat Similiter *parentes honorare* iubemur Exod. XX, 12. scil respectu diuinae, quam gerunt, imaginis; contra *eosdem odio prosequi* mandamur Luc. XIV, 26. respectu scilicet improbitatis, qua nobis Christi imitationem dissuadere, nosque ab illa abstrahere cupiunt. Ita porro Christus Ioh V, 31. testimonium suum, de se ipso perhibitum, *non firmum esse dicit*, nempe ex opinione iudaeorum, qui ipsum pro fallaci homine habebant; contra idem testimonium *firmissimum verissimumque esse dicit* Ioh. VIII, 14. scil. ex rei veritate. Ita *mare aeneum* Salomonis capiebat 3000 batos, si ad summum vsque marginem implebatur, 2 Paral. IV, 5. at 2000 batis ordinarie tantum repletum erat, 1 Reg VII, 26.

3. *Eadem temporis ratio.* Vbi regula veterum tenenda est: *Distingue tempora, & concordabit scriptura.* Ita Christus *columbarum venditores mitius tractasse* perhibetur Ioan. II, 16 at Matth XXI, 12. *eorum sedes magna seueritate euertisse* dicitur. Verum haec non eodem, sed diuerso tempore, contigerunt. Illud sub initia; hoc sub ministerii publici finem. Ita Salomo 1 Reg. V, 6. *quadraginta millia equorum;* ad 2 Par. IX, 25. tantum *quatuor millia* aluisse refertur. Illud nimirum rebus suis florentissimis; hoc iis temporibus, quo res suae ad finem vergere & decrescere quodammodo coeperunt, vti haec loca conciliat ven. IO FRANC BVDDEVS, *in histor. eccles. vet. testam. tom II. pag* 227. Hinc etiam soluendus videtur durissimus ille nodus, AVGVSTO PFEIFFERO, in

dubiis vexatis, prorsus intactus, qui *in aetate Achaziae* latet, qui 2 Reg VIII, 26. regni habenas adgressus, natus fuisse perhibetur *annos viginti ac duos*; at 2 Par. XXII, 2. *quadraginta ac duos*. Sunt qui nodum illum gladio secant, ac numerorum notas in alterutro loco corruptas, & מב loco כב positum esse, adfirmant; † quod in LVD. CAPPELLO, HVGONE GROTIO, & IO CLERICO non miramur, vtpote quibus familiare est, sanis etiam & integris scripturae locis vitium impingere. Id potius miramur, doctissimum CAMP VITRINGA, in *hypotypoſi chronolog. ſacr p.* 63. suum nomen isti sententiae dedisse; immo vero SALOM GLASSIVM, acerrimum integritatis scripturae sacrae adsertorem, non multum ab illa opinione abesse, in *philol. ſacr. lib* I *tract.* I. *p.* 114. Nos illis adsentimur, qui *diuersum terminum*, vnde isti anni ducuntur, supponendum esse statuunt: qui in libro regum est *natuitas ipsius Achaziae*; in libro chronicorum *duratio familiae Omri*, ex qua Achazias a parte matris originem ducebat, cuiusque impietatem aemulabatur. Ita hic sensus ex vtriusque locis, inter se compositis, emerget: *Achazia anno aetatis vigesimo ſecundo regnum capeſſente, duo ac quadraginta anni exacti fuerant, poſtquam regnum Iſraeliticum in illa familia perſtiterat, ex qua ipſe per matrem erat oriundus.* Confer quae ad illum locum adscripsimus in *adnotation. philologico-exegeticis in libros V. T. hagiographos, tom.* III. *p.* 815. *ſeqq.*

Ceterum in locorum pugnantium conciliatione illud adhuc obseruandum est, *eam optimam eſſe conciliandi rationem, quae interueniente tertio aliquo ſcripturae loco peragitur, vel confirmatur.* Dudum id ipsi iudaei obseruarunt, si nimirum duo versus sibi inuicem con-

† Longe recentius esse hoc scripturae compendium numeros literis signare, quam vt ad librorum sacrorum originem adsurgat, recte obseruat Cl CARPZOVIVS in *crit. ſacra p.* 119.

contradicant, fuſpendendum eſſe iudicium tamdiu, עד שיבוא הכתוב השלישי ויכריע ביניהם *donec veniat locus tertius, & praeponderet inter eos;* quem modum conciliandi הכרעה *praeponderationem* vocare ſolent, de quo vid. IO. HENR. HOTTINGERI *theſ. philol. p. 230.* qui recenſioni huius methodi haec ſubiungit: *Adparet hinc, quam fuerint iudaei in conciliandis ſcripturis ſacris religioſi. Nihil certe veritati conuenientius, nihil ad vindicandam ſcripturae auctoritatem opportunius, nihil denique pro optimi interpretis partibus commodius dici potuiſſet. Nempe viderunt, non in ipſam ſtatim debachandum eſſe ſcripturae maieſtatem, ſi vel maxime nos difficiliora quaedam eius exerceant loca aut ἀντιφάνειαν ſe prodat; ſed laborandum potius, vt per συμβιβασιν, ſeu collationem omnia apte in biblicis cohaerere, & obſcuriora, aut in ſpeciem pugnantia loca, ab ipſo ſpiritu ſancto, alibi clarius loquente, conciliari demonſtremus.* Sed exempla etiam hinc obſeruationi ſubiiciamus. Scriptura adſerit, *Deum eſſe ſpiritum* Ioan. IV, 24. Eadem tamen ipſi *manus, pedes, oculos* & alia membra corporea tribuit. Interuenit *tertia ſcriptura*, quae oſtendit membra illa corporea proprie non poſſe intelligi, quum Luc. XXIV, 39. ait, *ſpiritus carnem & oſſa non habet.* Sic videntur contradictoriae propoſitiones: *circumciſio eſt obſeruanda* Gen. XVII, 14. *circumciſio non eſt obſeruanda* Act. XV, 24. At Chriſtus ſe arbitrum conſtituit Matth. XI, 13. *Lex & prophetae vſque ad Ioannem.* Plures regulas in conciliandis ſcripturae locis obſeruandas dabit MICH. WALTHERVS, in prolegomenis *harmoniae biblicae.* Iungatur ANDR. ALTHAMMERI *conciliatio locorum pugnantium.* IOANNIS THADDAEI *conciliatorium biblicum.* CHRISTIANI MATTHIAE *antilogiae bibl.* BIBLIANDRI (hoc eſt, †

† Vt refert celeb. PFAFFIVS in *introd. ad hiſt. theol. liter. tom. 1. p. 137. 138.* vel vt alii volunt, FRID. NIER, paſtor Stolzenſis.

DAVIDIS HERMANNI) *harmonia scripturae*, Goerlicii lingua germanica tribus tomis formae octauae edita. † Addantur, qui in *dubiis* scripturae soluendis operam suam collocauerunt, vt FRID SPANHEMIVS, in *dubiis euangelicis*. AVG. PFEIFFERVS, in *dubiis vexatis*. GODOFR. HOFFMANNVS, in *iudicio de dubiis scripturae*. Hactenus de vsu logices; de quo pluribus videatur PHILIPPI ZEISOLDI *logica sacra N. T.* ANDR. KESLERI *logicae Photinianae examen*. IO. HENR. ALSTEDII *logica theologica*. IO. ANDR. SCHMIDII *logica & metaphysica sacra*. REINHARDI HENRICI ROLLII *breuiarium logicae sacrae*. AD. ERDM. MIRI *Fragen aus der Logica sacra*. SAL. GLASSII *logica sacra*, quae tamen prima tantum stamina operis, quod imperfectum beatus auctor reliquit, complectitur, quam ex manuscripto primum edidit reu. IOH GOTTFR. OLEARIVS. ††

§. V.

Caute tamen ac prouide in disciplinae rationalis ad sacras paginas adplicatione agendum esse, ne quid in excessu peccetur,* quilibet prudens rerum aestimator, vel nobis non monentibus, facile animaduertit.

* Cauendum scilicet est,

1° *Ne cogitationibus ac verbis auctoris, per se clarissimis, obscuritatem temere adfricemus.* Saepe enim contingit, vt verba, sole clariora, ab iniquis interpretibus miserum in modum lacerentur ac torqueantur, quando sententiae ab ipsis praeconceptae assentiri

† Plures auctores dabit NIC. ALARDVS, in *bibliotheca harmonico-biblica*, Hamburgi edita, 1725. 8.

†† Quid de illis *logicis sacris*, in quibus praecepta logices communia exemplis, ex scriptura petitis, illustrantur, iudicandum sit, docet CL. IAC. GVIL. FEVERLIN *de logicis paradigmaticis*.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0470
DFG

tiri detrectant. Solémne id inprimis est Socinianis, de quibus IACOBVS MARTINI, de *tribus Eloh m*, *part. I. c. XXII. p. 244.* haud immerito scribit: *Quemadmodum caeci in luce meridiana circumerrant: ita obcaecati isti haeretici in clarissimis sacrae scripturae textibus sine risu, sine auditu & intellectu vagantur. Vt enim neminem docere possunt, sic etiam nullum docent, quis scripturae sit verus sensus, sed in illa modo hunc, modo alium fingunt, refingunt, adfingunt: vt ita, quantum quidem in ipsis est, litteram sacrae scripturae nobis vbique incertam faciant, ostententque Proteum, in omnes sese formas transmutantem.* Ita, exempli caussa, GE. ENIEDINVS, simplicissima verba Gen. XIX, 20. *pluit Iehoua* (filius) *a Iehoua* (patre) triplicem sensum ferre posse adfirmat, vt 1. significent, Deum *a semetipso* pluuiam illam sulphuream emisisse. 2. Iehouam pluisse a caelo ignem & sulphurem *a Iehoua*, siue, *Iouanum*, hoc est, vehementem, multum, copiosum. 3. *angelum creatum*, qui Iehouae nomen & personam sustinebat, deduxisse ignem ex caelo *ab ipso Iehoua*, cuius erat legatus, siue ex armamentario caelesti, vbi haec sua Deus tela habet recondita. Ecce tres lasciuientis ingenii explicationes, quarum vna alteram destruit & euertit

II. *Ne enuntiationes scripturae singulares, & a logicorum regulis abhorrentes, tamquam absurdas, & vero non consentaneas, temere reiiciamus.* Qualis est illa Matth. XV, 13 16. *Filius hominis est filius Dei.* Vbi disparatum de disparato praedicatur, quod logicorum filii fieri posse negant. conf. IO. MEISNERI *philos. sobria, part. I. p. 274.*

III. *Ne argumentationes scripturae in artis syllogisticae formas vel inuitae cogantur.* Recte enim AVG. PFEIFFERVS, *thesaur. herm p. 470. Argumenta*, inquit, *auctorum sacrorum sunt solida, quamquam non in forma syllogistica concepta.* Plerumque

nimirum sunt *enthymematica*, vbi vel *maior* propositio, tamquam per se nota; vel *minor*, e contextu facile eruenda, omittitur, vt Gen. XV, 1. Gal. II, 21. cet. de quibus pluribus videatur IO. CONR DANHAVERI *polemosophia sacra*. Hinc etiam diiudicanda sunt, quae auctor *Mosis vindicati* c. VIII p. 178. seqq. de *ratiocinationibus apostolorum magna saepe infirmitate laborantibus* nimis praecipitanter adfirmat. Qui vero syllogisticae artis vestigia in scripturis sibi visi sunt detexisse, † nae illi prorsus oculati sunt, quippe, quod nusquam est, tamen vident: quasi scilicet IESV CHRISTI apostolos, dum pisces captarunt, ac refecerunt retia, in texendis ac retexendis syllogismorum nodis sese exercuisse credendum sit. Quid autem hoc aliud est, quam homines simplicissimos in pallia os sophistas conuertere? Enumero id a charactere ipsorum alienissimum erat. *Qualis* enim *erit lex Dei, regis regum, & domini dominantium? Volumus, credo, DEVS noster* (cuius illi amanuenses erant) *vtatur inductionibus, vt Plato; syllogismis, vt Aristotele; elenchis, vt Carneades? - Si forte edictum regium eo orationis genere edatur, quis non ineptias scholasticas rideat? Certe quo lex simplicior, eo etiam aeterno Deo, rerum creatori, conuenientior, eo & populo adcommodatior: nam quae omnibus promiscue data est, panis cibarii instar esse debet, ad omnium palatum adcommodati*; vt eleganter ait PHIL. MORNAEVS, de *veritate relig. christ. c. XXVI.* p. m. 493. ed. Lugd Bat. 1605.

IV *Ne in cohaerentia inuestiganda, adornandaque analysi logica, ad artis praecepta nimis superstitiose cuncta reuocemus*; vt quidam ex COCCEII schola

† Scriptores sacros naturalem ratiocinandi facultatem & habuisse, & in ipso etiam inspirationis diuinae actu exercuisse, non negatur. Vnde fieri etiam potest, vt exempla ratiocinationum, quae formam syllogisticam aemulantur, in eorum scriptis occurrant: qua tamen in re diuini illi auctores non logicae artis praecepta, sed simplicem naturae ductum secuti sunt.

la facere solent. Quamuis enim diuina sapientia cum hominibus locutura, in eo etiam ad ipsorum captum sese adtemperauerit, quod oracula sua, in libris maxime dogmaticis, ad formam humanorum ratiociniorum composuerit, quae continuo constant propositionum nexu, cogitandum tamen est, scriptores sacros non tam logicae artis de methodo praecepta, quam simplicem naturae ductum, diuino spiritu gubernante, esse secutos. Conf. *lib. II. c. VI. §. X. p.* 235. Vnde diiudicare licet, quae de *Adami*, *Iobi*, *Salomonis*, *Christi*, cet. logica otiose nonnulli disputauerunt,† veterum scilicet eruditionem & sapientiam ex iis, quae hodie in vsu sunt, aut olim a graecorum philosophis fuerunt excogitata, aestimantes, vt obseruat ven. IO. FRANC. BVDDEVS, in *philos. ebr. p.* 5. †† Addantur cl. CHRISTOPH. AVG. HEVMANNI *acta philosophorum*, *part. VI. num. I. §. IX X.* & *part. VII. n. I. §. XXI. seqq.* & *part. XIII. n. IX.*

V. *Ne denique fingendis exaggerandisque contradictionibus scripturae sacrae indulgeamus*; quo in genere SPINOZA, HOBBESIVS, PEYRERIVS, lepidissimus ille fabulae praeadamiticae conditor, COLLINVS, TOLANDVS, BAELIVS, aliique, qui ad pyrrhonismum theologicum viam parare satagunt, excellere solent; de quibus vide celeb. CHRISTOPH. MATTH. PFAFFII *dissert. I. de praeiudiciis theologicis §.* XXIII. Neque diffitendum est, in WALTHERI etiam ac BIBLIANDRI harmoniis biblicis nume-

† Rectius tamen hic sentit IO. ERDMANN BIECKIVS, in diss. *de philosophia Pauli apostoli*; de quo Cl. IO. DAV. STROHBACH, in diss. *de eruditione Pauli apostoli §. IX.* Quantum ad scripta Pauli, *ita in iis doctrinae cohaerent, ac si secundum regulas logicas essent connexae.*

†† Vsum quoque rationis, quem nonnulli logicam *naturalem* vocant, cum logica *artificiali*, a plerisque confundi, obseruat. ven. BVDDEVS, in *isagoge p.* 241. *a.*

merum locorum pugnantium praeter necessitatem esse multiplicatum. Saepe enim in illos indices ea relata videas, in quibus nullum prorsus pugnae vestigium adparet; vti etiam obseruauit GOD. HOFFMANNVS, in *iudicio de dubiis scripturae, sect. I. c. II p.* 14.

LIBRI TERTII CAPVT QVARTVM DE ADMINICVLIS DISCIPLINARVM REALIVM.

Σύνοψις.

VSVS disciplinarum realium ostenditur, §. I. & quidem
I. *Theologiae dogmaticae & moralis*, vbi
1. vsus §. II.
2. cautelae §. III.
II. *Philosophiae moralis*, vbi
1. vsus §. IV.
2. cautelae §. V.
III. *Disciplinarum mathematicarum*, vbi
1. vsus §. VI.
2. cautelae §. VII.
IV. *Philosophiae naturalis*, vbi
1. vsus §. VIII.
2. cautelae §. IX.
V. *Artis medicae*, vbi
1. vsus §. X.
2. cautelae §. XI.
VI. *Iurisprudentiae* §. XII. quibus CAVTELA GENERALIS subiungitur §. XIII.

§. I.

Hactenus de adiumentis diximus, quae disciplinae instrumentales studio hermeneutico adferre possunt. Nunc ad *disciplinarum realium* progredimur campum, earum vtilitatem in sacrarum litterarum interpretatione primis quasi lineis descripturi.

§. II.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0474
DFG

§. II.

Hic igitur primo loco commemoranda est rerum diuinarum scientia, quam *theologiam* veteres adpellauere, tum quae in tradendis *fidei* doctrinis, tum quae in formandis hominum mentibus ac *moribus* versatur; cuius vsum in suppeditandis genuinis rerum conceptibus prorsus eximium esse, experti norunt.*

* Vsus theologiae maxime conspicitur

I. *In locis scripturae obscurioribus ad normam analogiae fidei interpretandis.* Quid enim aliud est theologia *dogmatica*, quam adparatus credendorum, in certum ordinem redactus? Quid theologia *moralis*, quam adparatus agendorum, quae, per integrum systema biblicum dispersa, sub certos quasi titulos ordine collocata sunt? Ita *theologia est quasi ramus studii biblici*, qui tamen cum studio biblico simul crescit atque augetur. † Eleganter IO. FACCIOLATVS, in orat. *de scripturae studio cum veterum linguarum studiis coniungendo*, quae VI. est inter orat. eius *de optimis studiis*, p. 102. *Nulla est in toto scientiarum orbe rerum similimarum cognatio tanta, nulla tam arcta societas, quae cum illa comparari possit, quae inter theologiam scripturamque intercedit: vt si quis vinculum hoc, non hominum opinione, sed ipsa rerum natura constrictum, effringere velit, vehementer alteram debilitari necesse sit, alteram vero prorsus dilabi, aut in imum detrusam, sine vlla nobilitate iacere.*

II. *In explicanda natura rerum sacrarum, quae sub verborum cortice latent.* Quum enim ieiuna ac sterilis sit verborum interpretatio, sine cognitione rerum;

† Vid. IO. FECHTII diss. *de studii biblici cum systematico connexione.*

rum; (vid. *supra p.* 301.) quisque facile intelligit, tum demum interpretem officio suo in perrimandis scripturae visceribus felicius functurum, si accuratos tenuerit rerum diuinarum conceptus, ex sanniore theologia hauſtos, & ex pluribus scripturae locis, inter se collatis, formatos. Quomodo, exempli gratia, verba Pauli Rom. I, 5. c. XVI, 26. de ὑπακοὴ πίστεως exponet, qui non genuinum *fidei* conceptum mente comprehenderit, quem istarum vocum explicationi substernat. Primum scilicet ipsa *fides*, latius accepta, quodammodo *obedientia* dici potest, praestita nimirum illi praecepto, quo iubemur testimonio Dei assentiri, & credere in Christum, quem fides sibi integrum vindicat, eumque non tantum vt summum sacerdotem, cuius meritis DEO reconciliamur, amplectitur; verum etiam tamquam summum doctorem ac regem, summo obsequio colendum. Deinde obedientia fidei ideo dicitur, quia *ex fide* vera *obedientia* proficiscitur, vti effectus ex sua causa, sicut Phil I, 25. χαρὰ τῆς πίστεως vocatur, quae ex fide, tamquam fonte, promanat.

§. III.

Diligenter tamen cauendum est, ne ex systemate, variis erroribus inquinato, eiusmodi imbibamus de rebus diuinis conceptus, quae menti spiritus sancti parum sunt conformes; neue scripturam ita interpretemur, vt cum thesibus nostris nolens volens consentire cogatur; quod multas parit peruersas explicationes. *

* Ita si quis, in CALVINI schola edoctus, per *gratiam* diuinam intelligat *adflatum quendam arcanum & ineluctabilem*, *cuius effectus vitari nequit*, ac deinde hunc suum conceptum substernat explicationi locorum, qui de *gratia* agunt: is velut necessita-

ſitatem ſibi impoſitam videt, quamplurima ſcripturae oracula ita peruertendi, vt cum illo conceptu ſuo conſentiant; maxime illa, vbi homines diuinae gratiae *reſiſtere*, eiusque effectum impedire dicuntur, vt Zach. VI, 11. 12. Matth. XXIII, 37. Act. VII, 51. Neque negari poteſt, ſi verum fateri volumus, ſaepe produci dicta ſcripturae, theſin aliquam ſtabilitura, quae ſi, ſcopo dicentis in conſilium adhibito, in ſuo cum tota oratione nexu conſiderentur, nihil minus dicunt, quam illud, ad quod probandum, velut teſtes, adhibentur: † quorum haud exiguum exercitum SIXTINVS AMAMA, in *anti-barbaro biblico*, conſcripſit.

§. IV.

Neque *philoſophia moralis* ſuo vſu caret, quatenus ad naturam voluntatis humanae, propenſionumque variarum cauſſas & indolem cognoſcendam, aliquam lucem accendit: qua cognitione inſtructi, ad naturae ac gratiae diſcrimen rectius introſpiciendum, adque actiones hominum in ſcriptura commemoratas, prudentius diiudicandas, erimus aptiores. *

* Eiusmodi *ethicam*, quae ex ARISTOTELIS alicuius lacunis hauſta, virtutum vmbras ac ſimulacra exhibet, parum prodeſſe ſcripturarum ſacrarum tractatori, prudentiores omnes facile confitebuntur. Magnum enim eſſe inter virtutes ethicas naturales, & chriſtianas diſcrimen, bene oſtendit STEPH. GAVSSENVS *in diſſ. theol. p. 110.* ed Hall. p. 106. 345. & B. IO. DAN. HERRNSCHMID, *de natura & gratia in materia de virtutibus*. Addantur CHRIST. THOMASII & ven. IO. FR. BVDDEI commentationes

† Quod ven. IO. GOTTLOB PFEIFFER etiam candide fatetur in *praef.* ad SCHEIBLERI *aurifodinam theologicam*.

tiones de *naeuis ethicae aristotelicae*. At si quis in sanam inciderit morum disciplinam, quae hominis naturam ac propensiones varias, ex diuersa corporis constitutione ortas, adcurate exponat, non parum inde in negotio hermeneutico adiumenti percipiet. Hisce enim praesidiis instructus, felicius diiudicabit & sacrorum hominum *stilum*, & *actiones*, ab ipsis susceptas, inque coniectandis latentibus ipsorum *adfectibus* sagacior erit. conf. quae supra obseruauimus *lib. II. c. III. §. III. IV. p. 126. seqq.* Haec praecipua est philosophiae moralis in exegesi sacra vtilitas, a qua ceterum etiam non contemnenda argumenta pro scripturae sacrae diuinitate suppeditari, egregie demonstrat VINCENTIVS PLACCIVS in tract. *de praecipuo philosophiae moralis fructu*. Reliquae philosophiae practicae partes, quae de *officiis* eorumque principiis, de *legibus*, de *prudentia* agunt, ex scriptura potius lumen accipiunt, quam vt illi adfundant: quamuis, qui adcuratis rerum illarum notionibus animum imbuerit, felicius in multis scripturae locis interpretandis versaturus sit. Ceterum *ethicas sacras* & *christianas* dederunt LAMBERTVS DANAEVS, CONRADVS ASLACVS, † SAMVEL BOHLIVS, & fortassis alii.

Quum vero *politica* etiam philosophiae practicae ambitu vulgo comprehendi soleat: iungi his possunt, qui de politica biblica scripserunt, quo pertinet IO. CONR. DANHAVERI *politica biblica*; IOSEPHI HALL *ethica & politica Salomonis*; THEOD. REINKINGII *bibliſche policey*, vbi axiomata politica exemplis, ex scriptura sacra depromtis, illustratur. Adde CONR. FRID FEVERLIN *illustria Dauidis facta, ex iurisprudentia naturali illustrata*, & AD RECHENBERGII diss. *de stratagematibus politicis, in scriptura sacra obseruatis*; in *vol. exercit. historico-poli-*

† Dedit is *ethicam Mosaicam*, Hanouiae, 1613.

politicarum part. II. p. 23. nec non qui de structura reipublicae ebraeorum commentati sunt, CONR. BONAVENTVRA BERTRAMVS, CAROLVS SIGONIVS, cum egregiis notis IO. NICOLAI Amstelodami MDCCI editus, PETRVS CVNAEVS, ab eodem viro docto notis illustratus, MDCCIII ex quibus compendium dedit IOACH. LVD. REIMERVS *de rep. ebraeorum.* Addantur IO. STEPHANI MENOCHII, & MELCHIORIS LEYDECKERI libri XII. *de rep. ebraeorum*, & CLAVD. FLEVRY *mores Israelitarum.* Plures dabit cel. IO. ALB. FABRICIVS, in *bibliographia antiquaria c. XIV. p 477.*

§. V.

Caue autem, *notiones spurias* rerum moralium, quas aut rationis abusus, aut praua consuetudo, aut paganorum philosophia inuexit, ad res sacras transf ras:* ex hac enim commixtione fieri non potest, quin aliquid monstri nascatur.

* Ita qui aristotelicum de *virtute* conceptum, quo illam in *mediocritate* positam esse statuit, ad scripturam sacram, e. c. Cohel. VII, 16. 17. Iac. I, 21 transtulerit; sine dubio plurima loca turpiter peruerret, atque scriptoribus sacris eam adfinget sententiam, quae ipsis numquam in mentem venit. Quantum ethicus *iustitiae* conceptus B. LVTHERI animum in epistola Pauli ad Romanos intelligenda turbauerit, vir candidus sincere fatetur in *praef. ad tom. I. Ien. lat.* vbi *Miro*, inquit, *ardore captus fueram, cognoscendi Pauli, in epistola ad Romanos. Sed obstiterat hactenus non frigidus circum praecordia sanguis; sed vnicum vocabulum c. I. 17.* IVSTITIA *Dei reuelatur in illo. Oderam enim vocabulum istud,* IVSTITIA *Dei, quod vsu & consuetudine omnium doctorum doctus eram* PHILOSOPHICE *intelligere, de iustitia, vt vocant, formali, seu actiua,*

ua, qua Deus est iustus, & peccatores iniustosque punit. Hinc meliora deinde a Deo edoctus, in *comm. priori ad Gal tom. I Ien lat. f 413* *Habet sane,* inquit, *ciuile ius suam iustitiam philosophi suam, & quicumque suam. Nos oportet hic iustitiam ad intellectum scripturae accipere, quam apostolus plane negat esse, nisi per fidem Iesu Christi. Vide ergo nouam iustitiam nouamque iustitiae definitionem. Vsitate enim dicitur, iustitia est virtus, reddens vnicuique, quod suum est. Hoc dicitur, iustitia est fides Iesu Christi, seu virtus, qua creditur in Iesum Christum,* cet. Quomodo Aristotelica ἐυτραπελίας definitio magnum virum & non sine laude commemorandum, ERASMVM SCHMIDIVM, in transuersum abripuerit, in eius ad *Eph. V, 4.* adnotationibus *p. 1178.* non sine stupore obseruari potest. Neque etiam audiendus est ANT. COLLINVS, qui in famoso libro *de libertate cogitandi* necessitatem philosophiae moralis in interpretanda scriptura nimis exaggerat, dum *p 16* dicit: *Ne spes quidem adparet, rectam & genuinam doctrinae morum, quae in sacris litteris reperitur, ideam formari posse, nisi quis legerit prius scriptores antiques, & peritus sit legis naturalis, qua sine vix fieri potest, vt intelligantur plurima officia, in sacris litteris nobis praescripta.* Ita nimirum profanus homo naturalem theologiam sacrae scripturae tanquam normam & interpretem obtrudere conatur. Conf. ven. IO. FRANC. BVDDEI theses *de notionum moralium & ciuilium ad alias disciplinas translatione, caute instituenda,* quae exstat in *syntagmate diss theol. p. 530.* Adde quae de spuriis notionibus moralibus, a cel. CHRISTIANO WOLFIO, in *vernünftigen Gedancken von der Menschen Thun und Lassen,* passim conflictis, monet ven. IOACH. LANGIVS, *in der Entdeckung des Wolf. systematis, sect. IV. p. 357.*

§. VI.

Mathematicarum disciplinarum vlus eximius

mius est, tum in explicandis illis scripturae locis, quae sine principiorum mathematicorum notitia vix recte intelligi possunt*; tum in retundendis irrisorum obiectiunculis, qui dum multa vndique e sacris paginis conquirunt, quae cum veritatibus mathematicis aperta fronte pugnare clamant, scripturae auctoritatem conuellere impudenter conantur**; denique in ponderibus ac mensuris, quarum mentionem scriptura facit, explicandis, atque cum iis, quas apud nos vsus inuexit, conferendis. ***

* Ita structuram *tabernaculi* ac *templi*, tum *Salomonis*, tum *Ezechielis*, multo rectius intelliget, aliisque felicius commonstrare poterit, qui fundamentis geometricis & architectonicis fuerit imbutus; vt alii viri docti & harum rerum periti dudum ostenderunt. Videatur de *tabernaculo* Mosaico BENED. ARIAS MONTANVS, *libro V. antiquitatum sacrarum*, quae exstant *tom.* VII. *criticorum anglicanorum.* HERM. WITSIVS, *miscell. sacr. tom.* I. *p.* 393. CONR. MEL, de *tabernaculo sacro*, libro erudito, germanice edito. NEHEMIAS GREVV *cosmologiae sacrae*, *lib.* IV. *c.* VIII. §. 56. *seqq.* De *templo* Hierosolymitano commentati sunt LVD. CAPPELLVS, cuius labor insertus legitur BR. WALTONI *adparatui biblico* ed. Tigurinae *p.* 120 *seqq.* it. IO. LIGHTFOOT, *tom* I. *operum p.* 553 *seqq.* & LEONH. CHRISTOPH. STVRMIVS, in *sciagraphia templi Hierosolymitani* † In illustrando *templo Ezechielis*, cuius descriptio quam plurima obscuritate inuoluta est, IO BAPTISTA VILLALPANDVS, & HIERONYMVS PRADVS, MATTHI-

† BERNH. LAMY de *templo Hieros. VIII.* libros conscripsit, Paris. 1721. fol. Plures, qui de tabernaculo & templo scripserunt, enumerat IAC. LE LONG, *biblioth. sacrae tom. II. p.* 1063. 1064.

THIAS HAFFENREFFERVS, CAMPEGIVS VITRINGA, HENRICVS HORCHIVS, ingenium exercuerunt.

At enim vero non paucis tantum illis capitibus circumscribitur matheseos vsus, sed multo latius diffunditur; adeo vt cel. GE. ALB. HAMBERGERVS, in diss. *de vsu matheseos in theologia* §. XV. non vereatur scribere: *Si numerus esset ineundus eorum scripturae dictorum, quorum sensus & emphasis per mathesin longe illustrior redditur, aliquot centena dicta colligere, immo integros exinde libros huc vocare liceret:* id quod deinde exemplis commonstrat, per singulas eundo matheseos partes, *arithmeticam* §. XVI - XIX. *geometriam* § XX. *opticam* §. XXI - XXIV *astronomiam** § XXV-XXIX. *geographiam* §. XXX - XXXVIII. *chronologiam* §. XXXIX - XLVI *gnomonicam* §. XLVII. *musicam*** §. L - LIII. *staticam* §. LIV. *architecturam* §. LVIII sqq. Addatur SAMVELIS REYHERI, iure consulti & mathematici Kilonienſis clarissimi, *mathesis mosaica*, cum adpendice aliorum scripturae locorum mathematicorum. HIERONYMI DICELII *spicilegia ex disciplinis mathematicis*, loca quaedam biblica illustrantia. IO. AVG. KREBS, *de mathesi biblica.* LEONH. CHR. STVRMIVS *in verständlicher Erklärung derjenigen Stellen heiliger Schrift, vvelche von spitzfündigen Leuten angefochten vvorden, und ohne Wissenschaft der Physic und Mathesis dagegen nicht genugsam vervvahret vverden können*, cuius tantum *pars* I. anno MDCCXIX. prodiit. ***

** Ita, exempli caussa, *arca Noae* non heri demum aut nudius tertius ab atheis irrisa fuit; sed dudum

* Conf. BALTH. SCHEIDII diss. de *astronomia Ebraeorum biblica.*

** De *musica* veterum Ebraeorum SAL. TILLIVS commentatus est.

*** Add. Cl. IO. BERNH. VVIDEBVRGII *mathesis biblica*, cuius aliquot iam *specimina* prodierunt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0482
DFG

dum illam CELSVS apud *Originem* κιβωτὸν ἀλλόκοτον *arcam absurdam* adpellauit. Nimirum vt illa arcae structura istius seculi hominibus procul dubio foecundissimum ridendi & Noacho insultandi argumentum praebuit; ita nec deinceps defuerunt, qui Mosen talia hic narrare existimarunt, quae ab omni prorsus verisimilitudine abhorreant. Inprimis quaesitum fuit, an tot animantium arca capax fuerit; Cui dubio vt satisfaceret ORIGENES *lib. IV. contra Celsum*, statuit *cubitos* non vulgares ac vsitatos, sed *geometricos*, sex cubitis vulgaribus aequales, a Mose adhiberi, qua in re suffragantem sibi habet AVGVSTINVM, de *civ. Dei*, *lib.* XV. *c.* XXVII. Aliis saltem varias ob rationes probabile videtur, Mosen intellexisse cubitum Aegyptiacum; quo concesso arca duplo fere capacior erit, quam vulgo censetur. Quidquid sit, capacitatem arcae, etiam secundum communes cubitos intellectam, continendis hominibus, animalibus, & alimentis satis idoneam fuisse, IO. HENR. HEIDEGGERVS, in *historia patriarch. exerc.* XVII. §. 29. erudite ostendit. Probat enim, arcae capacitatem fuisse 457050 cubitorum; animalium autem species, quas arcam ingredi necesse erat, non vltra trecentas dari, quarum proinde vnaquaeque centum cubitos commode occupare potuerit. Sed de arcae structura conferantur IOAN. BVTEONIS, & MATTHAEI HOSTI commentarii, *tomo* VI. *criticorum sacrorum p.* 83. 104. inserti. Nec non EDVARDI STILLINGFLEET *origines sacrae*, *lib.* III. *c.* IV. & peculiaribus libris, IO. TEMPORARIVS, IO. LE PELLETIER, & ATHANASIVS KIRCHERVS, cuius demonstrationes in compendio exhibet GE. ALB. HAMBERGERVS, de *vsu matheseos in theol.* §. LIX. *seqq.* † Quomodo BEN. SPINOZAE, aliisque empaectis, *labrum aeneum* in templo

† Adde cel. IO. IAC. SCHEVCHZERI *figuras biblicas*, sive physicam sacram, *tab.* XXXVI. *seqq.*

Salomonis arrodentibus, eiusque dimensionem, ab auctore sacro traditam, ἀγεωμετρίας accusantibus, ex principiis mathematicis respondendum sit, peculiaribus commentationibus ven. HENR. KLAVSINGIVS, & LEONH. CHR. STVRMIVS commonstrarunt. Addatur cel. GE. ALB. HAMBERGERVS *loc. cit.* §. XX. SAM. REYHERVS, in *matheſi moſ. p.* 715. ven. SAL. DEYLINGIVS, *obſeru. ſacr. lib.* I. *obſ.* XXIII. *p.* 108. Similiter ex principiis chronologicis & astronomicis ostendi potest, eo tempore, quo Israelitae sinum arabicum traiecerunt, minime ordinarium maris refluxum fuisse, quod cum PORPHYRIO multos scripturae osores adseruisse constat; vt singulari diss. erudite demonstrauit IO. GVIL. BAIERVS, in *diss. mathematica: An tempore transitus Israelitarum per mare rubrum fuerit ordinarius refluxus, seu detumescentia?* Addatur ven. SAL. DEYLINGII *obseru. sacr. lib.* III. *obs.* V. §. XIV. Ex quibus speciminibus mathematum in vindicanda sacri codicis veritate egregius vsus abunde patet.

*** De ponderibus ac mensuris veterum ebraeorum videatur BRIANI WALTONI *adparatus biblicus p.* 95. CASP. WASERI *libri tres* de *antiquis mensuris ebr.* qui exstant *tom. VI. criticorum ſacr. p.* 1034. EDVARDVS BERNARDVS, de *ponderibus & mensuris antiquis.* IO. CASP. EISENSCHMID, de *ponderibus & mensuris veterum graecorum, romanorum, ebraeorum*, nec non ABR. CALOVIVS, in *bibliis illustr. tom. I. p.* 173. 185. ex quo sequentes exhibere placet tabulas, multis scripturae locis intelligendis vtilissimas.

TABVLA PONDERVM IN CODICE SACRO.

	libras	*vncias*	*graua*
Talentum auri ponderat -	1500	- -	- -
Talentum argenti ponderat 3000 ſiclos, ſiue - -	125	- -	- -
Mina auri ponderat 200. drachmas atticas, ſiue -	75	- -	- -

Mi-

	libras	uncias	grana
Mina argenti ponderat 240 drachmas, siue	2½		
Drachma ebraea, (atticarum dupla) ponderat		¼	
Siclus argenti		½ seu	320
Drachma argenti		¼	80
As, in aere, 4. drachmas ponderat		1	
Assarius, semissis, 2 drachmas ponderat		½	
Quadrans drachmam ponderat		¼	
Minutum semidrachmam pond.		⅛	

TABVLA MENSVRARVM

Aridorum		Liquidorum.	
Choenix continet *ova*	12	*Log* & ξέστης continet *ova*	6
Cabus	24	*Hin*	72
Gomer	43	*Bathus*, μετρητὴς & βάτος	432
Sea & σάτον	144	*Corus*	4320
Chomer & *Corus*	4320		

TABVLA MENSVRARVM LONGITVDINVM.

	stadia	passus	pedes	palmos	digitos	grana
Digitus continet						4
Palmus					4	
Spithama				3	12	
Pes				4	16	
Cubitus				7	28	
Passus continet				10	60	
Calamus mensorius				42	168	
Stadium		125	625	2500		
Μίλιον, *miliare* (italicum) *iter sabbati*	8	1000	5000	20000		
Miliare germanicum	32	4000	20000	80000		

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0485
DFG

TABVLA NVMMORVM CODICIS SACRI, ad Misnicos nummos reductorum.

Talentum auri	*Ioachim.*	*Groſſ*	*Pfennig*	*Heller*	*Scherf*
valet	18000	- -	- -	- -	- -
Talentum argenti, 3000 ſiclorum	1500	- -	- -	- -	- -
Mina auri, 200 drachmarum atticarum, 50 ſiclorum	300	- -	- -	- -	- -
Mina argenti, 2 10 drachmarum, 60 ſicl.	30	- -	- -	- -	- -
Drachma auri ebraea, atticarum dupla	3	- -	- -	- -	- -
Siclus, Keſeph, διδραχμα (vt habent LXX interpr.) τετράδραχμα, iuxta attic. drachm. ſtater dimidiae vnciae	- -	12	- -	- -	- -
Beka, dimidius ſiclus διδραχμα Matth. XVII, 24.) δράχμα, iuxta LXX interpr.	- -	6	- -	- -	- -
Triens ſicli valet	- -	4	- -	- -	- -
Sicli quadrans, drachma attica (argenti,)					

de-

	Ioachim.	Groſſ.	Pfennig	Heller	Scherf
denarius romanus	- -	3	- -	- -	- -
Gera, vigeſima pars ſicli, *Agora*, *Megha Keſitha*, ὀβολὸς apud LXX	- -	- -	$7\frac{1}{5}$	- -	- -
Obolus italicus, ſexta pars drachmae	- -	- -	6	- -	- -
As, decima pars denarii.	- -	- -	$3\frac{3}{5}$	- -	- -
Aſſarius, vigeſima pars denarii.	- -	- -	$1\frac{4}{5}$	- -	- -
Quadrans, quadrageſima pars denarii, δύο λεπτὰ, dupondium	- -	- -	$\frac{9}{10}$	$1\frac{4}{5}$	- -
Chalcus, octaua pars oboli italici	- -	- -	- -	$1\frac{1}{2}$	3
Minutum, λεπτόν, octuageſima pars denarii	- -	- -	- -	- -	$1\frac{4}{5}$

Ceterum de *nummis* ac *re numiſmatica ebraeorum* videri poſſunt HERM. CONRINGII *paradoxa de nummis ebraeorum.* CONR DIET KOCHII diſſ. de *re nummaria V. & N. T. contra Ioan. Harduinum.* ED. BERREWOOD, de *ponderibus & pretiis veterum nummorum*, quae commentatio inſerta legitur tum BRIANI WALTONI *adparatui biblico*, *p. 81.* tum cri-

critic. sacr. tom VI. p. 1093. CASP. WASERVS, de *antiquis nummis ebraeorum*, ibid. *tom. VI p. 925.* IO. ANDR. SCHMIDIVS & SAL. DEYLINGIVS, *obseru. sacr. lib. III p. 175.* de *re monetali ebraeorum.* GE. WOLFG. WEDELIVS, de *nummis V. T. in exercitat. medico-philol. centur. II. decade I. n VII.* Adde ven. VAL. ERN. LOESCHERI tres diss. *de vsu nummorum veterum in studio theologico.*† Plures auctores dabit cel. IO. ALB. FABRICIVS, in *bibliographia antiqu. c. XVI. §. IX. p. 531.* & IAC. LE LONG, *biblioth. sacr. tom. II. p. 1051.*

§. VII.

Cauendum tamen hic est diligentissime, ne in consectandis minutiis seduli, magis necessaria negligamus, aut, dum corticem lambimus, nuclei fastidio capiamur. Terreant nos aliorum vestigia, qui, vbi animum, mathematicis demonstrationibus turgidum, ad res diuinas adplicuerunt, opinionum monstra exclusere. *

* Ita ANDR. GERH. HYPERIVS, de *recte formando theologiae studio, lib. I. c. V.* obseruauit, *Artemonitas* haereticos geometricis demonstrationibus Euclidis, praeterea Aristotelis, Theophrasti & Galeni argutiis sacra dogmata inuoluisse. Recentius exemplum suppeditare potest IO. CRAIGIVS, qui Londini MDCXCIX. edidit *theologiae christianae principia mathematica*, quo libro christianae religionis terminum fatalem, subductis calculis, egregie scilicet definiuit. Probare nimirum conatur, omnia, quae ex hominum testimonio credamus, siue inspirata sint, siue minus, saltem probabilia esse. Suppo-

† Insertae illae sunt *tomo dissertationum sacri & litterarii argumenti, p. 153. seqq.* Conf. etiam cel. LAMPII comment. *in Psal. XLV. p. 354. 357.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0488
DFG

Supponit porro, hanc probabilitatem semper decrescere, pro incremento scilicet temporis, ex quo testes illi vixerint, quibus fidem habeamus. His ergo calculo *algebraico* computatis, putat religionis christianae probabilitatem adhuc per annos 1454. duraturam, postea fere nullam fore. Ecquid vero tandem est otio ingenioque abuti, & religionem risui exponere, si hoc non est?

Quanta ex *abusu matheseos* in disciplinam sacram damna redundent, elegantissime exponit STEPHANVS GAVSSENVS, in diss. *de vtilitate philosophiae ad theologiam p.* 306. ed. Hall. p. 295. *Nos matheſin facimus plurimi, ſi ſe intra philoſophiae pomoeria contineat, nec in diſciplinam ſacram irrumpere moliatur. Nam quae vt philoſophica mirabamur, ſi vltra ſortem ſapiant, & rerum diuinarum ſatagant, inepta, puerilia, ſtulta repente nobis fiunt. Amplius dico, qui ſit excellentiſſimus mathematicus, eum excellentem theologum eſſe non poſſe. Cauſſam quaeritis? facilem dabo. Nempe mathematicorum demonſtrationes ad imaginationis ſphaeram attinent. Theologicae contra rationes imaginationis aeſtimatione adeo non ſtant caduntue, vt iis ſua aliter conſtare nequeat veritas, quam ſi intellectus ab imaginatione abducatur. Quare ſi quem mathematicum, qui in ſua arte conſenuerit, a puluere & radio excitemus, vt noſtra pro verbi diuini diuinitate argumenta ponderet, ille imaginationi immerſus vt eſt, ad ſublimia illa numquam poterit adſurgere; quin conſuetudine penſitandi res inferioris ordinis, tamquam pondere degrauatus, deorſum ſubinde relabetur.* Miracula *proponis? tum ſibi ille probari poſtulabit, nullam eſſe tantae potentiae creaturam, quae diſiectas corporis partes recomponere, & animam in eas poſtliminio reducere valeat?* Prophetias *urges? ſibi apodictice oſtendi petet, Deum ſolum eſſe, cui rerum contingentium praeſcientia*

tia conueniat. Enimuero hoc ipsum est, quod vir impius, cetera maximus, satis aperte testatus est, quando morti proximus, quum pro more sciscitaretur, qui morienti adsistebat, ecclesiastes: ecquid de fide christiana sentiret? hoc vnum, *inquit*, bis duo esse quatuor. *Quod qui eo rerum articulo profitetur, hoc clare videtur dicere, nihil a se in negotio religionis recipi, nisi quod cum mathematicorum demonstrationibus de claritate certet.* Addimus CAMP. VITRINGA, viri iudicioſissimi, & a partium ſtudio ea in re alieni, querelas, quas *comm. in Esa. tom. II. p.* 915. ad Esa. LIX, 5. 6. fudit: *Post & praeter innumeras hypotheses, auctoritati scripturae sacrae plane iniurias, non contemnendo ingenio, & variae saepe eruditionis litterariae fuco industrie atque subtiliter instructas ornatasque; prodierunt integra systemata profanorum ac detestabilium philosophematum, per modum demonstrationum* MATHEMATICIS *vsitatarum, dolose ac fraudulenter, licet subtiliter contexta, ad incautos implicandos studiose adornata, exeuntia tandem in merum atheismum, luxata omni verbi diuini auctoritate, soluto omni societatis ciuilis vinculo, & sanctissima fide prostituta atque irrisa; vt quod Petrus praedixerat fore, vt vltimis diebus prodirent ἐμπαῖκται, irrisores, hoc tempore verissime impletum sit.* Nimirum per OVA BASILISCI, & TELAS ARANEORVM, de quibus vates loco citato loquitur, intelligit vir doctus *profana philosophemata, foetus cogitationum & meditationum animi, subtiliter & artificiose contexta ex varia cogitationum serie, subinde per modum longioris ratiocinationis ex hypothesibus adsumtis deducta, & ad formam demonstrationis subtiliter composita, quae ad primam speciem occultant pestilens quid, quod intus latet, & incautos fallit; sed pressa ab his, qui ea examini diligentiori committunt, deprehenduntur continere merum ac letiferum virus,*

& ad

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0490
DFG

& ad vsum, ad quem ordinata videbantur, hoc est, ad veritatem solide demonstrandam, & veram religionem distinctius percipiendam, nihil valere. †

Quid igitur? Num prorsus in exilium pellenda matheſis est? Minime vero. Tollatur abusus, & maneat vsus, quem in explicatione scripturae sacrae amplissimum esse, libenter confessi sumus. Conf. cel. IO. ALB. FABRICII *biblioth. graec. lib.* III. *c.* XIV. *p.* 375. & ven. HENR. KLAVSINGII diss. *de methodo demonstrandi mathematica, ad res theologicas non adplicanda.* Addantur eiusdem dissertationes *de matheſi sacra*, & *de matheſi non sacra*, s. *abusu mathematum in sacris.*

§. VIII.

Non minorem vsum praestat *verum naturalium scientia*, historiae naturali iuncta, sine qua multa in sacris monumentis haud satis recte intelliguntur. Hac duce quam plurima loca, quae operum DEI in stupendo illo naturae regno mentionem faciunt,* altius introspicimus: multas Christi parabolas,** aliasque virorum sacrorum similitudines,*** ad res diuinas declarandas, ex rerum naturalium ambitu accersitas, felicius intelligimus: in miraculis denique, quae scriptura recitat, explicandis, & contra quos-

† PETR. POIRET, *de eruditione solida, superficiaria & falsa lib.* III. §. 65. obseruat, genium mathematicum animas, intemperantius occupatas, imbuere fatalismo, insensibilitate spirituali, incredulitate & praesumtione fere insanabili. Nam, quando, *inquit*, in pertractandis numeris, figuris & machinis suis omnia vident ex se inuicem sequi, velut fataliter, non autem ex libertate: inde principiis & nexibus rerum quasi necessariis & fatalibus considerandis sic adsuefiunt, vt e rerum etiam spiritualium natura & regimine libertatem prorsus eliminent, fatalemque in omnibus necessitatem adstruant. Adde quae de hoc iudicio iudicet ven. BVDDEVS, in *isag. p.* 330.

uis irriſorum inſultus vindicandis, maiori dexteritate verſamur. ****

* Nemo ſane vel primum caput hiſtoriae moſaicae, quo *rerum omnium creatio* exhibetur, † adcurate exponat, ſi phyſices prorſus ſit imperitus. Hanc facem qui ſecum adtulerit, facile diſſipabit CELSI ac SIMPLICII calumnias, qui illam hiſtoriam ἀτέχνως καὶ ἀθεωρήτως *absque vlla arte & conſideratione* ſcriptam eſſe pronuntiabant; qui tamen praeluſiſſe videntur noſtrorum temporum empaectis, qui idem adſerere haud erubeſcunt, atque, ne deſit impietati vmbraculum, praetexunt *rude, ſtolidum ac tantum non brutum Iſraelitarum Aegyptiacorum ingenium*, quod obſtitiſſe dicunt, quo minus Moſes, ad illorum ſcilicet captum ſeſe adcommodaturus, ſecundum philoſophiae regulas, ſed rudi dumtaxat Minerua, ſatisque inepte, mundi hiſtoriam conſignarit: quorum proteruiam eruditiſſima oratione, *de ingenio Iſraelitarum Aegyptiacorum*, refutauit ven. SAL. DEYLINGIVS, *obſerv. ſacr. lib. I. p.* 343. Adde quae nouo empaectae, hiſtoriam creationis indignis modis perſtringenti, repoſuit ven. IOACH. LANGIVS, in *epimetro hiſtoriae eccl. V. T. p.* 973. Non ſubſiſtunt autem athei in ſola mundi conditi hiſtoria, ſed, omnem fidem Moſi erepturi, ad *diluuii* deſcriptionem pergunt, atque vniuerſum terrarum orbem aquis obtectum fuiſſe, non minus ineptum eſſe cenſent, quam ſi adfirmes, *hominem ſputo ſuo ſubmerſum ſuffocatumque aliquando fuiſſe* vt GVIL. NICHOLSIVS, in *conference vvith a Theiſt*, *part.* II. *p.* 184. obſeruat. Iſti igitur homines non rectius, quam ex principiis phyſicis refutari poſſunt, ex quibus IO. A PELLETIER, WOODWARDTVS, GVIL. WHISTONVS, GVIL. NICHOLSIVS

† Vid. Cl. IO. FRID. WVCHERER *hiſtoria creationis, obſeruationibus phyſicis illuſtrata.*

SIVS dudum probauerunt, diluuium eo modo, quo Moſes illud deſcripſit, fieri, ac vniuerſum terrarum orbem aquis ſubmergi deſtruique potuiſſe; quamuis id ſine extraordinario numinis concurſu fieri non potuiſſe doceat RICH. BENTLEIVS, in *ſtultitia atheiſmi, ed. germ. p. 133.* Addatur YVONIS GAVKES, diſſ. phyſico-geometrico theologica: *de diluuio*, quae exſtat in *bibl. Brem. claſſ IV p 798.*

Praeterea ſaepiſſime in ſcripturis mentio iniicitur *arborum*, *animalium*, *gemmarum*, aliarumque rerum naturalium, quae ſine hiſtoriae naturalis ſubſidio penitus intelligi explicarique non poſſunt. De *arboribus*, *herbis*, *plantis*, *aromatibus* videndus eſt IO. HENR. VRSINVS, in *arboreto biblico*, cui ſubiungitur, *phytologia ſacra*, *herbarius ſacer*, *& hortus aromaticus.* THOMAS BROWN, in *obſeruationibus*, *de plantis*, *in ſacra ſcriptura memoratis* ANDR. COQVIVS, in *hiſtoria ſacra plantarum*, *arborum & herbarum ſacrae ſcripturae* † De *animalibus* biblicis proſtat SAM. BOCHARTI *hierozoicon*, opus abſolutiſſimum, & ſtupenda eruditione refertum, cuius epitomen dare coepit IO. HENR. MAIVS, in *hiſtoria animalium* MDCLXIV. edita, qui tamen Bochartum hinc inde emendauit. Cui iungi poteſt WOLFG. FRANZII *hiſtoria animalium ſacra*, locupletiſſimis commentariis a IO. CYPRIANO aucta. De eodem etiam argumento IO. BVSTAMANTIVS, medicus Complutenſis, de *animalibus ſcripturae ſacrae reptilibus*; GODOFR. MVLLERVS in *Θηριολογία biblica*; HERM. HENR. FREY, *de animal. biblicis*, *germ.* IO. HENR. VRSINVS, *lib. IV. miſcel. ſacr.* SAL. TILLIVS in *Zoologia ſacra*, aliique commentati ſunt. De *gemmis ſacris* poſt EPIPHANIVM *περὶ*

† Quibus acceſſit MATTH. HILLERI *hierophyticum.* OLAVVI CELSII, theologi Vpſalienſis, *paradiſus* in actis litterariis Sueciae *trim. IV. an. 1723. p. 486.* promittitur.

περὶ τῶν δώδεκα λίθων, tom. II. operum p. 225. ed. *Petauii*, legendus est MATTHAEVS HILLERVS, de *duodecim gemmis in pectorali summi pontificis* IO. BRAVNIVS, *de vestitu sacerdotum ebr. lib. II. c. VIII.* EDVARD. BERNHARDVS, in notis ad *lib. III. antiqu.* FL. IOSEPHI, *p.* 180. *seqq.* FRANC. RVEVS *de gemmis aliquot*, quarum mentio fit in *apocalypsi.* De *sapphiro* scripturae ven. IO. GVIL. BAIERVS, Aldorf. de *Iaspide* cel GE. WOLFG. WEDELIVS, *exercit. medico philol. cent. I. decade X. exercit. VIII.* disseruerunt. Addatur IO MATTHESIVS, qui sub tit. *Sareptae*, dedit expositionem locorum scripturae, in quibus aliqua *rei metallicae*, cuius illae admodum peritus erat, mentio facta legitur.

Generatim iis scripturae locis, qui ex doctrina physica lucem desiderant, explicandis operam impendit FRANC. VALLESIVS, in *philosophia sacra.* VAL. HENR. VOGLERVS, de *rebus naturalibus ac medicis, quarum in scriptura fit mentio*: it. in *physiologia historiae passionis Iesu Christi.* IO. DE MEY in *physiologia sacra.* IO. IAC. SCHMID in *biblischen Physico* † Quumque in *Iobi* libro multa veteris physicae vestigia legantur, iis illustrandis egregie inseruit IO. SCHEVCHZERI *physica Iobi*, lingua germanica conscripta, qui & in praefatione testatur, se integrum *commentarium in V. ac N. T. scripturas* praelo paratum habere, in quo locis, quae *ex physicis ac mathematicis disciplinis* exponenda sunt, lucem adfundere studebit; cuius specimen dedit in *biblioth. Brem. class. II. fasc. III. p. 397* †† Addatur cl. GODOFR. VOCKERODTI de *foetura Iacobi artificiosa* dissertatio, quae exstat inter *exercit.* eius *academicas. p. 328.*

** Huc

† Plures recenset IAC. LE LONG, in *biblioth. sacr. tom. II. p. 1045. seqq.*

†† Excusa iamdum est pars operis cum figuris elegantissimis, sub tit. *physicae sacrae.*

** Huc ex. gr. pertinet, quando Christus Matth. V, 13. discipulos suos adpellat *sal terrae*, quo agri emendantur, hoc est, quorum dictis & factis genus humanum ad virtutem concitari debeat. Hic nimirum historia naturalis docet, non id esse intelligendum de sale communi, qui cibis condiendis adhiberi solet. Illud enim salis genus sterilitatem potius terris inducit, teste PLINIO, *hist. nat. lib. XXXI. c. VII. Omnis locus, in quo reperitur sal, sterilis est, nihilque gignit*, coll. Iud. IX, 45. Psal. CVII, 34. Sed sal intelligitur, qui agris fructificandis inseruit. Ita vero dici videntur *lixiui cineres*, qui si per prata spargantur, siue soli, siue fimo misti, multum illis foecundandis prosunt. Vnde IO. CLERICVS, in *harm. euang. p.* 108. illum locum παροιμιάζει: *Vos estis, o quicumque meam doctrinam amplectimini, velut salsi cineres, quibus agri foecundantur, & quibus, si dematur ablutione, quidquid habent salinum* (ἐὰν μωρανθῇ) *nulla re salsugo restitui potest, ideoque nulli amplius vsui esse possunt ad foecundandos agros, sed in viam publicam calcandi omnibus abiiciuntur.* cet. Veteres autem vsos fuisse cinere, ad arua ac prata fructificanda, PLINIVS docet, *lib XVII. cap. IX.* Mauult tamen ven. SAL. DEYLINGIVS, *observ. sacr lib. I obs XLI. §. V. margam* intelligere, *pinguedinis genus, alendae terrae valde adcommodatum*, cui ea omnia conueniant, quae seruator de sale terrae adfirmet ac negat. Plura talia dabit CAMP. VITRINGA, IO. D' OVTREIN & alii, qui *parabolis Christi* explicandis operam dederunt.

*** Bene AVGVSTINVS *lib. II de doctrina christ. c. XVI. Rerum physicarum ignorantia facit obscuras figuratas locutiones, quum ignoramus vel animantium vel lapidum vel herbarum naturas, aliarumque rerum, quae plerumque in scripturis similitudinis alicuius gratia ponuntur.* Ita viri sancti saepius

pius homines obstinatos & ἀπειθεῖς comparare solent cum *serpentibus, qui aurem obturant, quo minus audiant vocem incantatoris;* vt Psal. LVIII, 5. 6. Vbi disputant viri docti, vtrum illa incantatio naturalibus ex caussis, an diabolicis artibus facta sit? vid. SAM. BOCHARTI *hierozoicon part. II. c. VI. p. 385. seqq.* Plerasque difficultates tollit, quae cel. IOBVS LVDOLFVS, *comment. ad hist. aeth. p. 137. seqq.* refert de *herba*, quam Habessini *Assazoe* dicunt, quae venenatissimos serpentes quasi stupidos & exanimes reddit. Hac igitur instructi venefici, carminibus ac mussitationibus suis ea efficere imperitae plebi videbantur, quae ab ipsius herbae virtute proueniebant. Accedebat certum *soni* genus, quo serpentes, a se congregatos, stupidos ac impotentes faciebant, aduersus quem callidae illae bestiae aurem surditate armabant. Ita quum Christus Cant. I, 13. comparatur cum *fasciculo myrrhae*, ex historia naturali sciendum est, *myrrham* esse succum condensatum, vel resinam fruticis, in Arabia copiose crescentis, amari quidem gustus, sed praestantissimi odoris, atque nobilissimi vsus, per vim, quam habet, glutinandi, siccandi, abstergendi, adeoque a putredine seruandi, & corroborandi. Haec myrrhae attributa vbi ex physicis cognita atque perspecta sint: tum demum de re spirituali, cui haec attributa analogice competant, feliciter cogitare licet. Plura talia in excellentissimo illo cantico occurrunt, de quibus THOM. BRIGHTMANNVS, IO. MARCKIVS, CASP. HEVNISCHIVS, ABR. HELLENBROECK & alii praestantiores libri interpretes conferendi sunt. Addatur LEVINI LEMNII *explicatio similitudinum & parabolarum, quae in bibliis ab herbis & arboribus desumuntur.* IOACH ZEHNERI *similitudines biblicae;* & quae passim ex naturali doctrina ad illustrandos scripturae tropos suae *rhetoricae* sacrae SAL.

GLAS-

GLASSIVS; & eruditissimo suo in *Esaiam* commentario, CAMP. VITRINGA adsperſit.

**** Quum nimirum *miracula* sint eiusmodi opera, quae praeter & supra communes naturae leges, a DEO ordinatas, fiunt; nemo rectius eorum veritatem perspicere ac vindicare poterit, quam qui vires naturae legesque motus, quantum fieri potest, habuerit perspectas; vt iudicare possit, quid *per* naturam, quid *praeter* naturam, quid *supra* naturam, suspensis ipsius legibus, fieri queat; vti obseruat ADAM. RECHENBERGIVS, in dissertat. *de theologiae & philosophiae pugna adparente p.* 30. *sqq.* & SAM. BIERMANNVS, in *impietate atheistica scoptico-sceptica detecta & confutata*, *lib.* III. *c.* I. *p.* 378. Exemplum adiiciamus. Narratur 2 Reg. VI, 1-7. historia *ferri natantis* in superficie aquarum. Verum illud fuisse miraculum, ex interiore notitia physices facile probari potest. Nil enim notius, quam grauia descendere, ferrumque, aquae iniectum, subito fundum petere. Cuius rei caussa putatur aeris pressura, ferrum secundum amplissimam superficiem tangentis. Ferrum enim est corpus solidum, vnde naturaliter fieri non potest, vt ad fundum demersum, iterum sua sponte sursum adscendat. Proinde factum illud fuit supra leges naturae; neque enim vlla potentia humana columnam aeris auertere potest, quo minus corpus aliquod solidum premat. Sic modum huius miraculi explicat SAL. TILLIVS, in *opere analytico part.* I. *pag.* 704. Addatur IO. BOECLERI, medici Argentoratensis, dissertat. physica *de ferro miraculose natante*. Ita sunt, qui *aquae amarae sanationem* Exod XV, 22. 23. per naturalem iniecti ligni virtutem, absque miraculo, factam esse contendunt, quod post SIRACIDEM c. XXXVIII, v. 5. IOSEPHVM, AVGVSTINVM, etiam CORNEL. A LAPIDE, PET. DAN. HVETIVS, *in quaest. alnetanis lib.* II. *c.* XIII. IO. CLERICVS, aliique statue-

tuerunt. Verum IO. MARCKIVS, in *exercit. bibl. V. T. exercit.* IV. §. XII. & ven. SAL. DEYLINGIVS *obseru. sacr. lib.* III. *obseru.* VI. *p.* 52. rectius docent, per causſas naturales fieri non posſe, vt tanta vis aquae prorsus amarae, & ad potum ineptae, tantilla ligni iniecti parte, tam subito emendari potuerit, vt cum voluptate a multis hominum myriadibus biberetur. Addantur auctores, qui de miraculis commentati sunt, BERNH CONNOR in *medicina mystica de suspensis naturae legibus, siue de miraculis,* cum iudicio tamen legendus; GVIL. FLEETWOOD in *der gründlichen Untersuchung der Wunderwercke.* CASP. CALVOERIVS, in *gloria Mosis.* IO. GE. ABICHT, in dissert. *de miraculis apostolorum.* YVONIS GAVKES, med. doct. dissert. physica *de miraculis, more mathematico elaborata, & exemplis, e sacra scriptura depromtis, confirmata,* quae exstat in *bibl. Brem. classe* III. *fasc.* IV *p.* 581. Iungatur, quae de vero conceptu miraculi disserit ven. IO. FRANC. BVDDEVS, in *thesibus de atheismo & superstitione p.* 289. 605. *seqq.*†

§. IX.

Ceterum, quum in huius etiam studii ad scripturam sacram adplicatione variae *syrtes* occurrant, ad quas interpres sacer impingere queat; prudenter illae declinandae atque vitandae sunt.*

* Scilicet studiose cauendum est

I. *Ne proprias hypotheses, quas de rebus naturalibus excogitauimus, aut certae sectae sententias, in scripturam sacram inferamus.* Quam variis interpretationibus *historia de* rerum omnium *creatione* Gen. I. II. exposita sit, nemo doctiorum ignorat. *Iudaeorum* de opere creationis sententias IO. HENR. HOTTINGE-

† Et SAM. CHRISTIAN. HOLLMANNVS, in comment. phil. *de miraculis eorumque criteriis*, a vulgari sententia passim discedens.

GERVS exhibet singulari & erudito libro *de historia creationis*. Nouas hypotheses excogitauit ac Mosi adfinxit THOMAS BVRNETIVS, *in theoria telluris sacra*, cuius de geogonia sententiam ven. IO. FRANC. BVDDEVS, in *elem. philos. theoret. part.* III. *c.* I. §. V. *seqq.* exhibuit; IANVS vero BIRCHERODVS in *Anti-Burneto* refutauit. *Cartesiana* principia in historia creationis quaerit & feliciter etiam inuenit, qui *Cartesium Mosaizantem* scripsit, IO. AMERPOEL, Groninga-Frisius: quod & LVD. DE BEAVFORT, medicus parisiensis, fecit in *fabrica mundi explicata*; quibus RENAT. CARTESIVS ipse praeiuerat, *epistolarum tom.* II. *epist.* XXIV. & LIII. vbi Mosen secundum philosophiam suam explicare tentauit. Eos, qui principiis physicae *Aristotelicae* imbuti sunt, plerumque parum honorifice de Mose sensisse, eiusque de rerum ortu narrationem in allegorias conuertisse, obseruat EDMVND. DICKINSON, in *physica vetere & vera p.* 5. *& c.* XX. *p.* 495. Nihilominus IOAN. ZEISOLDVS, in *Aristotelis cum scriptura sacra consensu, ab eaque adparente dissensu*, Ienae, MDCLXVII. edido, Mosen & Aristotelem amicissime consentire, orbi persuadere voluit: qua tamen de re videatur ven. IO. FRANC. BVDDEI obseru. *de conciliatione philosophorum cum scriptura sacra, obseru. Hallens. tom.* III. *obseru.* XIII. § V. VI *p.* 239. Addantur IO. HERMANNI AB ELSWICH *philosophumena, viris sanctis temere adficta*. Quid de ROB FLVDDII *philosophia mosaica*, IAC BOEHMII *mysterio magno*, IO. HEYDONI *harmonia mundi*, HELMONTIO, aliisque physicae mosaicae interpretibus paradoxis, habendum sit, cel. DAN. GE. MORHOFIVS docet in *polyhist. philos. lib.* II. *part.* I. *c.* III. *p.* 160 166. Alii passim in Mose vestigia *artis chemicae* inuenerunt. Ita EDM. DICKINSON, in *physica vet. & vera c.* XX. *p.* 6. existimat, צֹהַר in arca Noachi Gen. VI, 16. minime

fuisse *feneſtram*, vt vulgo putatur, ſed *oleoſae naturae ſpiritum* (a rad. צהר *limpidus fuit* inſtar *olei*, vnde יצהר *oleum*) *ſubtilem, purum, fragrantem, & ad inſtar ſolis vndique radiantem, mire fouentem ac refocillantem effluuiis ſuis naturam*, vt *pag.* 501. illum deſcribit: hunc ſtatuit *per artificium chemicum* a Noacho confectum, ac vaſculis, e cryſtallo, vel vitro paratis, incluſum, atque in ſingulis arcae tabulatis ſuſpenſum, vt omnes manſiones ac animantium cellas illuminare, atque effluuiis ſuis ſaluberrimis imbuere valeret. Qua quidem ratione multa, quae circa arcam moueri ſolent dubia, feliciter ſolui poſſunt; interim vide, quid de illa hypotheſi iudicet ven. IOAN. FRANCISCVS BVDDEVS, in *hiſt. eccleſ. vet. teſtam. tom. I. p.* 174. Alii non inferre, ſed eruere ex Moſe principia, & ad illorum ductum hiſtoriam creationis explicare adgreſſi ſunt, quod facere conatus eſt IO. AMOS. COMENIVS, qui in *phyſica ad lumen diuinum reformata*, tria principia ſtatuit *materiam*, *ſpiritum & lucem*, ac *ſenſu*, *ratione* & *ſcriptura* duce, philoſophandum eſſe in rebus phyſicis, oſtendit. Quid de viri diligentiſſimi conatibus ſtatuendum ſit, DAN. GE. MORHOFIVS, in *polyh. philoſ. p.* 160. & ven. IO. FRANC. BVDDEVS, in *philoſophia ebraeorum §. XXXVI. p.* 300. pluribus docet. Quum vero in Comenio multa obſcura eſſent, aut non ſatis expedita, IOAN. BAYERVS, lycei Eperienſis rector, in *oſtio*, vel *atrio naturae*, Caſſouiae in Hungaria anno MDCLXII. edito, ea vlterius explicare ſtuduit; vti & ven. IOACH. LANGIVS edidit *phyſicae Comenianae, ad lumen diuinum reformatae, theſes, quibus ſecundum vera ſcientiae naturalis principia, ex Gen. I. deducta, mundani ſyſtematis ortus, diſtinctio & exornatio ordine ac connexione naturali exhibetur.* Idem, ſed non pari omnes ſtudio & ſinceritate, conati ſunt, OTTO CASMANNVS, qui *coſmopoeiam & vranographiam chriſtianam* edi-

edidit. CONRADVS ASLACVS, in *physica Mosaica* anno MDCXIII. edita. Scriptor anonymus (IOAN. ESPAGNETVS) in *enchiridio physicae restitutae*, ARNOLDVS BACHMIVS, in *pansophia enchiretica*, seu *philosophia vniuersali experimentali*, *in academia Mosis primum per sex priora capita Gen. tradita, demum per ignem probata & examinata:* Vir clarissimus, IO. FRIDERICVS WVCHERER, edidit *delineationem physices diuinae*, in cuius c. I. de mundi origine c. II. de mundi creati finibus, c. III. de corporum mundi proprietatibus agitur. Successit nuper *historia creationis, obseruationibus physicis illustrata.*

II. *Ne quasuis de rebus naturalibus fabulosas narrationes auide amplectamur, & ad scripturam illustrandam eas dem temere adhibeamus.* Ita AVGVST. MARLORATVS, in *expositione apocalypseos* ad cap. XXI, 1. *iaspidem* primum esse dicit inter pretiosos illos lapides, qui nouae hierosolymae fundamenta constituunt; quia hac praeditus sit virtute, vt hominem, qui illum gestauerit, imperterritum reddat, *ommemque spectrorum ac phantasmatum metum in eius animo extinguat.* Pulchram, ita pergit, *fidei* imaginem, quae facit, vt fideles nullas metuant mali daemonis illusiones. Plures eiusmodi de mirifica gemmarum virtute fabellas ALBERTVS M. & FRANC. RVEVS *de gemmis biblicis* larga manu suppeditant; quas peculiari dissertatione *de erroribus circa gemmas vulgaribus*, collegit & explosit ven. ADAMVS RECHENBERGIVS, in *volumine exercitationum in N T p. 793.* Has igitur simile ue obseruationes spurias qui adoptauerit, & ad scripturae loca illustranda adcommodauerit, nae is prudentiorum omnium risui sese exponet.

III. *Ne ex nostrae regionis indole res orientis naturales metiamur, quippe quae toto saepe caelo a nostris discrepant.* Mirabitur forte, qui Exod. XXIX, 22. legerit, *caudam* ouium cum reliquo *adipe* fuisse in victi-

mis concremandam. Sed mirari desinet, vbi audiuerit, caudas ouium, quae Syria ac Palaestina alebat, inusitatae magnitudinis fuisse. PLINIVS enim *hist. nat. lib. VIII. c. XLVIII.* refert, caudas nonnullarum ouium orientalium *cubiti* latitudinem habuisse; IAC. GOLIVS, in *lexico arab. f. 1723.* narrat, reperiri in ouibus orientalibus caudas, quarum minima *decem libras*; maxima *quadraginta libras* ponderet; id quod etiam FRANC. FERDINANDVS DE TROILO, *in der orientalischen Reisebeschreibung p. 482.* testatur. Vnde quoque fiebat, vt caudae illae pingues aptatis huic rei *vehiculis* imponerentur, ne per spinas ac paludes tractae, damnum acciperent; qualem figuram exhibet IOBVS LVDOLFVS in *historia aethiop. p 146.*

IV. *Ne principiis physicis ad destruendam potius, quam stabiliendam* MIRACVLORVM *veritatem vtamur.* PETR. POMPONATIVM inter alia eo quoque nomine atheismi suspicionem de se concitasse, quod in libro *de incantationibus* pleraque scripturae miracula caussis naturalibus adsignauerit, ven IO. FRANC. BVDDEVS refert *in thesibus de atheismo p. 120.* Idem tamen multis nostri seculi philosophis more receptum est, qui cum BEN. SPINOZA in tr. theol. pol. *ae libert. philosophandi c. VI. p. 67 nihil contra naturam contigere statuunt; sed ipsam aeternum, fixum atque immutabilem ordinem seruare, ex quibus longe certius, quam ex miraculis, Dei existentia & prouidentia cognoscatur.* Vnde per miraculum nihil aliud intelligunt philosophiae Spinozianae sectatores, quam *opus, cuius causssam naturalem exemplo alterius rei solitae explicare non possumus. vel saltem ipse non potest qui miraculum scribit, aut narrat;* vel vt SPINOZA libro *cit. c. IV. p 72.* describit, *opus naturae, quod captum humanum superat, aut superare creditur.* Eiusmodi vero miracula ne nomen quidem verorum miraculorum mereri, iudicat ven. BVDDEVS *loc. cit. p. 293.* Istis igitur hominibus

bus quum scripturae auctoritas opponitur; nihil aliud superest, quam vt vel ausu impudentissimo eam in dubium vocent, vel illam ita interpretentur, vt nihil in illis miraculis, quod contra naturae ordinem sit, deprehendatur; vti nostra aetate factum est in *historia euersionis Sodomae ac Gomorrhae*, in *transitu Israelitarum per mare rubrum*, in *columna nubis & ignis*, in *solis lunaeque ad Iosuae preces inhibito cursu*, aliisque Mosis, Eliae & Elisae miraculis. Quam nostrorum temporum faciem HERM. WITSIVS, in orat. *de felici an infelici rei publicae litterariae hoc seculo statu*, in *miscell. sacr. tom. II p. 948.* ita deplorat: *Multi, philosophico fastu inflati, rationis suae vlna quantumuis curta, cuncta sibi metienda sumunt. Et quod philosophiae, quam quisque pro captu sibi suo fingit, scitis minus consentaneum videtur, id mox vt DEO indignum reiiciunt, tametsi disertissimis verbis a sanctis DEI hominibus inculcatum sit. Ex his principiis ingens Mosi dica scribitur, super iis, quae de rerum omnium origine, & mundi solo Dei nutu conditi ordine, quae de primorum parentum per serpentem seductione, quae de orbis terrarum, vniuersali diluuio inundati, interitu, quae de Lothi vxore, in salis statuam conuersa, quae de prodigiis in Aegypto & Arabiae deserto factis, scripta reliquit: eaque vel palam falsi postulantur, vel alienissima interpretatione ita torquentur, vt alia omnia menti repraesentent, quam clara prae se fert verborum simplicitas. Quidquid in stupendis summi* „*numinis operibus admirandum est, id vel albis dentibus, vti absonum, ridetur, vel omni admirabilitate sua* „*spoliatur, vt naturae legibus, quas ad vnguem se callere* „*iactitant, non minus respondeat, quam ea, quae quotidie vsu venire videmus. Quis dubitat, quin ad totius religionis internecionem comparata sint haec omnia? Quibus tamen dici non potest, quam multi capiantur, qui rarioris, liberae ac generosae cuiusdam sapientiae nomen adfectant.* Hinc etiam quid de celeberrima auctoris

ris *ephemeridum philologicarum* instituto habendum sit, facile iudicari potest, qui nuper adhuc miraculum *in horologio Achazi* 2 Reg. XX. & 2 Par. XXXII. ita interpretari adnisus est, vt illud nec in sole, nec in vmbra sed *in corpore decumbentis Ezechiae* per repentinam valetudinis restitutionem contigerit; quae meditatio exstat, in *biblioth. Bremens. class. I fasc. V p. 825* mox confutata a CL. BERNH. PETRO KARLIO, in eadem *biblioth. class. IV. fasc. IV. p. 635.* Addatur ven. IO. ANDR. SCHMIDII *sciaterium Achazi, & factum in eo miraculum*, & ven. IO. FRANC. BVDDEI *histor. eccles. vet. test. tom. II. p. 548.* Perniciosum illum esse scientiae naturalis abusum, cordatiores omnes sentiunt. Etsi enim (quod plerumque temeritati callide praetexitur) miracula non sint statuenda sine necessitate; non tamen etiam sine rationibus manifestis neganda sunt, vel ad causas naturales reuocanda: quippe quibus Deus demonstrare voluit, se naturae dominum esse, eiusque leges pro lubitu tollere atque suspendere posse.

V. *Ne scripturam, de rebus physicis loquentem, ad erroneos conceptus vulgi sese attemperare, facile adfirmemus.* Equidem scripturam, vbi de rebus diuinis & rationis aciem omnem excedentibus loquitur, per ἀνθρωποπάθειαν, more humano veluti balbutire, libenter concedimus. conf. quae supra diximus *lib. II. c. III. §. XIII. p. 141.* Dum vero de rebus naturalibus loqui *ex errore vulgi*, adeoque creatorem de creaturis suis apud creaturas ratione praeditas, falsum dicere testimonium, quis sibi facile persuadeat? *Fatemur* quidem 1. *scripturas eo fine nobis esse traditas, vt ad salutem erudiamur; vnde temerarium fuerit, integram physicam, vel astronomiam, vel alias philosophiae partes inde velle addiscere*, adeoque ab illis sibi talia polliceri, quae haud quaquam promittunt. Fatemur 2. *scripturae, vbi de rebus physicis disserit, non esse in more positum, vt*

omnes

omnes earum & externas & internas cauſſas, ſcholarum ritu, perſequatur. Fatemur 3. *ſi rei alicuius naturalis veritas ex certis & perſpicuis argumentis conſtet, tum eam non ideo eſſe negandam, quod ei dictum quoddam ſacrum in ſpeciem videatur aduerſari:* quippe quum verum vero numquam ſit contrarium; ſi quid ſenſus & ratio verum deprehenderit, illud non poſſit aut reuelatio aut fides deprehendere falſum, vt ISAAC IAQVELOT de *conform. fidei & rationis, part. II. c. XI.* egregie prorſus oſtendit. Quare AVGVSTINVS enitendum eſſe monet, vt quidquid ſapientes de natura rerum veracibus documentis potuerint demonſtrare, oſtendamus noſtris litteris, recte intellectis, non eſſe contrarium. In eo vertitur rerum cardo, quod *quidquid ſcripturae, a ſpiritu ſapientiſſimo & naturae auctore profecta, de rebus etiam naturalibus, ſiue ex profeſſo, ſiue obiter tradit ac docet, verum eſſe adfirmemus.* Quod ſi enim generatim irrefragabilibus argumentis demonſtrari poteſt, vt poteſt, ſcripturam, a veritatis ſpiritu inſpiratam, nihil vsquam falſi, aut vani adſerere, neque in paruis, neque in magnis; (qui enim in paruis mendax fuerit, quomodo in magnis fidem merebitur?) facile etiam ad res naturales illud extendi poteſt. Si enim quidquid dicit, eſt verum: etiam quidquid de rerum natura dicit, verum eſſe intelligitur.

Huic igitur adſertioni oppoſita eſt eorum hypotheſis, qui ſcriptores ſacros ſaepe *ad captum & exemplum errantis vulgi* loqui adfirmant. Quum enim vulgus de rebus naturalibus falſiſſimas ſaepe habeat notiones; ſcriptores ſacros, illis ſeſe accommodaturos, falſiſſima interdum protuliſſe neceſſe eſt. Ita vero ſpiritus veritatis non ipſos duxit in omnem veritatem Ioan. XVI, 13. ſed errantium numero ſeſe adiunxit. Interim illa hypotheſis multorum eruditorum animos, in Anglia maxime & Belgio, inprimis ſcholae Carteſianae diſcipulos, inuaſit, quam etiam non ſolum THOMAS BVR-

NETIVS, in *archaeolog. philos. lib.* II. *c.* IX. libenter adoptauit; sed & aduersarius ipsius, qui *Mosen vindicatum* ei opposuit, *c.* VIII. ambabus illi manibus concessit; quamuis *p.* 183. cautelas suppediret, isti hypothesi adiiciendas, ne quid scripturae honori illa detrahatur. Eius tamen argumenta solide confutata sunt in *actis eruditorum lipsiensibus, anni* 1695. *p.* 25. *seqq.* Plures illius sententiae patronos & aduocatos suppeditabit HENR. ASCAN. ENGELCKE, de *sententiis in scripturam sacram iniuriis, vel in ea tractanda minus tutis* §. XXIII. Et sane hanc doctrinam sententiis minus tutis iure esse accensendam, non difficile est demonstrare. Vide enim, quousque homines profani limites eius extendant. MICH. ANGELVS FARDELLA, philosophus Siculus, quum contra sententiam, a se receptam, *non dari extra nos corpora*, sibi quandam obiectionem ipse formasset ex illo Christi ad discipulos dicto: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet:* audacter respondet, Christum hic saltem *secundum opinionem atque dialecticam vulgi* esse locutum; vti refert vener. CHRIST. MATTH. PFAFFIVS, in oratione *de egoismo p.* 16. Similiter SPINOZA, *epist.* XXV. *oper. p.* 458. adfirmat, *scripturam in istis etiam locutionibus, quibus Deus dicitur de hominum actionibus cognoscere, statuere, iudicare,* SECVNDVM RECEPTAS VVLGI LOCVTIONES LOQVI, *quia ipsius intentum non sit, philosophiam docere, nec homines doctos, sed obtemperantes reddere.* Merito igitur viri prudentiores istam adcommodationem ad errores vulgi, proscribere, & solidis argumentis conuellere studuerunt. Ita prodiit CHRISTOPHORI WITTICHII *consensus veritatis, in scripturis diuinitus reuelatae, cum veritate philosophica ex mente Renati Carteſii*, qui tamen, quum concederet, *scripturam vti sermone, e triuio desumto, & phrasibus, quae ex praeiudiciis ortum trahunt;* aliorum viro-

virorum doctorum calamos contra se concitauit. Huc pertinet IAC. DVBOIS *veritas & auctoritas scripturae in rebus philosophicis*. ABDIAE TREW *examen hypersophiae antibiblicae*. In primis IOAN. BRVNSMANNI *gratia naturae interpres*, siue *aduersus nouitatis aegros defensio communis theologorum sententiae, aientis, sacrae verba scripturae non minus physicis de rebus, quam de ceteris vim habere probandi*. Francofurti, MDCLXXXVIII †

Quomodo igitur, inquis, si haec sententia reiicienda putatur, explicanda erunt scripturae loca, quae adsertiones, naturalis philosophiae obseruationibus in speciem contrarias, complectuntur: vt quando Genes. I, 16. *luna*, non solum *lumen* dicitur, sed & *magnum*, quum obseruationes astronomicae doceant, lunam non solum esse luce cassam, sed & multis stellis minorem; quando de *fenestris caeli* Deut. XXX, 4. de *quatuor angelis terrae* Apoc. VII, 1. cet. passim differitur. Equidem IO. BRVNSMANNVS, in *gratia naturae interprete*, integro *libro* V. *p.* 280. *seqq.* omnia illa loca ordine persecutus est, & quomodo apte exponi possint, erudite commonstrauit. Generatim vero adscribere lubet, quae ven. SALOM. DEYLINGIVS, *obseru. sacr. lib. I. p.* 355. ea de re monuit. *Scriptura*, inquit, *interdum sensuum experientiam, siue ideas, sensus maxime ferientes, sequitur, & de corporibus caelestibus perinde ac terrestribus non aliter loquitur, quam prout sensus illa nobis repraesentant, quia quidquid de corporibus scimus, per sensus nobis innotescit. Quas loquendi formulas artis periti* OPTICAS *adpellare solent. Quid igitur obstat, quo minus adfirmemus & largiamur, scripturam nonnullis in locis non physice, sed* OPTICE, *siue secundum obseruationem sensuum*,

† Addatur *dissert.* nostra, qua hypotheses *de adcommodatione Scripturae ad erroneos conceptus vulgi* modesto examini subiicitur. Halae 1727.

& ſicut ſenſibus res comprehenduntur, loquutam eſſe. Nonne ipſimet aſtronomi lunam ad hanc vel illam ecliptícae partem referunt, in qua vere non eſt, ſed oculis noſtris adparet? Nonne loco optico innituntur omnes aſtronomorum tabulae, quae tamen non ſunt indices errorum, ſed obſeruationum verarum? Ille demum errorem vulgi errat, qui locum opticum pro phyſico habet, quod ſpiritus ſanctus, ſcripturae auctor, nusquam fecit, nec errorem vulgi reſpexit, ſed noſtram ὈΨΙΝ. † *Accedit, quod ſacrae litterae non philoſophorum vel oblectandis, vel inſtruendis ingeniis, ſed animis hominum ſalutis auidorum inſtituendis, qui ſimplices maximam partem ſunt & indocti, conſignatae fuerunt. Ego profecto ingens bonitatis diuinae argumentum in eo ſitum eſſe puto, quod non ſecundum phyſicam, ſed opticam veritatem, huius vniuerſi conſtructio deſcripta fuit, vt videlicet ne offenderentur infirmiores, & philoſophiae rudes, quorum tamen in gratiam totam ſcripturam ſacram confectam eſſe ſcimus, vt legant eam & facile intelligant.* Quod argumentum contra PETR. BAELIVM aliosque rationaliſtas copioſius perſequitur IO. IAQVELOT in *conformitate fidei & rationis part. II. c. I.* Addatur *biblioth. Brem. claſſ. V. p. 877.*

§. X.

Quum varia morborum genera in vtriuſque teſtamenti tabulis commemorentur, dubium non eſt, iis rectius intelligendis atque explicandis *medicam* etiam *artem*, atque inprimis morborum hiſtoriam, aliquam lucem adfundere: * quod viris doctis occaſionem dedit, vſum illius artis in ſcripturae ſacrae illuſtratione variis ſcriptis comprobandi. **

* Ex

† Pluribus haec deduxit & *opticas* explicationes dictis ſcripturae adcommodauit GEIERBRANDVS, in den *Gedancken von mehr als einer bewohnten Welt*, §. 106. *ſeqq.*

* Ex gr. 2 Par. XXI, 15. *Ioramī* morbus ita describitur: *Adfecit eum Dominus in intestinis eius morbo, cui nulla erat medicina. Perrexit enim de anno in annum, adeo vt completis duobus annis exirent intestina eius, cum morbo suo, & morerentur morbis grauissimis.* Hic igitur interpretes in natura & indole huius morbi explicanda valde dissentiunt. IO. CLERICVS ad h. l. coniectat fuisse *procidentiam ani*, quae fit aut relaxatione musculi sphincteris, aut difficili excrementorum egestione; vel *tenesmum*, quem CL. IO. IVNCKERVS in *tabulis medicis p. 583* dicit esse *continuum, vt plurimum vacuum, defidendi conatum, interdum cum insigni intumescentia ani coniunctum*; cui tamen morbo alia hic symptomata crebrius accessisse putantur, vt inde lethalis factus sit. THOMAS BARTHOLINVS, *de morbis biblicis c. XII.* putat adustos ac biliosos humores ex corpore ad intestina fuisse concitatos, vnde *alui fluxus diuturnus cum colica*, ex cuius diuturnitate, crebro & forti nisu, intestina prociderint. Alii Ioramum *dysenteria* laborasse putant; quam longius continuatam intestinorum exulceratio secuta sit. Alii viri docti de *haemorrhoidibus caecis & corruptis* cogitarunt, quas tandem degenerasse putant in fistulam ani, quae sensim intestina corruptione adfecerit, ac post longos cruciatus in statum sphacelosum, ac ipsam denique mortem desierit. Inter tot sententiarum diuortia veram & verbis maxime consentaneam opinionem eligere, non sine aliqua artis medicae peritia fieri potest.

** Huc pertinet THOMAS BARTHOLINVS, in libris *de morbis biblicis*, de *latere Christi aperto*, de *paralyticis N. T.* de *cruce*, vbi & de *vino myrrhato*, de *corona spinea*, & *sudore Christi sanguineo* agit. FRANC. VALLESIVS, medicus Hispanus, in libro de *sacra philosophia*. CHRISTIANVS WARLIZ, de *morbis biblicis, e praua diaeta animique adfectibus resultantibus*, qui & *senium Salomoneum*, *lacrimas biblicas* aliaque

aliaque scripsit, ac plura meditatus est, vt ex epistola CL. IO. CHRISTOPH. WICHMANSHAVSEN ad libri auctorem, quae opusculo praefixa est adparet. Porro VAL. HENR. VOGLERVS, professor Helmstadiensis celeberrimus, libro *de rebus naturalibus ac medicis, quarum in scripturis fit mentio* GVIL. ADERVS, de *aegrotis euangelicis*, quod opusculum *tom. IX. crit. sacrorum* exstat CONR. IOHRENVS, in dissertat. *de morbis biblicis*, & *Christo medico*, cui & iungi potest cel. FRID. HOFFMANNI dissert *de diaetetica sacrae scripturae medicina*. cel. IOAN. HENR. MVLLERI, philosophiae naturalis & mathematum apud Altorfienses professoris, *schediasma physico-politicum, Deum legislatorem medicum sistens*, ad varia scripturae dicta illustranda. VINCENTIVS MOLER, de *morbis in sacris litteris*. IO. HENR. ALSTEDII *medicina sacra*, quae exstat in *triumpho biblico p. 281*. IO. DAN. MAIORIS variae exercitationes, Kiloniae editae, vt *de myrrha, Christo a magis oblata*; de *locustis, cibo Ioannis baptistae*; de *lunaticis*, de *paralyticis*; de *sale fatuo* cet. Inprimis huc spectant celeberrimi, dum viueret, GE. WOLFGANGI WEDELII *exercitationes medico-philologicae sacrae & profanae*, vbi CENTVR. *I. decade* I. & II. agitur exerc. 1. de *morte* IVDAE *proditoris*. exerc. 18. *de vulnere in quinta costa*, ad 2 Sam. II, 23. c. III, 27. exerc. 19. *de* SAVLE *energumeno*. † dec. III. exerc. 1. de *latere* CHRISTI *aperto*. exerc. 2. de *sudore* CHRISTI *cruento*. exerc. 3. de *morbis senum* SALOMONIS. dec. IV. exerc. 2. de *morbo* IOBI. dec. V. exerc. 1. de *epispasmo iudaeorum*. exerc. 3. de *sinapi scripturae*. exerc. 4. de *sale insulso*. exerc. 7. de *balsamatione corporis* CHRISTI. dec. VII. exerc. 2. 3. de *hyssopo*. exerc. 4. de *morbo* HISKIAE. exerc. 5. de *paxillo carnis*. dec. VIII. exerc. 1. de *ligno* אהלים

† De *Saule per musicam curato* CASP. LOESCHERVS disputauit.

אהלים *aloes.* dec. IX. exerc. 1. de MOSE *Chemico.* (de quo argumento, inter CONRINGIVM & BORRICHIVM olim vehementer disceptato, etiam exstat GE. ERN. STAHLII, viri celebratissimi, observatio) exercit. 2. *de morbo* NABALIS. exercit. 3. de *corona* CHRISTI *spinea.* exercitat. 4. de *vino modico.* Centur. II. decad. I. exerc. 4. de *ecstasi putata* CHRISTI. exerc. 5 de *agonia* CHRISTI. exerc. 8. *de claudis N. T.* dec. III. exerc. 4. de *formulis loquendi & praescribendi medicis in sacra scriptura* exerc. 5. de *calamo aromatico,* exerc. 6. de PAVLO *a vipera demorso.* dec. V. exerc. 6. 7 de *morbo* IORAMI *regis.* exerc. 9. *de femina profluuio duodecim annorum sanguinis laborante.* cet. Addatur CHRISTOPH. HELVIGII specimen pharmacologiae sacrae de *antimonio, cicuta & pisce magno Tobiae, siue siluro;* & alia. † Paullo enim haec fusius recensere placuit, vt qui litteris sacris operantur, sciant, vnde sitim quodammodo restinguere possint, si temporis penuria exclusis, ex ipsis artis medicae fontibus bibere non liceat.

§. IX.

Interim & hic cauendum est, ne ad classem rerum naturalium reuocemus, quae luculenta miraculi, aut virtutis supernaturalis vestigia continent *; neque in iis morbis, quae ex rationibus pathologicis explicari non possunt, vindicem DEI magnum agnoscere recusemus. **

* Sunt, exempli caussa, viri docti, qui lauacro *Bethesdae* Ioan. V, 1. seqq *naturalem quamdam virtutem sanatricem* tribuunt, quidquid contra dicat Ioannes, qui caussae supernaturali, angeli scilicet, certis temporibus descendentis, agitationi, istum effectum adscribit.

† Adde cel. nostri MICH. ALBERTI dissertat. *de medicina Christi diuina & miraculosa,* quae exstat in eius specimine *medicinae theologicae pag. 606.*

scribit. Pluribus illud argumentis euincere conatus est THOM. BARTHOLINVS. Idem, sed multo infelicius, tentauit HENR. HAMMONDVS, qui, *Crediderim*, inquit, *in ea piscina non viuas oues ablutas fuisse, sed viscera tantum & ossa macitatarum & quidem a ministris templi*, (quos vir doctus intelligit per *angelos*, piscinam turbantes) *Obseruandum autem, eos, qui cupiebant curari in hac piscina, fuisse non quolibet morbo adfectos* (ita aperte contradicit Ioanni c. V, 4. ᾧ δήποτε κατέχετο νοσήματι) *sed caecos, claudos & eos, quorum aridum erat aliquod membrum, & forte etiam paralyticos. Nec mirum videri debet, si aquae illae sanandi claudicationem cet. vim acciperent, quum aliquando aegri curentur, immissi ventri bestiae, recens euisceratae, vel inuoluti cute ouis adhuc calente. Huiusmodi vim haec piscina adipisci poterat ex visceribus victimarum, quae quotidie in ea lauabantur, praesertim festorum tempore, quale hoc erat, v. 1 quo multa victimarum millia vno die interficiebantur. Poterant certe tot victimae aquam tingere, eamque virtutem in eam effundere, praesertim dum aqua adhuc caleret ex ablutione victimarum, & hominibus in eam descendentibus turbaretur. Tum enim crassiores sanguinis concreti partes, quae subsiderant, e fundo educebantur, & aquae melius miscebantur. cet.* Nimirum, hic DEVS nihil fecit. At enimuero IO. D'OVTREIN, in docta diss. *de piscina Bethesdaea*, quae in *bibl. Bremens. classs. I. fasc. V. p. 697.* seqq. legitur, otiosas istas coniecturas solide refellit, vbi inter alia *p. 650. Miror*, inquit, *viros ceteroquin doctissimos, studio eliminandi miracula ex sacra scriptura, in tam absurdas cogitationes delabi potuisse.* Addantur IO. FRISCHMVTHI & GOD. OLEARII dissertationes de *piscina Bethesdae, eiusque miraculo.* Similem artis medicae abusum redolet, quando TH. HOBBESIVS in *Leuiathane c. XLV.* putat, *daemoniacos*, quos Christus a mali daemo-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0512
DFG

monis obsessione liberasse in tabulis N. T. legitur, fuisse *homines furiosos*, *insanos*, *lunaticos*, *vel epilepticos*, *atque atra melancholia laborantes*, quae etiam POMPONATII, VANINI, BECKERI, BASNAGII opinio fuit, quam solide refutauit ven. SALOM. DEYLINGIVS, *observ. sacr. lib. II. observ. XXVIII. p.* 283. vt alia nunc exempla praetereamus.

** Esse in multis morbis aliquod θεῖον, HIPPOCRATES dudum confessus est, & singulari libro HIERON. IORDANVS exposuit; conf. DAN. GEMORHOFIVS, in *polyh. litterario*, *lib I. c XII. p.* 119. Id vero multo magis dicendum est de nonnullis morbis, quorum scriptura facit mentionem, qualis erat *lepra* non hominum solum, sed & aedium vestiumque; item *morbus Iobi*, † *Herodis* Act. XII, 23. de quo exstat YVONIS GAVKES dissertatio, in *biblioth Brem. classe. V. p.* 959. Quin & in *remediis*, quibus nonnulli morbi sanati fuerunt, θεῖον illud aperte conspicitur, quippe quae, nisi singulari DEI benedictione stipata, non solum illum effectum numquam per se productura, sed contrarium etiam habitura fuissent. Ita HVGO GROTIVS ad *massam ficuum*, qua Hiskiae inflammatio sanata legitur Esa. XXXVIII, 21. adnotauit: *quae vi natiua magis nocitura fuisse creditur*; quamuis id CAMP. VITRINGA admittere nolit. Idem ad remedium *serpentis aenei* Num. XXI, 8. hanc notam adiecit: *Aes naturaliter nocet* ὀφιοδήκτοις. *Sed* DEVS, *quum vim suam eximie vult ostendere, operatur per contraria.* Ita nimirum indicari debuit, vim sanatricem non quaeri debere in aere serpentis; sed in virtute diuina, quae sanitatem intuitu serpentis adnexuit, vt bene monet BERNH. SEB. CREMERVS, *in prodromo typico, p.* 125. coll. *Sap. XVI*, 6. 7. 8. Similiter Ioan. IX, 7. neque in *luto*, neque in *aqua siloe* quidquam ad sanandos oculos virtutis fuisse, certum est. Sed Christus libere externis eiusmodi symbolis mi-

† De quo exstat IO. REISKII meditatio.

miracula sua non semel ornauit, siue vt ostenderet, suo arbitrio subesse omnia, siue vt testatum faceret, tantum potentiae esse in singulis creaturis, quantum ipse dare velit. In talibus igitur prodigiis non est caussis naturalibus nimis inhaerendum.

§. XII.

Quin & *iurisprudentiae* studium aliqua interpreti sacro subsidia praestare potest, tum in euoluendis vocum quarumdam genuinis notionibus;* tum in ratione legum Mosaicarum forensium rectius perspicienda.**

* Quales sunt *iustificatio*, *satisfactio*, *depositum* 1 Tim. VI, 20. *adoptio* Rom. VIII, 14. *testamentum* Gal. III, 15. *aduocatus* 1 Ioan II, 2. *chirographum* Col. II, 14. *mediator* 1 Tim. II, 5 & similia. Vnde non defuerunt viri docti, qui iurisprudentiae etiam vsum in sacro codice ostenderunt. Vt enim de IO. HENR. ALSTEDII *iurisprudentia biblica*, nihil dicamus, exstat CONR. HERESBACHII *epitome iurisprudentiae christianae*. VLRICI HVBERI dissertationes iuridico theologicae, *de foederibus*, *testamentis*, *liberationibus*, *satisfactionibus*, cet. PAVLI VOET *iurisprudentia sacra*, Amstel. MDCLXVIII. IO. SAM. STRYCKII diss. de *iurisprudentia Pauli*. GEORG. GVIL. KIRCHMAIERI diss. *de Pauli iurisprudentia in articulo de iustificatione*. Cl. FRIED. CHRISTOPH. NEVBOVR, praetoris Gottingensis, *meditatio iuridico-critica ad Gal.* IV, 1. 2. quae exstat in *biblioth. Brem. classe* V. *fasc.* I. *p.* 40. Addatur CHRISTOPH. CELLARII diss. de *Pauli apostoli iure ciuitatis Romanae*. IO. IAC. WISSENBACHII & EDM. MERILLII *notae nomico-philologicae in passionem I. C.* cet.

** Huc pertinet IOSVAE ARNDII *manuale legum Mosaicarum* GVIL. ZEPPERVS & CONSTANTINVS L'EMPEREVR, de *legibus ebraeorum forensibus*.

sibus. IO. SPENCERVS, de *legibus ebraeorum ritualibus.* IO. SELDENI eruditae commentationes de *iure naturae & gentium secundum disciplinam ebraeorum*, de *synedriis ebraeorum*, de *vxore ebraea*, de *nuptiis & diuortiis*, *ex iure ciuili veterum ebraeorum*, de *successione in bona defuncti*, de *seruo ebraeo*, cet. GVIL. SCHICKARDVS, *de iure regio ebraeorum*, quem librum erudito *commentario* instruxit IO. BENED. CARPZOVIVS, *Lipsiae*, MDCLXXIV. IO. HENR. HOTTINGERI *ius ebraeorum*, siue *nomothesia Mosaica.* Addantur, qui leges Mosaicas cum legibus aliarum gentium contulerunt, vt auctor *collationis legum Mosaicarum & Romanarum*, a PETRO PITHOEO editus, & *tomo VI. criticorum sacr. p.* 150. insertus; ven. IO. FRANC. BVDDEVS, in diss. qua *leges Solonis cum Mosaicis* contendit, & alii, quos cel. IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. lat. tom. I. lib. IV. c. IX. p.* 809. recenset.

§. XIII.

Ceterum amplo isthoc humanae eruditionis adparatu non ita opus habet diuinorum oraculorum interpres, vt eo carere neutiquam possit; vnde religiosissime cauendum, ne rerum externarum copia studium nuclei suffocetur.*

* Multa e. c. de re *militari*, *hortensi*, *agresti*, *pecuaria*, quam plurimisque *artibus mechanicis* † in scripturis occurrunt, quae extra controuersiam melius intelligi explanarique possunt ab eo, qui rerum istarum notitia est imbutus. Vnde B. LVTHERVM in condenda versione bibliorum germanica, saepe laniones, scalptores, aliosque varii generis artifices exploraſſe scimus, vt, illorum instructione adiutus, ea,

† Conf. Cl. CHRIST. SCHOETTGENII *antiquitatis triturae & fullonicae*, ad loca scripturae illustranda adplicatas.

quae in scripturis de eiusmodi rebus occurrunt, adcuratius vertendo exprimere posset; quamuis id RICHARDSIMON, *in histor. crit. V. T. lib. II. c. XXIII. p.* 129. ridere, pro more suo, videatur. Interim non putandum est, adcuratam notitiam eius artis ab interprete requiri, quae ad vnum alterumue scripturae locum illustrandum vtcumque aliquid contulerit: nisi illum forte etiam *fartoris* officinae ad tempus mancipari velis, vt, quae de vestibus pontificalibus a Mose narrantur Exod. XXXVIII. rectius explicare queat; aut *auri fabri* callere artem, vt, quae de adusto folle, ac plumbi, in catinum iniecti, consumtione apud Ieremiam c. VI, 29. leguntur, adcuratius intelligat; aut denique omnino dare in *pistrinum*, vt quae de meta & catino passim adferuntur, diiudicare possit. Enimuero ars longa est, vita breuis; vnde exploranda mensura virium, quas DEVS concessit, aliorumque, qui nobis otia hinc inde fecerunt, laboribus grato animo fruendum est.

LIBRI TERTII
CAPVT QVINTVM
DE
ADMINICVLIS HISTORICIS, CHRONOLOGICIS, GEOGRAPHICIS, GENEALOGICIS.

Σύνοψις.

Historiae & cognatarum scientiarum in studio exegetico vtilitas generatim commendatur §. I. vbi

I. VSVS
1. *Historiae*
a) *sacrae* populi Dei, §. II.
b) *profanae* aliarum gen-

gentium orientalium §. III. IV. V.
c) *philosophicae* §. VI.
2. *Chronologiae* ab historia numquam diuellendae §. VII.
3. *Geographiae* antiquae, inprimis sacrae, §. VIII.
4. *Genealogiae* biblicae & profanae §. IX. quarum scientiarum notitia simul cauet, ne in *nominibus propriis* turpiter erremus §. X.

II. CAVTELAE, circa has eruditionis partes diligenter obseruandae §. XI.

§. I.

Historiae tum sacrae & ecclesiasticae, tum profanae cognitio inter nobilissima studii exegetici subsidia merito numeratur, sine qua quam plurima scripturae loca cimmeriis tenebris sunt circumfusa.*

* Conf. quae de *vsu historiae* in explicatione scripturae dudum obseruauit AVR. AVGVSTINVS, de *doctrina christiana, lib. II. c. XXVIII.*

§. II.

Et ante omnia quidem *historia gentis iudaicae*, sacris litteris comprehensa,* ad libros historicos pariter ac propheticos rectè interpretandos ita necessaria est, vt, qui animum in ea hospitem habeat, ne nomen quidem sacri interpretis mereatur.

* Inter *fontes*, ex quibus historia gentis iudaicae hauritur, praecipuum locum tenent sacrae veteris testamenti tabulae, ob θεοπνευστίαν fide dignissimae. Quidquid enim de istius gentis originibus ac fatis profani scriptores tradunt, scripturae sacrae aduersum, id tanta laborat confusione atque incertitudine, vt nescias, vbi pedem figas: vti erudite demonstrauit do-

ctissimus EDVARDVS STILLINGFLEET, in *originibus sacris*, *cap. II. seqq.* SIMON BORNMEISTERVS, in diss. *de erroribus gentilium historicorum in rebus sacris*, & IO. IAC. SCHVDT, in *compendio historiae iudaicae*, *ex gentilium scriptoribus collecto*. Cum scriptura sacra conferendus est FLAVIVS IOSEPHVS, Matathiae sacerdotis filius, qui primo post Christum natum seculo vixit, atque XX. *libris antiquitatum*, iudaicae gentis historiam, ab ipso mundi ortu, vsque ad duodecimum Neronis annum, complexus est, de cuius tamen fide atque auctoritate, quam multis fictionibus suspectam reddidit, non vna eademque est virorum doctorum sententia. Hinc enim CAESAR BARONIVS, in *annalibus ecclesiasticis*; IO. HARDVINVS, in *prolusione de nummis Herodiadum*; PETRVS BRINCH, in *examine chronologiae & historiae Fl. Iosephi* quod *Hasniae* sub huius seculi initium lucem adspexit; ANT. VAN DALE, *super Aristea de LXX. interpretibus*, *c. X. XI.* & alii, fidem eius omni labefactare modo laborauerunt: illinc IOSEPHVS IVST. SCALIGER, in *proleg.* ad *libros de emendatione temporum*; GERH. IOAN. VOSSIVS, de *historicis graecis lib. II c. VIII.* ISAACVS CASAVBONVS *in exercit. contra Baronium*; ANTON. PAGI, in *critica anti-Baroniana*, passim; CAROLVS DAVBVZ, in libris duobus *pro testimonio Flauii Iosephi de Christo*; CHRISTOPHORVS CELLARIVS, in *vindiciis Fl. Iosephi contra Harduinum*, quae exstant in *dissert. acad. p. 207.* & alii, fidem auctoritatemque ipsius defenderunt, & ob quaedam errata non statim reliquis eius narrationibus fidem omnem denegandam esse contenderunt; quorum sententiae etiam subscribit ven. IO. FRANC. BVDDEVS, in *hist. eccl. vet. testam. tom. I. p. 13.* Plura vero de Iosepho, ac variis eius editionibus (inter quas post Oxonienſem, quae cum EDVARDI BERNHARDI commentariis, quam-

quamuis imperfectis, MDCC prodiit, reliquis palmam praeripit *Hudsoniana*† Oxonii MDCCXX edita) dabunt, THOMAS ITTIGIVS in *prolegomenis*, quae *editioni Lipsiensi MDCXCI.* praefixa sunt, eruditissimis, & cel. IO. ALB. FABRICIVS, in *biblioth. graeca, lib. IV. c. VI.* Iosephi historiam supplere & continuare adgressus est IAC. BASNAGIVS, dans *l'histoire & la religion des Iuifs, depuis IEsus-Christ jusqu'a present*, Roterodami MDCCVII. HEGESIPPVM autem & IOSEPHVM GORIONIDEM ex Iosephi libris sua maximam partem transscripsisse, nouisque subinde fabulis auxisse, docet ven. IO. FRANC. BVDDEVS, in *hist. eccl. vet. test. tom. I. p. 15. seqq* vbi & *p. 19* ostendit, quid habendum de aliis historiae iudaicae conditoribus, tum inter *iudaeos* ipsos, in libro *Iuchasin, Schalscheleth hakkabala, Seder olam, Tsemach Dauid* cet. tum inter *Arabes*, vt sunt GEORG. ELMACINVS, GREG. ABVL-PHARAIVS, aliique ex quibus IO. HENR. HOTTINGERVS in *smegmate orientali c. VIII.* nucleum exhibet, quidque inde ad historiam ecclesiasticam commodi redundare possit, commonstrat. Addantur, qui ex instituto historiam ecclesiasticam tradiderunt, inter quos ven. IO. FRANC. BVDDEI, IOACH. LANGII, & IO. HIERON. WIEGLEBII labores studio exegetico admirabili prorsus ratione inseruiunt. †† Ex minoribus compendiis, post SVLPICII SEVERI *historiam sacram*, a SCHOTANO amplis commentariis illustratam, & *historiam ecclesiasticam Gothanam*, CAMP. VITRINGA *hypotyposis historiae & chronologiae sacrae a mundo condito vsque ad finem seculi primi aere christianae* merito commendatur.

† Recusa illa est cum nouis accessionibus Amstelodami MDCCXXVI. opera & studio v. CL. SIGEBERTI HAVERKAMPII.

†† Quibus sese adiunxit CL. IO. GE. HEINSIVS, in *kurzen Fragen aus der Kirchen-Historie des Alt. Test.*, cuius laboris *tomus I.* hoc ipso anno lenae prodiit.

§. III.

Non minorem lucem scripturae sacrae adfundit *historia reliquarum gentium orientalium*, quibuscum ebraeis varia belli pacisque negotia intercesserunt, aut quarum alia occasione mentio in paginis sacris iniicitur. *

* Sunt illi potissimum *Aegyptii*, *Phoenices*, *Assyrii*, *Moabitae*, *Idumaei*, *Philistaei*, *Arabes Chaldaei*, *Syri*, *Persae*, *Graeci*, *Romani*: quorum populorum origines, fata, sacra, instituta nosse, multis obscurioribus scripturae locis facem accendit. † Quod ad AEGYPTIOS attinet, antiquissima illorum historia admodum intricata & confusa est, eiusque scriptores tantum non omnes interierunt, quorum fragmenta hinc inde apud IOSEPHVM, contra *Apionem*, EVSEBIVM, aliosque leguntur, de quibus videndus LVD. ELLIES DV PIN, in *bibliotheca vniuersali historicorum lib. I. §. IV.* Inter recentiores laudari meretur IO. MARSHAMI *canon chronicus aegyptiacus, ebraicus, graecus; &* inprimis IAC. PERIZONII *aegyptiacarum originum & temporum antiquissimorum inuestigatio*, quae Lugduni Bat. MDCCXI. prodiit, in qua *Marshami* chronologia funditus euertitur. Iungatur CAMP. VITRINGA *notitia Aegypti, in comm. in Esa. tom. I. p. 712.* & HERM. WITSII *Aegyptiaca*; quae de Aegyptiorum doctrina, ritibus & institutis lectu dignissima, multisque scripturae locis illustrandis adcommodatissima subministrant; nec non GVIL. IAMESON *spicilegia antiquitatum Aegypti ac vicinarum gentium*, Glascouiae, MDCCXX. De rebus PHOENICVM, post *Sanchoniathonem*, *Hisiaeum*, *Hieronymum Aegyptium*, aliosque, qui dudum perierunt, SAM. BOCHARTVS *part. II. geogra-*

† In compendio hic conferri potest CHRIST. CELLARII & IO. CLERICI *historia vniuersalis*.

geographiae sacrae, quae *Canaan* inscribitur, & THOMAS REINESIVS, in ἱστορημένοις *linguae punicae* nonnulla scitu digna suppeditat; vti & IO. MARSHAMVS, in *canone chronico* res eorum passim attingit. Addatur IAC. CHRISTOPH. ISELII docta diss. *de Tyro & prophetarum de ea vaticiniis.* ERID. ADOLPHI LAMPII *exercit. in psal. XIV p.* 419. seqq. & *notitia Tyri*, quam suppeditat doctiss. CAMP. VITRINGA, *comm. in Esa. tom. I p.* 891. Historia ASSYRIORVM ex scriptura sacra maximam partem desumenda est. Quam parum enim fidei CTESIAE, Cnidio Artaxerxis mnemonis medico, in rebus Assyriacis habendum sit, post *Aristotelem*, *Strabonem*, *Plutarchum*, peculiari diss. ostendit CHRISTOPH. CELLARIVS, quae exstat in *diss. academicis p.* 54. nec non ven. IO. GE. WALCHIVS, de *fabulosa historia Semiramidis*, *contra Ctesiam Cnidium & Diodorum Siculum.* Addatur IO. ALB. FABRICII *bibl. graeca lib. II. c. XXV. §. XVI. p.* 881. In *biblioth. Brem. class. V. fasc. I. p.* 1. exstat GERHARD. OVTHOVII *breuis delineatio monarchiae Assyriacae*, *ad rectam intelligentiam variorum locorum sacri codicis*, vbi vir doctus §. IX. testatur, IACOBVM PERIZONIVM ante obitum absoluisse librum *de originibus Assyriacis*, quem orbi litterato non inuideri optat. † Lectu etiam non indignum est GVIL. TVRCKII *specimen historiae sacrae*, *a mundo condito ad exitum Israelitarum*, *vna cum primordiis gentium*, *Assyriorum & Babyloniorum*, Halae MDCCXII. editum. †† Notitiam MOABITARVM suministrat CAMP. VITRINGA *comm. in Esa. tom. I. p.* 603. & HENR. SCHARBAV, verbi diuini minister apud Lubecenses doctissimus, in *parergis philologico-theol.*

† Adde HERM. VVITSII *miscell. sacr. tom. II. p.* 206.
†† Nec non IO. FRID. SCHROEERI *imperium Babylonis & Niniae ex monumentis antiquis*, MDCCXXVI.

part. III. & IV. Quae vero GERH. CROESIVS in *Homero ebraeo*, siue *historia ebraeorum*, *ab Homero ebraeis nominibus ac sententiis descripta in Odyssea & Iliade*, de originibus Moabiticis, ex Homero illustrandis, protulit, ingenium quidem auctoris satis produnt, sed vltra lusus & coniecturas non assurgunt. Res IDVMAEORVM, posterorum Esaui, doctissime illustrauit CHRISTIANVS NOLDIVS, in *historia Idumaea*, & HADR. RELANDVS, in *palaestina* sua, *lib.* I. *c.* XII. Res PHILISTAEORVM tradit CAMP. VITRINGA, *comm. in Esa. tom. I. p.* 584. SAM. BOCHARTVS, *de coloniis Phoenicum*, ac HADR. RELANDVS, *in palaest. lib.* I. *c.* XIII. Res ARABVM, qui in multos ramos diuisi fuerunt, attingit IO. HENR. HOTTINGERVS, *in historia orientali lib.* VII. *c.* VIII. CAMP. VITRINGA, *comm. in Esa. tom.* I. *p.* 783. HADR. RELANDVS, in *palaest. lib.* I. *c.* XVI. In primis de Arabibus *Cuschaeis* IVSTVS HENR. IVNGMANNVS, in *Daniele reserato*, *lib.* I. *sect.* II. *c.* IX. fuse docteque disputat. CHALDAEORVM ac BABYLONIORVM historiam inter veteres BEROSVS & ABYDENVS; inter recentiores IAC. PERIZONIVS, in *originibus Babylonicis*, Lugduni MDCCXI. editis, descripsit. Addantur, quae de Babylone ac imperio Babylonico suis *in Esaiam commentariis* inseruit CAMP. VITRINGA, *tom.* I. *p.* 492. *seqq.* De MEDIS ac PERSIS, quorum historia ad libros Danielis, Zachariae, Malachiae, Ezrae & Nehemiae intelligendos necessaria est, inter veteres commentatus est HERODOTVS, qui multarum etiam aliarum gentium, *Aegyptiorum*, *Lydorum*, *Babyloniorum*, cet. origines & fata recenset; quae seorsim ex Herodoto excerpta, & in ordinem digesta exhibet LVD. ELLIES DV PIN, in *bibliotheca vniuersali historicorum lib.* I. *s.* XVI. Porro XENOPHON, tum in Κύρου παιδείᾳ, tum in historia

de

de Expeditione Cyri, quam ἀνάβασιν Κύρου vocat. Ex recentioribus legendus CONR. SAMVEL. SCHVRZFLEISCH, in diss. *de regno Medo-Persico*; BARNABAS BRISSONIVS, *de regno Persarum*, & CAMP. VITRINGA, *obseruat. sacr. lib.* VI *c.* IV. V. *p.* 276. *seqq.* De rebus GRAECORVM THVCYDIDES de *bello peloponesiaco*, & qui illum quasi continuauit XENOPHON in suis de *rebus graecorum libris* VII. inprimis DIODORVS SICVLVS, in *bibliotheca historica* legendus, in qua etiam de rebus Aegyptiacis, Medicis, Persicis, Punicis, Assyriis passim disserit; & PAVSANIAS, in *descriptione Graeciae*, a *Kuhnio* graece & latine MDCXCVI. Lipsiae rursus edita. Res *Alexandri magni* ARRIANVS & QV. CVRTIVS expossuit. *Successorum* eius historiam POLYBIVS, nec non APPIANVS in *Mithridaticis & Syriacis* exhibent, quibus IVSTINVS, Trogi Pompeii epitomastes, iungendus, & ex recentioribus HENRICVS NORIS, *de epochis Syro-Macedonum*, ac IO. VAILLANTIVS tum in *historia Ptolomaeorum*, *Aegypti regum*, *ad numismatum fidem adcommodata*; tum in *historia regum Syriae*, qui commentarii postremis *Danielis* capitibus multum lucis adferunt. Insuper etiam IO. MEVRSIVS historiae & antiquitatibus graecorum illustrandis, variis scriptis operam dedit, quas recenset LANGLET DV FRESNOY, in *manuduct. ad historiam discendam*, *part.* II. *pag.* 83. *seq.* ed. germ. Res ROMANORVM vberrimis veterum pariter ac recentiorum commentariis, quos nemo doctiorum ignorat, commendatae sunt. Vtilissimam vero operam praestarunt, qui historiae profanae *synchronismos* historiae sacrae & ecclesiae adiecerunt, vt ven. IO. FRANC. BVDDEVS, IOACH. LANGIVS, & IO. HERR. WIEGLEB, nec non FRID. SPANHEMIVS, HVMFR. PRIDEAVX, IAC. VSSERIVS, in

annalibus V. & N. test. aptissime fecerunt; quibus IAC. CAPPELLI *historia sacra & exotica*, ac NIC. GVRTLERI *origines mundi* iungi possunt.

§. IV.

Speciatim historia sacra pariter ac profana insignem prorsus vtilitatem habet in nebulis, quibus *prophetarum vaticinia* passim circumfusa sunt, dispellendis, & ad convictionem conscientiarum interpretandis. *

* Optime CAMP. VITRINGA, vir in his campis exercitatissimus in *typo doctrinae proph. pag.* 204. *Prophetia est narratio rerum gerendarum; historia gestarum. Illa praenuntiat, quid futurum sit; haec demonstrat, quid factum sit. Nemo itaque non perspicit, has res ita esse comparatas, vt historia quidem recte consistat absque prophetia; sed non perinde prophetia absque historia, cuius veritatis demonstratio perfecta non est, absque subsidio historiae, immo nulla est, si fallat euentus. Quare si veteres recte dixerint, historiam esse lumen temporum: recte quoque ego dixerim, esse lumen prophetiarum.* Facit vero historia,

I. *Vt sciamus, quis status ecclesiae & reipublicae israeliticae, quae vicinarum gentium conditio, tempore cuiuslibet prophetae fuerit:* quod, quantum lucis adfundat prophetarum sermonibus clarius intelligendis, nemo ignorare potest, qui considerauerit; vates ad illum sui temporis statum subinde respicere, eidemque suas vel comminationes vel adhortationes sapienter adcommodare. Ita eum, qui *Esaiam* recte intelligere velit, oportet faciem illius aeui, quo vir sanctissimus vixit, probe habere perspectam, quam conciane exhibet AVG. VARENIVS, in *prodromo Esaiano p.* 13. & ex illo ven. IO. HENR. MICHAELIS

LIS, in diss. *de Esaia eiusque vaticinio*, §. *XII.* quae *biblicis ebraicis* inserta legitur. Addatur BALTHAS. KORTHOLTI *introductio* germanica *ad lectionem prophetarum*; PAVLI PEZRONII *specimen commentarii historici in prophetas*, gall. & quae cl. IO. GOTTLOB CARPZOVIVS, in sua *introductione ad libros propheticos V. T.* ad singulos prophetas ea de re monuit. Huc etiam pertinet HERM. WITSII *historia vrbis Hierosolymae*, quae exstat *miscell. sacr. tom. II. exerc. X. XI. XII.*

II. *Vt ostendere possimus vaticiniorum complementa, si euentus, ex historia demonstrati, cum suis praeditionibus conferantur*; quantum scilicet, ob defectum antiquorum monumentorum, quo laboramus, fieri potest. Sane si historia antiqua nobis in omni sua circumstantia & amplitudine clare explicuisset expeditionem SENACHERIBI Assyrii, aduersus Phoenicen & Aegyptum susceptam, eiusque durationem & effecta; & praeterea eadem historia haud dubie tradidisset statum regnorum ac rerumpublicarum, Iudaeam circumiacentium: multo certius de multis *Esaiae* locis obscurioribus liceret dicere sententiam, vt monet CAMP. VITRINGA, *praef. comm. in Esa. tom. I. p. 27.* qui ipse etiam *in typo doctr. proph. pag. 207.* optat, vt historiam populi Iudaei post tempora Vzziae haberemus pleniorem, & vicinarum gentium perfectiorem, quam illa ex monumentis, quae supersunt, sacris, aut profanis, peti potest, vt implementum quarumdam prophetiarum *de Aegypto, Tyro, Idumaea, Arabia*, & ipso quoque *populo iudaico* clarius possemus demonstrare, quam hoc tempore licet. Interim idem ille vir praestantissimus in suis in *Esaiam* & *Apocalypsin* elaboratissimis commentariis vsum historiae vtriusque in demonstrandis vaticiniorum implementis cum magno eruditionis adparatu comprobauit. Iungatur NICO-

GVRI-

GVRTLERI *systema theologiae prophetiae*, & quae de vaticiniorum implementis defensores religionis christianae passim monuerunt, † in primis SAM. BOCHARTVS, in *ep. ad Tapinum* ed. Hall. *p.* 51. vbi vir doctissimus, adhibita in subsidium historia profana, ostendit, *capite XI. Danielis* recensori historiam trium seculorum, & amplius, tam adcurata diligentia vt vix quidquam memorabile toto illo tempore acciderit, quod non ibi praedictum legatur.

§. V.

Neque libri noui foederis face historiarum carere possunt. Vti enim sine HERODVM historia multa *euangelistarum* & *actuum apostolicorum* loca vix recte intelliguntur: * ita in PAVLI *epistolis* longe felicius versabitur, qui animum, historia excultum, ad illas attulerit. **

Quatuor scilicet Herodes in N. T. commemorantur.

I. HERODES MAGNVS pater, quo regnante Ioannes baptista & ipse Christus natus est & qui magorum aduentu abituque territus, infantes Bethlehemiticos occidit, Matth. II.

II. HERODES ANTIPAS, Herodis magni filius, Galilaeae tetrarcha, Luc. III, 1. qui Herodiadem rapuit fratri Philippo, Matth. XIV, 3. & Ioannem baptistam interfecit ibid. vt *vulpes* Christo insidias struxit, Luc. XIII, 31. eidemque illusit, Luc. XXIII, 11. Eius procurator *Chuza* Luc. VIII, 3. memoratur: cum eo educatus legitur *Manahen* Act. XIII, 1. Adpellatur ille Matth. XV, 9. Marc. VI, 14. βασιλεὺς, honoris ergo, & generali vocis notione,

† Nuper prodiit P. BALTE religion chretienne prouvée par l'accomplissement des propheties de l'ancien & du nouueau testament, suiuant la methode des SS. Peres.

ne, qua idem est, quod tetrarcha, vt ipse Matthaeus explicat c. XIV, 1.

III. HERODES AGRIPPA *maior*, Herodis magni & Mariamnae nepos, & Aristobuli ac Berenices filius. Hic Iacobum apostolum interfecit, & Petrum vinculis mancipauit Act. XII, 1. seqq. Sed quum Caesareae ludos pro salute Caesaris exhibuisset, & diuinos honores, qui a populo offerebantur, non recusasset, ab angelo percussus interiit Act. XII, 19. seqq.

IV. AGRIPPA *minor*, maioris filius, quocum Paulus Act. XXVI. collocutus est. Fons historiae Herodum est FLAV. IOSEPHVS, quem IO. HARDVINVS frustra turbare adgressus est, in *prolusione de Herodiadum nummis*, a CHRISTOPH. CELLARIO, BASNAGIO, aliisque refutatus. Addatur CHRISTIANI NOLDII *historia idumaea*. Ven. IO. GE. PRITII *introductio ad lectionem N. T. c. XXXII.* Illustr. CAR. HILDEBR. DE CANSTEIN *introd. ad harm. euang. p. 124. 125.* ven. SAL. DEYLINGII *obseruat. sacr. lib. II. obseru. XXVI.* † ex quo non piget sequentem *Herodiadum genealogiam*, iuuandae memoriae caussa, exhibere.

HERODIS MAGNI, regis Iudaeae,

I. *Filii Tetrarchae*

1. ARCHELAVS, tetrarcha Iudaeorum, per annos VII. vel VIII.
2. PHILIPPVS, Ituraeae & Trachonitidis tetrarcha.
3. HERODES ANTIPAS, tetrarcha Galilaeae

II. *Nepotes* ex ARISTOBVLO, iussu patris strangulato,

1. HERODES, rex Chalcidis.

2. AGRIP-

† Add. *Berlin. Hebopf., tom. I. p. 174.* & HADR. REIANDI *palaest. lib. I. c. XXX.*

2. AGRIPPA MAIOR, qui vniuersum aui regnum obtinuit, a quo prognati sunt
   a) *Berenice*, Act. XXV, 13;
   b) AGRIPPA MINOR.
   c) *Drusilla*, FELICI nupta Act. XXIV, 24;
3. HERODIAS, primum Philippi, (non tetrarchae, sed obscurioris Herodis Philippi,) postea fratris Antipae vxor, Matth. XIV, 3.

** Ad PAVLI *epistolas* rectius intelligendas vtilis est

I. *Historia ipsius vitae Paulinae*, ac rerum ab ipso gestarum, quam illustrauit HERM. WITSIVS, in *meletematibus Leidensibus*, CASP. HERM. SANDHAGEN, in *der kurzen Einleitung in die Geschichte Iesu Christi und der heiligen Apostel.* LVD. CAPPELLVS, in *historia apostolica illustrata.* ven. IOACHIM LANGIVS, in *commentatione historico hermeneutica de vita & epistolis Pauli*, & GVILIELM. CAVE, cuius *de vita Pauli* dissertatio in *antiquit. apost.* exstat. Breue elegantissimumque compendium dedit IO. PEARSONIVS, in *annalibus Paulinis*, ven. *Io. Henr. Michaelis* studio recusis. Plures recenset IO. ALB. FABRICIVS, in *cod. apocrypho N. T. part. II. p 793.*

II. *Notitia de statu ecclesiarum ac ciuitatum*, externo pariter ac interno, *ad quas Paulus epistolas dedit:* cui comparandae inseruire possunt IOANNIS BRAVNII *selecta sacra lib. I.* & ven. IO. FRANC. BVDDEI diss. *de statu ecclesiarum apostolicarum*, qua multa epistolarum Paulinarum loca feliciter illustrantur; quod etiam facit CAMP. VITRINGA, *obseru. sacr. lib. IV. c. VII. VIII.* vbi christianae ecclesiae facies *a Nerone ad Traianum* ex antiquis monumentis exhibetur. † Addatur THOMAS SMITH, & CHRISTOPH. CELLARIVS de *statu ecclesiarum apocalypticarum*,

† Conf. quae de statu ecclesiae *Romanae* diximus in nostra *introduct. in ep. ad Rom. §.* VII-XI.

carum, & quae HERM. WITSIVS de illis obseruauit *miscell. sacr. tom.* I *p.* 669.

III. *Historia certaminum archaeresium*, quae aeuo apostolico ecclesiam turbauerunt; ad has enim in epistolis apostolicis subinde respici, ἀντιθέσεις docet. Ita quid sint ἀντιθέσεις ψευδωνύμου γνώσεως 1 Tim VI, 20. historia haereseos *Simonianae* docet. Digitum nimirum intendit apostolus ad mali bonique principii *oppositionem*, quae Simonianae doctrinae haud vltimam partem faciebat; vt pluribus docet ven. IO. FRANCISC. BVDDEVS, in *syntagmate dissert. theol. p.* 667. cuius etiam huc pertinet exerc. *de haeresi Valentinianorum*. Legatur THOM. ITTIGIVS, de *haeresiarchis aeui apostolici & apostolico proximi*, vbi varia N. T. loca illustrat. Ita *sect.* I. *c.* V. §. 5. putat, apostolum Col. II, 18. vbi θρησκεία τῶν ἀγγέλων perstringit, *Cerinthianos* pungere. *Cerinthum enim non solum angelicas reuelationes iactasse, teste* EVSEBIO *lib.* III. *c.* XXVIII. *verum etiam mundum ab angelica potestate conditum finxisse, vt* IRENAEVS, *lib.* I. *c.* XXV *testatur*. Similiter *c.* VIII. §. 2. locus Pauli de *Hymenaeo & Phileto* 2 Tim. II, 17. illustratur, vt alia multa praetereamus. Idem vir doctus *c.* IX. de *Nicolaitis*, quorum Apoc II, 6. 15. mentio fit, docte agit, de quibus etiam conferatur CASP. SAGITTARII *introduct. in hist. eccles. p.* 1097. & IO. GVILIELMI *commentatio de Nicolaitis ex haereticorum catalogo expungendis*. De haeresi Simoniana conf. MICHAELIS BRICI *prauitates Simonis magi*, Gieſſae MDCLXIV. nec non CHRISTIANI SCHOTANI ac SAM. ANDREAE diſſ. de *Simone mago & haeresi Simonianorum*. Iungatur CAMPEG. VITRINGA *obs. sacr. lib.* IV. *c.* IX. *p.* 985. vbi *inquiritur in haereses, quae aeuo apostolico in ecclesia natae sunt, earumque tam hypotheses, quam auctores*; & de gnosticis *lib.* V. *c.* XII. XIII. †

Mul-

† Addantur ven. IOACH. LANGII dissertationes de *haeresiologia primi & secundi seculi*.

Multum etiam refert, nosse certamina, de doctrina *iustificationis* olim mota, de quibus laudanda diligentia agit HERM. WITSIVS, *misc. sacr. tom.* II. *exerc.* XX. XXI XXII. XXIII. *atque* CAMP. VITRINGA, *obseru. sacr. lib.* IV. *c.* X. *p.* 1010.

§. VI.

Neque historia *philosophica* prorsus à circulo hermeneutico excludenda est. Quae enim illa de variis sectis & opinionibus philosophorum, tum gentilium, tum Iudaeorum, circa Christi maxime & apostolorum tempora tradit, nonnullis scripturae locis illustrandis inseruiunt. *

* Ità PAVLI sermonem, in vrbe Athenienſium habitum, Act. XVII, 22. seqq tum demum aliquis intimius introspiciet, quum singula fere verba gentilium philosophorum placitis oppositra esse animaduertit, quod erudite ostendit BENED. PIGET, in *concionibus in selectas scripturae loca*, in linguam etiam germanicam transfusis, *conc.* I - VII. Huc pertinent, qui in historia philosophica illustranda studium operamque suam collocauerunt, GERH. IO. VOSSIVS, GE. HORNIVS, FRID. GENTZKENIVS, & qui omnes superauit, THOM. STANLEIVS, in *historia philosophiae, vitas, opiniones, resque gestas & dicta philosophorum sectae cuiusuis complexa*; item qui historiam philosophicam cum ecclesiastica coniunxit IO. GVIL. ZIEROLDVS: nec non IO. FRANC. BVDDEVS, in *introduct. ad historiam philosophiae ebraeorum.* Porro qui de *sectis Iudaeorum* commentati sunt, NICOLAVS SERARIVS, in *trihaeresio*, seu *de celeberrimis tribus apud Iudaeos sectis, Pharisaea, Sadducaea & Essaea.* IOSEPHVS IVSTVS SCALIGER, in *elencho trihaeresii Nicolai Serarii.* IO. DEVSIVS, de *tribus ebraeorum sectis.* AVG. PFEIFFERVS, *de trihaeresio Iudaeorum*,

rum, quae exercitatio exstat in *mataeologia iudaica*. Ven. IO. GE. PRITIVS, in *introduct. ad lect. N. T. c.* XXXIII. XXXIV. & III. CAR. HILD. DE CANSTEIN, in *prolegom. ad harmon. euang. c.* XV. Addatur GVIL. SALDENVS, in *otiis theol. lib.* III. *exerc.* IX. *seqq.* & SAM. BASNAGE, in *annalibus politico-ecclesiasticis tom.* I. Sunt qui plurimis librorum sacrorum, Mosaicorum maxime, locis magnam lucem adfundi posse putant ex philosophia veterum *Zabiorum*, quos MOSES MAIMONIDES, in *more nebochim*, ipso Abrahamo antiquiores facit, deque illorum dogmatibus multa disputat, *part.* III. *c.* XXIX. *sqq.* Quem secutus est IO. HENR. HOTTINGERVS, in *thes. philol. p.* 55. & *historia orientali c.* VII. & VIII. & IO. SPENCERVS *lib.* II. *de legibus ebraeorum ritualibus*, quas Zabiorum dogmatibus & institutis oppositas fuisse arbitratur: quam sententiam IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, in dissertatione *de Zabiis*, Wittebergae habita, curiosiori examini subiecit. Addatur IOAN. HENR. MAII, fil. dissertatio *de Zabiis*, in qua eorum adpellationem, dogmata, & ritus docte illustrauit, & *miscell. lipsi. tom.* II. *obs.* XXXI. Huc etiam pertinent cel. IO. GE. WALCHII dissertat. *de interpretatione N. T. ex historia philosophica.*

§. VII.

Quum vero *chronologia* sit anima & lumen historiae, sine qua haec mera caligo est, & nemini fidem veri persuadet: facile intelligitur, magnam vtilitatem ex eius notitia in interpretem sacrum redundare, si epochas saltem biblicas, ordinemque temporum, quo res quaelibet gesta est, animo comprehendat; * vbi non desunt virorum doctorum labores, qui vastum illum campum ingressi, viam aliis fideliter commonstrauere. **

* Quid in hoc studio agendum, quoque ordine incedendum sit, CAMP. VITRINGA, in *praefat. hypotyposeos* suae breuiter complectitur: *Pertinet huc*, inquit, *primo nosse epochas inter se ordinare, & comparare cum mensura quadam temporum maiore, quae omnes complectitur, qualis est periodus Iuliana, Scaligeranae inuentionis, omnium haud dubie vtilissima; posteа gesta eccleſiae suis annis, aut temporum periodis illigare: denique eadem conferre & componere cum gestis mundi contemporaneis, vt imago secularis & eccleſiasticae historiae, quarum altera colluſtrat alteram, simul ob oculos versetur.*

** Inter illos, qui *maiora opera* chronologica condiderunt, post IO. FVNCCIVM, MATTHAEVM BEROALDVM, ABRAH. BVCHOLZERVM, maxime in hoc studiorum genere enituit IOSEPHVS IVSTVS SCALIGER, qui heroico ausu *emendationem temporum* scripsit; cui ex vna parte adiungendus sectator & aemulus feliciſſimus SETHVS CALVISIVS, in *opere chronologico*; ex altera parte eius inſectator acerrimus DIONYSIVS PETAVIVS, qui *libros XIII. de doctrina temporum* emisit. Imprimis lectu digna sunt, quae *lib. IX. c. LIV. LV.* de concordia librorum *regum* & *paralipomenon* disputantur. Nouam tamen subinde facem IOAN. BAPTISTA RICCIOLVS, ANTONIVS PAGI, IO. PEARSONIVS, HENR. NORISIVS, HENR. DODWELLVS, & alii chronologicae disciplinae accenderunt. † Inter *minora compendia* post DIONYSII PETAVII *rationarium temporum*, ex maiori opere collectum (cuius optima editio *Lugdunenſis Batauа* MDCCX.) magno adplausu AEGIDII STRAVCHII *breuiarium chronologicum* exceptum fuit

† Vide cel. PFAFFII *introd. in histor. theol. literar. tom. III. p.* 5. de scriptoribus chronologiae technicae; *p.* 9. de script. tabellarum chronol. *p.* 11. de chronologia V. T. *p.* 13. de chronolog. N. T. Adde IAC. LE LONG. *bibl. sacr. tom. II. p.* 1053.

fuit, cuius emendatior editio Lipsiae MDCCVIII. prodiit. Iungatur PHIL. LANSBERGII *chronologia sacra*, FRID. SPANHEMII *introd. ad chronologiam & historiam sacram*, IO. LIGHTFOOTI *chronicon temporum*, IAC. VSSERII *annales V. & N. T. cum chronologia sacra*, ABR. CALOVII *chronicon biblicum*, bibliis illustratis praemissum. BERNH. LAMY *adparatus chronologicus* biblicus, & quae ven. IO. GE. PRITIVS, in *introduct. ad lectionem N. T.* de *chronologia N. T.* disseruit *c. XXXVI.* Addatur CL. IAC. HOTTINGERI *pentas dissertatt. biblico chronologicarum* † Plures scriptores *chronologiae* tum profanae, tum biblicae, exhibet cel. IO. ALB. FABRICIVS, in *bibliographia antiquaria*, *c. VII. p. 164. seqq.* Singulorum librorum V. T. chronologiam vener. IO. GOTTLOB CARPZOVIVS enoluit in *introductione ad libros canon. V. T* ††

§. VIII.

Chronologiae haud immerito adiungimus *geographiam* antiquam, maxime quae palaestinae, vicinarumque regionum, notitiam tradit. Illam enim innumeris vtriusque instrumenti locis lumen accendere clarissimum, eruditi omnes fatentur. *

* Geographia sacra complectitur *notitiam illorum locorum, vbi ecclesia olim sedem habuit.* Quum vero haec distincta sit in veteris ac noui testamenti ecclesiam; in *veteri* quidem danda est opera, vt 1. *loca*

† Doct. GOD. KOHLREIFII *chronologia sacra ex fontium recessibus eruta*, nouis hypothesibus referta est. Oppositit illi CL. GVST. CHRISTOPH. HOSMANNVS *hypotyposin chronologiae sacrae*. Cuius tela depellere studuit KOHLREIFIVS, in *defensione restitutae antiquitatis temporum*, & aliis scriptis.

†† Addatur IO. IAC. SCHMIDII *biblischer- historicus*, oder *Einleitung zu der biblischen Historie, Geographie, Chronologie, Genealogie, &c.* Lipsiae, MDCCXXVIII.

& *sedes ecclesiae*, tum ante, tum post diluuium, 2. *loca & terras illorum populorum*, quae *respectum ad ecclesiam habuerunt*, cognoscamus: in *nouo* testamento considerandae sunt *sedes, vbi fundata est ecclesia* christiana, & vbi *praecipui eius episcopi* habitauerunt. Non desunt vero praeclari virorum doctorum commentarii, quibus hanc eruditionis partem expeditiorem fecerunt. Vt enim de veterum laboribus nihil dicamus, inter quos eminet EVSEBII & HIERONYMI *onomasticon vrbium & locorum sacrae scripturae*, IACOBI BONFRERII & IOANNIS CLERICI animaduersionibus auctum; inter recentiores, qui *fusius* hoc argumentum tractarunt, reliquis praeferendi sunt CHRISTOPHORVS CELLARIVS, in *notitia orbis antiqui*, adcuratissimis tabulis instructa & cum adnot. cel. SCHWARZII recusa, Lipsiae, 1731. SAM. BOCHARTVS, in *geographia sacra*, vbi in gentium origines studiose inquirit. NICOL SANSONII *geographia sacra, ex veteri ac nouo testamento desumta & in tabulas quatuor concinnata*, quam praefatione, animaduersionibus & indice instructam, edidit IO. CLERICVS, Amstelodami, MDCCIV. Speciatim de *palaestinae* situ & indole scripserunt CHRISTIANVS ADRICHOMIVS, in *theatro terrae sanctae*. CHRISTOPH. HEIDMANNVS, in *palaestina*, & qui variae eruditionis adparatu reliquos omnes superat, HADR. RELANDVS, in *palaestina ex monumentis veteribus illustrata*, & *tabulis adcuratis instructa*; nec non BERNHARD. DE BREITENBACH, OLIVER DAPPERVS, HENRICVS MAVNDRELL, FELIX BEAVGRAND, aliique, qui *itineraria terrae sanctae* scripserunt, quos enumerant *acta eruditorum anni* MDCCIII. *p. 276.* inter quos eminet HENR. BVNTINGII *itinerarium scripturae sacrae*, cum notis IO. GE. LEVCKFELDII MDCCXVIII. recusum. Singularem etiam huic argumento lucem attulerunt in suis ad scripturam commentariis ANDR. MASIVS, IAC. BONFRERIVS ad *Iosuam*, & IO. LIGHTFOOT in *chorographiis*

graphiis, quas suis in euangelistas *horis ebraicis & talmudicis* inseruit, atque BERNH. LAMY in *adparatu geographico ad harmoniam IV. euang.* Qui *compendia* amat, adire potest FRID. SPANHEMII *geographiam sacram & ecclesiasticam*, quae primum separatim edita, deinde *tomo I. operum* eius inserta est; GEORGII HORNII *geographiam sacram & profanam*; AD. ERDM. MIRI *geographiam sacram*; ven. IO. GE. PRITII *introduct. ad lect. N. T. c. XXXVII.* qui & *elegantes tabulas* adiecit, quales etiam in IO. CLERICI ad *pentateuchum commentario*, AVG. CALMET *commentario ad Iosuam*, GERH. VON MASTRICHT *N. T. graeco*, cum voluptate conspiciuntur. Neque negligendi sunt, qui *specialia geographiae sacrae argumenta* pertractauerunt, vt SAM. BOCHARTVS, PET. DAN. HVETIVS, & SAL. VAN TILL de *situ paradisi terrestris*. AEG. STRAVCHIVS, & HENR. KLAVSINGIVS de *insulis gentium*. SEB. BARRADIVS, in *itinerario filiorum Israel ex Aegypto*, & ADAM. ERDM. MIRVS, in *Fragen von den Reisen der Kinder Israel durch das felsigte Arabien*. MARTIN. LIPPENIVS, GODOFR. WEGNERVS, & PETR. DAN. HVETIVS, de *nauigationibus Salomonis Ophiriticis*. Add. CHRISTOPHORI CELLARII dissertationes: *itinerarium apostolicum*; de *septem ecclesiis Asiae*, & quae alia huc pertinent. Omnia enim enarrare nimis longum est, & a nostro instituto alienum. Addimus verba ANDR. HYPERII, de *recte formando theologiae studio lib. I. c. V. Nisi partium terrae descriptionem, inprimis autem palaestinae situm, quis teneat; neque vllam historiam sacram, neque prophetarum vaticinia & conciones plene percipiet.* Vnde exegeseos sacrae studiosum *tabulas geographicas* subinde ad manus habere par est, ad quas omnia, quae legit, reuocet. Primum enim illae erunt memoriae fulcimentum; deinde claram rei ideam in animo describent; deinde animum ex seuera lectione fessum recreabunt,

vt prudenter iudicat STEPH. GAVSSENIVS, in *dissert. theol. p. 40* Ceterum plura de geographiae sacrae scriptoribus suppeditabit IO. ALB. FABRICIVS, in *bibliogr. antiqu. c. V. p. 126.* & IAC. LE LONG, *bibl. sacr. tom. II. p. 1051.*

§. IX.

Denique multa etiam sunt scripturae capita, quae aliquam sacrae *genealogiae* notitiam requirunt; * immo nec profanam ad quaedam loca rectius intelligenda prorsus inutilem esse, periti norunt. **

* IOAN. CONR. DANHAVERVS, in *hermen. sacr. p. 317* *Genealogiam videtur dissuadere apostolus 1 Tim. I, 4* † *Tit. III, 9. sed quam intelligat, ipsa epithetorum adiectione declarat, fatuam scilicet, inutilem ac vanam susceptam nimis scrupulose de nobilitate familiarum, vt constaret ex genealogiis, quoto consanguinitatis gradu vel reges, vel Christum seruatorem Iudaei, ecclesiae gremio nuper adsciti, attingerent, eo tempore, quo τὸ περισσὸν iudaicum inclinabat ad extrema, iamque nobilitas ebraea cum seruitute abiectissima commutanda erat -- Genealogia biblica plerumque a lectoribus perfunctorie tractatur: experietur autem adcuratus anagnostes, quam sapienti ac profundo consilio a spiritu sancto fuerit consignata.* Tria autem genealogiae biblicae genera constituit IO. OLEARIVS, in *elementis hermen. sacr. p. 59.* scilicet 1) *politicam* generis humani, quam Moses (a PRVDENTIO *apotheos. v. 383. genealogus* adpellatus) dedit Gen. X. ex quo illa reperitur 1 Paral. I. Deinde 2) *Israeliticam* Exod. I. & VI. & 1 Par. II-IX. quibus capitibus, quae haud paucis nodis passim impedita sunt, post LVD. LAVATERVM, in *comment.*

† Per genealogias hic intelligi *commenta cabbalistarum* euincere studuit IO. MICH. LANGIVS, *de genealogiis numquam finiendis, Norib. 1696.*

comment. in vtrumq. librum chronicorum, lucem adfundere magna diligentia studuit ven. IO. HENR. MICHAELIS, in *adnotat. vberioribus ad hagiographa*, *tom. III. p.* 294. *seqq.* qui etiam *ib. p.* 266. de *vsu* istarum genealogiarum erudite disserit. Addantur REINERI REINECCII *familiae regum iudaicorum*, quae etiam HIERON. HENNINGES *theatr. genealogicō tomo I.* insertae leguntur. Denique 3) *ecclesiasticam*, ad quam tum *patriarcharum*, qui ante & post diluuium vixerunt, Gen. V. X. tum *Christi* genealogiam refert; de qua inprimis bene meritus est ven. IO. MICH. LANGIVS, tum in *dissertationibus de genealogia Christi ex patribus secundum carnem*, MDCCIII. tum *in Berlinischen Hebopfer*, *tom. II. p.* 214. *coll. tom. III. p.* 202. Add. FRANCISCI GOMARI *examen controuersiarum de genealogia Christi*, Groeningae, MDCXXXI. GERH. IO. VOSSII tr. *de genealogia & annis Christi*, Amstelodami, MDCXLI. GODOFR. OLEARII tract. german. elegantissimus: *Iesus der vvahre Messias*, *p.* 228. *seqq.* & *observ. in Matthaeum p.* 22. *seqq.* GVIL. etiam SVRENHVSIVS in *βίβλῳ καταλλαγῆς* ex antiquis iudaeorum monumentis aliquid lucis illi foenerari conatus est. † Generatim vero ad studium genealogiae biblicae expeditius reddendum comparatae sunt IO. PET. GRVNEBERGII *tabulae genealogicae sacrae*, quamuis vir doctissimus, dum genealogicis difficultatibus mederi voluit, nonnumquam minus, quam par erat, chronologicis & grammaticis attendit, sua ceterum laude non defraudandus. Commendanda etiam eius diss. de *Matthaei fide genealogica in media tesseradecade*, Rostochii MDCCI. habita.

** *Profanae* scilicet genealogiae studium vtile est in illustrandis stirpibus regum *Assyriacorum*, *Babyloniorum*, *Medicorum*, *Persicorum*, quorum in scri-

† Plures recenset IAC. LE LONG *bibl. sacr. tom. II. p.* 1061.

pturis mentio iniicitur, maxime in genealogiis *Syriae* & *Aegypti* regum, quas qui ignorat, multa loca Danielis parum intelliget; quarum proinde notitia ex PAVSANIA, DIODORO SICVLO, APPIANO, IVSTINO haurienda est. Ceterum conferri potest ADAMI RECHENBERGII diss. de *praestantia studii genealogici*, quae in volumine *dissertationum* eius *historico-politicarum, part. II. p.* 779. legitur, vbi praeter originem & fata huius studii (de quibus etiam IAC. FRID. REIMMANNVS commentatus est) eius quoque vtilitatem ac necessitatem in theologia auctor ostendit.

§. X.

Ceterum historiae, geographiae ac genealogiae, inter alia commoda, hic etiam vsus est singularis, quod earum notitia caueat, ne *nomina propria* cum adpellatiuis & adpellatiua cum propriis temere confundantur. *

* Multos ex hac confusione errores nasci posse, supra *lib. I. c. II. p.* 50. iam obseruatum fuit. Quod ad *nomina propria personarum* attinet, apud ebraeos vnicum nomen in vsu fuit, quod primis temporibus statim a natiuitate, deinde in circumcisione imponi solebat. Posthac additum nomen parentis, vt *Saul filius Kis*, *Iehu filius Nimsi*, *Simon bar Iona*, cet. Satis frequens autem inter ebraeos fuit mutatio nominis, variis de caussis, vnde multi apud eos *binomines* inueniuntur: quae res, vti obseruata, magnas difficultates tollit, ita neglecta, non exiguos parit errores, vt obseruauit MATTH. FRID. BECKIVS ad *targum chronicorum p.* 136. In peregrinae autem linguae nominibus propriis efferendis tripliciter versari solebant ebraei. Nam 1) *aliter pronuntiabant*, quam reliquae gentes, vt *Cores* pro Cyro, *Artasasta* pro

pro Artaxerxe; 2) ex peregrina lingua *interpretabantur in ebraicam*; 3) nomina *in aliam* atque *ingeniosam significationem deflectebant*; quae omnia non possunt non multiplices difficultates lectoribus obiicere, vt obseruat cel. IO. ALB. FABRICIVS, in *bibliographia antiquaria c.* XX. *p.* 612. cui iungatur cel. IO. CHRIST. WOLFIVS, in *biblioth. ebr. part* II. *p.* 571. vbi & alias circa nomina propria obseruationes vtilissimas suppeditat, quod & SAL. GLASSIVS facit, in *philol. sacr. lib.* IV. *tract.* III. Non inutilem igitur operam susceperunt, qui nomina propria, in sacris litteris obuia, collegerunt & interpretati sunt. Huc pertinet DAV. CHYTRAEI, theologi Rostochiensis, *onomasticum theologicum*, quod primum sub *Theophili Lebei* nomine lucem adspexit Witebergae MDLVII. item IO. LEVSDENII *onomasticum sacrum*. *Anonymi onomasticum nominum propriorum*, cum interpretatione latina, *tom. VI. polyglott Londin.* nec non MATTHAEI HILLERI *onomasticum sacrum, in duas partes distinctum:* vbi in *priori* nominum propriorum, quae in sacris litteris leguntur, origo, analogia, & sensus declaratur; in *posteriori*, secundum ordinem litterarum digesta, nomina explicantur, & quibus rebus personisue fuerint imposita, significatur, Tubingae MDCCVI. quo in opere vir doctissimus, (qui hoc labore etiam in *vernacula* lingua defunctus est, in *bibliis Sudgardiensibus*,) reliquis omnibus palmam praeripuisse, a viris harum rerum peritis iudicatur. Addatur IO. SCHVZII *adparatus nominum propriorum biblicus*, qui IV. tomis forma octaua Dresdae prodiit, AD. ERDM. MIRI *onomasticon biblicum* lingua *vernacula* MDCCXX editum; vt AVROGALLI, PLANTINI, FRANCI aliorumque labores taceamus, quorum catalogum exhibet reu. IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, in adpendice ad *historiam lexicorum ebr. p.* 229. & in *biblioth. ebr. part. II. p.* 565. vti

lexicorum geographicorum conditores recenſet cel. IO. ALE. FABRICIVS, in *bibliogr. antiqu. c. V. p.* 139. Iungantur, qui *lexica hiſtorica* vniuerſalia dederunt, CAROLVS STEPHANVS, LVD. MORERIVS, IO. IAC. HOFMANNVS, MATTHIAS MARTINI, PETR. BAELIVS, cum iudicio tamen legendus, & ven. IO. FRANC. BVDDEVS. Speciatim huc comparatum eſt SIMONIS doct. Lugdunenſis, (a RICH. SIMONE diſtinguendi) *dictionarium biblicum magnum, ſeu explicatio litteralis & hiſtorica omnium nominum propriorum veteris & noui teſtamenti, cum vita & actionibus praecipuarum perſonarum*, quod auctius MDCCIII. Lugduni Gallorum, lingua gallicana, prodiit; † nec non AD. RECHENBERGII *hierolexicon reale*, & CL. DAN. SCHNEIDERI *allgemeines bibliſches Lexicon*, 1728.

§. XI.

Ita tamen omnibus hiſce adminiculis in exegeſi ſacra vtendum eſt, vt omnis abuſus omnisque oſtentatio, ad pompam inſtructa,* ſollicite euitetur; vnde & hic obſeruandae ſunt *cautelae*, quas prudentia praeſcribit.**

* Non piget adponere egregia verba venerandi viri, IO. GE. PRITII, in *praefat.* ad *introduct. in lectionem N. T.* quibus, quodnam *pretium* his rebus ſtatuendum ſit, pie docet: *Licet, qui deſtituuntur iſtis adminiculis, ad ſalutis ſuae cognitionem, a ſacro flamine per ipſum verbum inluſtrati, feliciter enitantur; illi tamen, qui altius ſapere, & lucem aliis in interpretanda ſacra ſcriptura praeferre debent, cur ad circumſtantias penitius cognoſcendas non adſci-*

† AVG. CALMETI *dictionarium biblicum* lingua *gallicana* Pariſiis 1722. prodiit, a IO. DOMINICO MAVSI in linguam *latinam* conuerſum & Venetiis 1726. excuſum.

sciscerent, quae ab historia, chronologia, geographia, *& quae huius generis sunt similia, suppeditantur media? Equidem in istis studiis velati ad sirenos scopulos consenescere, nec ad vlteriora sese conferre, quod multis facere solemne est, & inutile & damnosum etiam fuerit. Sed itsdem ita vti, vt ad solidiora expeditior via sit, omniaque demum ad supremum scopum referantur: tum magno aliquando emolumento esse potest; tum & laudem meretur eximiam.* Subiungit vir venerabilis ERASMI ROTHRODAMI verba, cedro digna, ex *enchiridio militis christiani p. 54. Litteras amas, recte, si propter* CHRISTVM. *Sin ideo tantum amas, vt scias: ibi consistis, vnde gradum facere oportebat. Quodsi litteras expetis, vt illis adiutus* CHRISTVM *in arcanis litteris latentem clarius perspicias, perspectum ames, cognitum atque amatum communites, aut fruaris; accinge te ad studia litterarum.*

** I. *Cauendum est, ne varia praeiudicia, ex historicis hausta, in sacrae scripturae interpretationem intrudamus.* Ita ea, quae in vulgaribus compendiis historicis de *quatuor* summis *monarchiis* traduntur, lubricis fundamentis initii, viri docti dudum demonstrauerunt. Si enim ex sola amplitudine, potentia aut diuturnitate aestimanda sint imperia, non quatuor, sed longe plures admittendae erunt monarchiae, quippe *quum olim in Asia, iam ante Alexandrum, tot numero floruerint amplissima imperia, Assyriorum, Babyloniorum, Medorum, Persarum, non autem duo tantum, quod vulgo creditur: Asia eadem post Romani imperii interitum itidem habuerit, hodieque ex parte habeat, vastissima regna Saracenorum, Turcarum, Tartarorum, Persarum & Sinensium*, vt hac de re loquitur HERM. CONRINGIVS, in *exercitationibus academicis de republica imperii germanici, exerc. II. §. LIV.* Addatur GERH.

IO.

IO. VOSSIVS, *in isag. chronol. diss. I. c. I.* Istam igitur hypothesin quid ad *colossum Danielis* c. II, 31. seqq. cum SVLPICIO SEVERO, *in historia sacra lib. II. c. III.* IOANNE SLEIDANO, *de quatuor monarchiis*, aliisque, adcommodant, illi circa imperium quartum rite exponendum vix sibi ab errore cauebunt; qua de re pluribus videatur ven. IO FRANC. BVDDEVS, in *hist. eccl. vet. testam. tom. II. p 768. seqq.* & IOACH. LANGII *hist. eccl. V. T p 733.* Addimus aliud exemplum ex CAMP. VITRINGA, *in typo doctr. proph. p. 208. Leges*, inquit, *apud Sabellicum, Cuspinianum, aliosque*, CAROLVM, *Francorum & Germanorum regem, a Leone III. pontifice solemniter dictum esse* IMPERATOREM ROMANORVM, *exeunte seculo octauo, & hoc imperii ἀξίωμα ad eius posteros, & inde ad Germanorum reges, quorum primus* OTTO *illud suscepit, esse translatum. Sed lusus hic scenicus non debet misceri cogitatis spiritus sancti, quum nihil veri, omnia simulata habeat.* LEO *enim & populus Romanus illo tempore non poterant creare imperatorem Romanum, quum sui non essent iuris, nec plus dare possent Carolo, quam ipse iam possidebat. Si imperator dicendus sit* CAROLVS, *dicendus est* FRANCISCVS: *si* OTTO *& successores eius;* TEVTONICVS. *In visis vtique propheticis Danielis & Apocalypseos imperium Romanum tempore Caroli iam censetur esse abolitum, & Germaniae imperium pro regno habetur.* Addatur eiusdem *anacrisis apocal. p. 770. sqq.*

II. *Superflua omnia & ad curiositatem, quam vtilitatem, adcommodatiora, ab his studiis, per se satis amplis & diffusis, resecentur.* Obseruandum id est

α) *In historia antiqua*, vbi multa sunt incerta, ambigua, obscura, inutilia, quaeque, si vel ad vnguem callueris, nihil te ad scripturam rectius intelligendam reddiderint aptiorem; ex. gr. quae de bibliothecis & libris antediluuianis disputantur. β) *In*

β) *In chronologiae studio*, vbi, monente cel. IO. ALB. FABRICIO, in *bibliogr. antiqu. c. VII. p. 186 diligenter euitandus est hic scopulus, ne in subtilioribus & incertis tempus & operam diutius ludamus; sed certis & exploratis inhaerentes, in aliis simus verosimilitudine contenti, neque omnia ad puluiſculum excutiendo, in minutiis sudemus & angamur, ac post longos & insanos aestus tamen cogamur denique fateri, incertiores nos esse, quam dudum*; cetera. Nam & alia monita saluberrima, inprimis de *supputationum astronomicarum ad chronologiam adcommodatione*, vir eruditissimus ibi suppeditat.

γ) *In geographia antiqua.* Quo haud immerito retuleris, quae de *situ paradisi* terrestris atque *fluminibus*, illum irrigantibus, magna animorum contentione inter viros doctos disputantur. ASCANIVS MARTINENGVS illum in insula *Ceilan* quaerit; IO. HENRICVS HEIDEGGERVS, in *palaestina*, circa vallem Hierichuntinam & mare mortuum; IO. CLERICVS in *Syria Damascena*, inter Chrysorrhoam & Orontem; SAM. BOCHARTVS, circa *Nahar-Malca*, ad primum Euphratis & Tigris confluentem; PETR. DAN. HVETIVS, in *Mesene* inferiori, SAL. TILLIVS, in *Mesopotamia*; THOMAS BVRNETIVS, in *climate australi*, quod zona torrida, (quam *Cherubinum* a Mose vocari, lepide sibi persuadet) inaccessum faciat; alii eum alibi quaesiuerunt, quorum sententias fuse recenset IO. MARCKIVS, in *historia paradisi illustrata*. Quin alii, quum desperarent, se in tellure nostra paradisi locum inuenturos, eundem in *coelo* aut aerio, aut omnino beatorum positum fuisse existimarunt. Multo sane rectius eos facere iudicat ven. IO. FRANC. BVDDEVS, in *histor. eccl. V. T. tom. I. p. 108. qui in his suam ingenue profiteri ignorantiam non erubescunt. Quum enim* inquit, *de re, a nostra aetate remotissima, sermo sit, nominaque antiquis-*

quissima fluuiorum, populorum & regionum non satis nobis sint explorata, quam circa fluuios multae magnaeque saepius contingant mutationes; mirum non est, difficultates hic occurrere inextricabiles, & quae humana diligentia superari nequeunt.

δ) *In genealogia*, de qua ven. AD. RECHENBERGIVS, in diss. sub HIER. KROMAIERI praesidio olim habita, de *insana in theologia curiositate* §. *VIII.* non immerito dicit: *Ad curiosorum censum etiam pertinent, qui in textus sacri explicatione genealogias cuiusuis, a patriarchis aut tribu Israelis descendentis, scrupulose perquirere satagunt.* Quorsum etiam referenda est GISB. VOETII quaestio, quam inter cetera disputationis inauguralis problemata proposuit: *Quoto cognationis gradu nos nunc Adamum attingamus?*

III. *Cauendum, ne incertas ac nouas coniecturas, velut veritates extra omne dubium positas, nimia audacia aut propugnemus, aut amplectamur; neue ob difficultates aliquas chronologicas rem, bonorum scriptorum testimonio satis munitam, temere in dubium vocemus.* Prius illud a IOANNE HARDVINO & HERM. VON DER HARDT, saepius fieri, docti dudum obseruauerunt; quibus nonnumquam leues adlusiones etymologicae ad sollicitandam veterum omnium fidem sufficiunt. Cogitandum est, *difficilem esse veterum locorum & nominum, quorum mentio fit in historia vetere, indicationem & comparationem, nostris tam longe remotis temporibus. Nec etiam hic nominibus ipsis satis fidas. Sunt enim saepe ad veterum memoriam alii in locis instauratae vrbes, vel nomina ad alia loca & vrbes translata*, vt sincere iudicat CAMP. VITRINGA, *comm. in Esa. tom. II. p. 376.* Idem de obseruationibus *chronologicis* obseruandum, quas peritissimi harum rerum viri saepe satis incertas, & coniecturis, non demonstrationibus, nixas esse, ipsi fatentur. Ita DION. PETAVIVS, *lib.*

lib. II. epist. XI. *Sua cuique*, inquit, *putandorum temporum ratio est; a nobis ista* (de Christo, anno orbis 3984. nato †) *certis de caussis est constituta. Neque vero id ἀποδείξει mera; sed maiori ex parte coniectura nititur. Quare qui aliter existimat, non magnum flagitium fecerit.* Quam crebro vero summum flagitium & non nisi horrendis conuitiis expiandum, a viris doctis reputetur, si quis incertissimas ipsorum de his rebus coniecturas non pro oraculis habere velit, incognitum esse non potest.

IV. *Cauendum denique, ne in eiusmodi rebus amplectamur hypotheses, in verbi diuini honorem integritatemque iniurias.* Cedant *profana sacris*, & vbi inter historicos, aut chronologos, aut geographos sacros & profanos commoda conciliatio instituí nequit, hos potius, quam illos erraſſe putemus. De *historicis* scriptoribus egregie ven. IO. FR. BVDDEVS, in *hist. eccles. V. T. tom. I. p. 9.* *In scriptura*, inquit, *sacra, speciatim in libris canonicis, quidquam etiam in rebus historicis occurrere, quod veritati non sit consentaneum, nullo hactenus exemplo comprobari potuit. Fidem itaque summam, & quae nullam dubitationem admittat, promerentur, quae in ea narrantur. Idque quum aliunde satis constet, tum ex ipsa scripturae cum historicis profanis collatione, luculenter demonstrari potest. Aut enim, quae profani scriptores tradunt, cum scriptura sacra consentiunt; aut non consentiunt. Si consentiunt, mirifice inde historiae sacrae veritas confirmatur, id quod luculenter ostendit* PETRVS DAN. HVETIVS, in *demonstratione sua euangelica:* (addatur PET. ALLIX, in *vernünftigen Betrachtungen über die Bücher heiliger Schrift part. II. c. II. p. 11.* ††) *Si non consentiunt, profanae historiae tam incerta est, tamque lubrica fides, tanta au-*

† Conf. de hoc argumento V. Cl. IO. GOTTLIEB HEINECCII dissert. *de genuina natiuitatis Christi aera, nummis & inscriptionibus antiquis illustrata*, Halae 1708.

†† Et SAM. SHVCKFORDS *harm. der heiligen u. profan-Scribenten.*

auctorum, qui eam litteris consignarunt, a se inuicem diserepantia: † *vt ineptus plane sit, ac ratione destitutus, qui eam historiae sacrae praeferre velit.* Et repertus tamen fuit, qui id faceret, IO TOLANDVS, in *originibus iudaicis*, qui vnius STRABONIS, aut alterius cuiusuis e numero gentilium scriptoris narrationem Mosaicae praeferre impudentissime ausus est, suo olim merito castigatus a ven. IO. FR. BVDDEO, in progr *de origine gentis ebraeae contra Io. Tolandum*, quod extat in *syntagmate differt. theol p.* 714 MARSHAMVS etiam atque SPENCERVS contra hanc cautelam peccauit.

Idem de *chronologia* scriptorum sacrorum ac profanorum obseruandum venit. Qua de re rursus lubet adponere verba ven. BVDDEI, *in hist. eccl. tom. I. p.* 51. *Biblicam chronologiam merito fundamenti loco poni, & pro infallibili agnosci fatentur tordatiores omnes; sed ideo exoticos scriptores* (vt CHRISTIAN. RAVIVS & MATTHIAS WASMVTHVS fecerunt) *non plane reiiciendos esse, immo operam potius nauandam, vt cum scriptura sacra, si ab ea dissentire videantur, concilientur. In contrarium vero currunt, apud quos exoticorum scriptorum tanta est auctoritas, vt scripturam sacram ad eos exigant, & ad minimum fontes ebraeos deserant, ne iactatam forte ab Aegyptiis, aut Chaldaeis antiquitatem reiicere cogantur.* Hoc praeter ISAACVM VOSSIVM, aliosque, etiam PAVLVS PEZRONIVS fecit, in libro, gallicano idiomate scripto, cui titulus: *Antiquitas temporis restituta & defensa, contra Iudaeos & nouos chronologistas*, qui Parisiis MDCLXXXVII. prodiit; cui tamen LE QVIEN *antiquitatem temporis destructam*, nec non *defensionem textus ebraei* opposuit. †† Supponit nimirum Pezronius, Iu-

† Ex instituto id demonstrauit EDVARD. STILLINGFLEET in *originibus sacris*.

†† Septem etiam disputationibus, Gryphiswaldiae 1705. habitis, ven. GEBHARDI loca scripturae, a Pezronio turpiter peruersa, vindicauit.

Iudaeos aerae duarum priorum mundi aetatum, quae ab orbe condito vsque ad vocationem Abrahami e patria pertingunt, quindecim secula esse suffuratos, eo fine, vt negare liceret, sextum millenarium iam adesse, quo venturum esse Messiam vetustissima apud illos traditio perhibuerit. Huic arenoso fundamento cetera deinde superstruit, ad calculum LXX interpretum cuncta exigendo. Hanc nimirum isti homines optimam putant esse viam, ad obtundendam eorum impietatem, qui ex profanorum gentium antiquitate sacrarum litterarum fidem impugnant. Sed recte monet AEGID. STRAVCHIVS, in *breuiario chronol. parte speciali lib. IV. c. I. p.* 233. *indignum esse christiano homine facinus, ob gentilium quorumdam fabulas, sacros numeros reiicere, vtque mendacia confutemus, veritatem ipsam deserere.* Similiter IO. HARDVINVS, *operum select. p.* 543. in eos inuehitur, qui *canonem Ptolomaei*, vel inuitum ac reluctantem, *cum scriptura velint conciliare, idque tanta obstinatione, vt vix verum dixisse in sacris libris Deum putent, nisi ei cum ista membrana consensio sit.*

In *geographia* profana sacrae praeferenda rursus censuram meretur IO. TOLANDVS, de *origin. iud. p.* 138. qui *Strabonica*, inquit, *Iudaeae descriptio cum hodierno situ & soli statu, ab omnibus iuxta peregrinantibus obseruatis, optime concordat; etsi immensum recedere videatur a pentateuchi scriptore, qui eam vt frugum feracissimam, ac lacte & melle fluentem, exhibet. Quae si non figurate cum plerisque accipienda sunt: vt animus tamen & calcar adderetur occupaturis, per auia iam longo tempore & deuia errantibus, (quorum respectu paradisus certe dici potuit) sic repraesentari omnino necesse fuit, quod prudentissime pariter factum.* Ita nimirum Strabonis auctoritas tanta TOLANDO est, vt ipsa scriptura sacra ei cedere cogatur, cuius tamen errores in regionibus, quas numquam vidit, describenda PHIL. CLVVE-

RIVS, HERMANNVS CONRINGIVS, IOAN. CASAVBONVS, aliique dudum notarunt, vt obseruauit cel. IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib.* IV. *c.* I. *p.* 3. Castigauit hanc TOLANDI proteruiam IACOBVS FAGVS, in *defensione religionis, nec non Mosis ac gentis iudaicae contra duas dissertationes Io. Tolandi*, quae Vltraiecti anno huius seculi nona edita est; nec non doct. IO. BENIAM. MARTINI, in diss. *Ienae* habita, qua sistitur *palaestina, terrarum decus*, ab iniquis *Tolandi* criminationibus vindicata. Addantur ven. SAL. DEYLINGII *obseru. sacr. lib.* II. *obs.* IX.

LIBRI TERTII
CAPVT SEXTVM
DE
ADMINICVLIS SCRIPTORVM RABBINICORVM.

Σύνοψις.

Inter *adminicula rabbinica* quaenam hic potissimum in censum veniant, docetur §. I. II. quorum commonstratur

I. VSVS, & quidem eorum,
1. qui *lexica* condiderunt §. III.
2. qui *ritus & antiquitates* suae gentis descripserunt §. IV.
3. qui *commentarios litterales* dederunt §. V.

II. CAVTELAE hic obseruandae
1. *generatim* §. VI.
2. *speciatim*
a) quoad *obseruationes litterales* §. VII.
b) quoad *ritus* & antiquitates §. VIII.
c) quoad *formularum N. T.* cum talmu-

mudicis comparationem §. IX.
d) quoad *teſtimonium rabbinicorum allegationem* §. X.

§. I.

Quum non deſint inter eruditos viri praeſtantiſſimi, qui ex *talmudicis* ac *rabbinicis ſtudiis* inſignem prorſus lucem ſacris ſcripturis liberaliter pollicentur: operae pretium erit, quid hinc emolumenti rei hermeneuticae exſpectandum ſit, paucis declarare.

§. II.

In tanta autem ſcriptorum iudaicorum copia, poſt *monumenta talmudica*, * illi potiſſimum in cenſum hic veniunt, qui vel *lexica* ebraeae linguae ſcripſerunt; vel gentis ſuae *ritus* & *antiquitates* illuſtrauerunt; vel denique *commentarios litterales* in ſacri codicis libros poſteritati reliquerunt. **

* Vox תלמוד proprie *doctrinam* denotat; deinde per metonymiam transfertur ad illud *volumen, quod doctrinam complectitur.* Iſtud vero doctrinae iudaicae corpus duabus partibus abſoluitur, *miſchna* ſcilicet, ſeu textu, & *gemara*, ſeu commentario. *Miſchna* altero poſt Chriſtum natum ſeculo circa tempora Antonii pii a R. IVDA *Hakkadoſch* collecta fuit, quamuis eam IO MORINVS in ſeculum VI. ſed ſine fundamento reiecerit. *Gemara* exſtat duplex. *Hieroſolymitana* R. IOCHANANI adſcribitur, de cuius aetate varie diſputatur. IO. BVXTORFIVS refert ad annum Chriſti 230. MOSES MAIMONIDES, ISAAC ABARBANEL, aliique ad annum Chriſti 370. IO. LIGHTFOOT in ſeculum IV. IO. MARSHAMVS in ſeculum V. IO. MORINVS in ſeculum VII. IS. VOSSIVS in ſeculum VIII. reiicit.

reiicit. Buxtorfium tamen plures sequuntur. Gemaram *Babylonicam* incepit R. ASCHE, scholarcha Soranus, quem anno Christi 427. tradunt obiisse; absoluit R. IOSE, anno 500. mortuus; quamuis alii rursus recentiorem originem ipsi tribuant. Stilus *mischnae* ebraeus, *gemarae* chaldaicus; vterque satis impurus, concisus & obscurus; obscurior tamen & fere inaccessus in gemara. Vtrobique haud pauca occurrunt sana & vtilia, veteris theologiae iudaicae non contemnenda vestigia, quibus tamen multa impia, absurda, superstitiosa, friuola admixta sunt. Qui plura de hisce iudaeorum pandectis cognoscere desiderauerit, sequentes consulat auctores: CHRISTIANVM GERSONEM, in *talmudischen Iuden-Schatz*. IO. BVXTORFIVM, in *operis talmudici breui recensione*, quae eius *bibliothecae rabbinicae* subiuncta est, *p. m. 233*. AVG. PFEIFFERVM, in diss. de *talmude*, nec non in *critica sacra c. XV. p. 300*. IO. LEVSDENIVM, in *philologo ebraeo mixto*, *disp. XII XV*. ZACHAR. GRAPIVM, in *historia litteraria talmudis Hierosolymitani & Babylonici*. IO. ALB. FABRICIVM, in *bibliogr. antiqu. c. I p. 2* seqq. Omnes tamen adhibita in hoc argumento diligentia, multis modis superauit reu. IO CHRISTOPHORVS WOLFIVS, in *parte II. bibliothecae ebraicae*, vbi integro *lib IV. p. 657 993*. de nomine & origine talmudis, de argumento eius & dispositione, deque illius inter iudaeos pariter ac christianos fortuna & fatis, vberrime doctissimeque agitur. De *versionibus talmudis* singularem exercitationem CONR. SAM. SCHVRZFLEISCHIVS conscripsit.

** Inter *lexicographos* ebraeorum eminet DAVID KIMCHI, in ספר שרשים siue *libro radicum*. IEHVDA ZEVI, in *claue linguae sanctae*. IEHVDA MVTINENSIS, in *lexico ebraeo-italico*. IOSEPH BEN CASPI, in *catena argentea*. NATHAN

NETHA

NETHA BEN MOSCHE, in שבר ברורה siue *dictionario ebraeo-germanico-latino-italico.* DAVID DE POMIS, medicus ebraeus, in צמח דוד, qui inprimis voces *physicas* & *medicas* ex artis suae scriptis satis interdum docte illustrat; vt alios taceamus, de quibus videnda rev. IO. CHRISTOPHORI WOLFII *historia lexicorum ebraeorum.* Inter eos, qui *suae gentis ritus* & *antiquitates* descripserunt, excellit MOSES MAIMONIDES, iudicio pariter ac doctrina inter iudaeos celeberrimus, medio seculo duodecimo clarus, qui *XIV. libris* vniuersae doctrinae talmudicae nucleum est complexus, quem יד חזקה *manum fortem* (ex Exod. XIII, 9.) adpellauit, cuius nitidissima editio Amstelodami MDCCII. excusa est. Porro IACOB BARASCHER, qui scripsit *arba turim*, seu quatuor volumina, sanctionum talmudicarum breuiarium complexa, quae Berolini MDCCIII. rursus prodierunt: quibus IOSEPHI KARO *schulchan aruch*, MOSIS TARNENSIS *kiriath sepher*, & alia eiusmodi scripta adiicienda sunt; de quibus videndus IO. IAC. SCHVDT, in *deliciis ebraeo-philol. p. 177 seqq.* Mores & ritus gentis *hodie receptos* recensuit LEO MVTINENSIS, in *historia rituum suae gentis hodiernorum*, primum *italice* scripta, hinc in *gallicum* & *latinum* idioma conuersa, ac saepius edita. De praecipuis iudaeorum *commentariis litteralibus* infra c. IX. erit dicendi locus. Ceterum notitia scriptorum rabbinicorum tenuior quidem ex IO. BVXTORFII *bibliotheca rabbinica*, & HADR. RELANDI *analectis rabbinicis* hauriri potest; amplior vero & perfectior ex IVL. BARTOLOCCII *bibliotheca rabbinica magna*, quae v. tomis maioribus nitide excusa *Romae* prodiit; a CAROLO IOSEPHO IMBONATO, post auctorem operi immortuum, continuata & absoluta: cui iungenda rev. IO. CHRISTOPH WOLFII *bibliotheca ebraea*, vario

eruditionis genere referta, quae III. tomis formae quartae constat. Adde quae de *scriptoribus bibliothecarum ebraicarum* differit ven. BVDDEVS, in *isagoge. p. 139.*

§. III.

Quid commodi ex grammaticis & *lexicis* ebraeorum hauriendum sit, quiuis intelligit. Nempe tum genuinas vocum significationes ac formationes tradunt, adcuratiorem linguae ebraeae cognitionem quodammodo iuuant: quamuis ea, quae proponunt, non sine examine sint admittenda. *

* Equidem lingua ebraea non amplius vernacula est Iudaeis, sed perinde, vt aliae linguae, studio & industria ab illis addiscitur. At quum tamen doctiores in ea excolenda singularem diligentiam adhibuerint, & christianis in eius cognitione facem praetulerint; eorum auctoritas vti non nimis suspicienda, ita nec prorsus contemnenda ac proscribenda est. IO. FORSTERVM in alterum hoc extremum ruisse constat, vt rabbinorum labores omnes ad solidam ebraeae linguae intelligentiam nihil prorsus, quod laudem mereatur, conferre statuerit: † quod RICH. SIMON alicubi ex linguae rabbinicae ignorantia eum feciſſe cauillatur; sed longe alia docet vir diligentissimus, in *praefatione dictionarii* sui, vbi, *Si quis est*, inquit, *qui facultates suas in rabbinos profu-*

† Rabbinorum contra Förſterum causſam egit GVIL. SCHICKARDVS in *bechinath happeruschim p. 107.* & THOM. CARTVVHRIGHT, in *praef.* ad *electa targumico rabbinica in Geneſin*; nec non IO. MICH. DILHER, in *lectionis rabbinorum adſertione.* Sed magnus tamen CALOVIVS Forſteri defenſionem ſuſcepit in praeloqu. ad *bibl. illuſtr.* p. 16. 17.

profudit, qui in ipsorum synagogis longo tempore versatus est, qui domi propriis impensis ipsos praeceptores aluit, qui ipsorum commentarios studiose euoluit, FORSTERVS *est, & tamen (Deum & conscientiam meam testor!) nihil eximii reportaui. Eram illis initio addictus, vt alius quisquam; sed quo olim illis fui addictior, hoc nunc sum factus infensior, quod omnem operam & oleum me perdidisse vere, sed non sine dolore, fateor.* Sed nec ex altera parte sola iudaeorum auctoritate standum est, quippe quos *propriae suae linguae non adeo hodie peritos esse constat*, vt ipse MAIMONIDES fatetur in *more neboch. part.* II. *c.* LXVII. Saepe eos, vbi in eruenda vocis significatione anxie haerent, ad *fabulas* confugere, CAMPEGIVS VITRINGA in libro, *de decem viris otiosis c.* VIII. exemplis in medium adlatis, condocet. Ita peruulgata est apud iudaeos fabula, יין cuius mentio fit Psal. L, 11. esse *auem* tam *proceram*, vt, in medio mari consistens, fundum pedibus tangat, & aquae superficie genua tantum lauante, toto reliquo corpore supra mare elatus caelum capite attingat. Refert *Raba, filius Barchana*, in *Baba bathra c. V. f.* 73. 2. se, quum aliquando nauigaret, istam auem suis oculis conspexisse; in *Vaiikra rabba, sect.* XXII narratur, eam alis suis expansis solem obscurare; ibidemque nomen יין inde accepisse dicitur, quia sint in eo *multae species gustuum & saporum inter se differentium:* quam absurdam opinionem & etymologiam refert & adprobat adcuratissimus alioqui grammaticus DAV. KIMCHI, in *comm. ad Ps. L.* quod merito miratur FO. MORINVS, in *exercit. biblicis, lib.* II. *exerc.* VIII. *c.* V. §. 4.

§. IV.

Praecipuum vero vsum praestant, qui *ritus & antiquitates* suae gentis descripserunt;

quarum cognitio quam plurimis vtriusque testamenti locis lucem adspergit,* & typologiam sacram quodammodo adiuuat.**

* Multa *veteris* testamenti loca difficilia esse intellectu, nisi peritia antiquitatum ebraicarum instructus, ad illa accesseris, experientia docet, ac pluribus confirmat cel. TACO HAIO van den HONERT, in oratione, *de necessaria ad recte interpretandam scripturam sacram antiquitatum ebraicarum cognitione.* Quanta e. c. lux descriptioni *ingressus summi pontificis in adytum Lev. XVI.* ex antiquis Iudaeorum monumentis accedat, docte ostendit ven. SAL. DEYLINGIVS, *obseru. sacr. lib.* II. *obs.* XIII. Idem *obseru.* XXII. animaduertit, phrasi *ambulare in luce Iehouae* Esa. II, 5. respici ad ritum feriandi *solemnia festi tabernaculorum*, vbi adpropinquante primi diei nocte, quum se ad laetitiam ניסוך המים *effusionis aquae* accingerent, tot accendebantur lampades in domo hauriendi, vt non esset totis Hierosolymis platea vlla, quae non corruscaret ex ista irradiatione, adeo vt omnes incolae vrbis in *ista luce ambularent*, festique gaudio frui possent; vt illum ritum MOSES MAIMONIDES in *succa velulabb.* c. VIII. §. XII. XIII. describit.

Quod ad libros *noui* testamenti attinet 1) *Dictio ac formulae loquendi* ex scriptis talmudicis atque rabbinicis illustrari possunt. *Multa enim sunt in N. T. in quibus tum Christus, tum eius apostoli respexerunt ad sententias, prouerbia, parabolas, gnomas, mores, dogmata veterum sui temporis Iudaeorum, inter quos vixerunt & docuerunt: vnde fit, vt in his lux non contemnenda elici & educi possit ex illorum scriptis & antiquioribus monumentis ad horum illustrationem, & vero etiam declarationem & explicationem;* vt monet EVD. CAPPELLVS, in praefat. *spicilegii* sui. Ita phrasin, *esse in sinu Abrahae*, Luc. XVI, 22. 23. vsitatissimam esse

esse ebraeis, qui piorum animas בחיקי של אברהם *in sinu Abrahami* esse passim dicunt, pluribus commonstrat IO. LIGHTFOOT, in *horis talm. ad IV euang. p.* 851. *seqq.* Cum phrasi Christi Matth. XXVI, 24. Καλὸν ἦν αὐτῷ, εἰ οὐκ ἐγεννήθη ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος, conferatur phrasis talmudica, in massechet *berachoth cap. II f.* 21. *Qui praecepta non ex amore praestare voluerint*, נוח להם שלא נבראו *bonum esset ipsis, si numquam fuissent creati.* 2) *Res* etiam ipsa nonnumquam inde declarari potest. Ita cur Christus Matth. XXVII, 34. potum oblatum recusauerit, ex Bab. *Sanhedrin f.* 43. perspicitur, vbi R Chasda, *Qui egreditur*, inquit, *vt interficiatur, bibendum ipsi praebent granum thuris in poculo vini, vt distrahatur mens eius.* Christus autem illud ebrietatis vitium vitare, mentemque ac spiritum ab omni labe immunem Deo offerre voluit; adeoque potum illum mixtum, ad mentem turbandam compositum, accipere detrectauit. Recte Christum aduersarios suos Matth. XXII, 20. ad *imaginem* & *inscriptionem monetae* ipsorum abiegasse, docet regula in ipsis scholis Iudaeorum recepta: *Vbicumque numisma regis alicuius obtinet, illic incolae regem istum pro domino agnoscunt*; teste MAIMONIDE, in *gezelah c. V.* Verba Matth. XXI, 44. *Qui in eum lapidem ceciderit, confringetur; & in quem lapis inciderit, eum conteret*: ex ritu lapidationis, apud Iudaeos recepto, explicanda sunt, de quo *Sanhedrin c. VI. Locus lapidationis altitudine aequauit duplicem hominis staturam: inde e cliuo eum in terram praecipitauit vnus e testibus, in lumbos impactum. Si inde moriebatur, bene; sin minus, testis alter lapidem in cor eius impirgit.* Ceterum viris doctis dudum obseruatum fuit, magnam interdum esse conuenientiam inter *parabolas* a Christo Domino nostro prolatas, & in talmudicis pandectis obuias. Ita aliqua leguntur in *Berachot c. V. f.* 31.

quae parabolae Seruatoris de *diuite epulone*; aliqua in eodem codice gemarae Hierosol. quae parabolae de *operariis, in vineam conductis*; aliqua in *Schabbath*, c. XXIV. f. 153. quae parabolae de *virginibus prudentibus & fatuis* respondent, quae videri possunt apud ROB. SCHERINGHAMIVM, in praef. ad *codicem Ioma*, & IO. VORSTIVM, in *philol. sacr* c. IV. p. 141. Fuerunt igitur, qui haec talia *a Iudaeis ad Iesum peruenisse* crediderunt, non quod ea Iesus ex talmude (quippe quod eo tempore nondum in litteras relatum exstabat) sed ex consueta differendi ratione acceperit. Alii versa vice *talmudicos doctores ea a Christo accepisse* existimant, siue quod quidem aequalis & σύγχρονος Domini nostri, sermonibus eius capti, clanculum eiusmodi parabolas in schedas retulerint, a compilatoribus gemarae deinceps visas & excerptas; siue quod ipsi illi consarcinatores noui foederis tabulas, curiositate ducti, peruoluerint, &, quae placebant, sua fecerint. In hanc sententiam ingressus est IO. OWENVS, *in theologumenis lib.* V. *digress.* IV. *p.* 412. 429. IO. A LENT, in *theologia iudaica p.* 60. IO. IAC. SCHVDT, in *memorabilibus iudaicis*, *part.* I. *c.* XVI. *p.* 526. *seqq.* IO BENED. CARPZOVIVS, in praef. *ad* IO. LIGHTFOOTI *horas talm. in quatuor euangelistas* & IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, in *biblioth. ebr. part.* II. *p.* 978.

Quum vero non cuiusuis sit, pandectas talmudicas atque rabbinorum monumenta excutere, & quae ad noui testamenti intelligentiam faciunt, inde conquirere, conferendi sunt auctores,

I. *Qui ea, quae magistri ebraeorum de suae gentis antiquitatibus praeceperunt, in systemata, vel compendia redegerunt*, vt sunt BENED. ARIAS, a patria MONTANVS dictus, in IX. *libris antiquitatum iudaicarum*. GVIL. GOEREE, qui *belgica* lingua scripsit *antiquitates mosaicas*, IV. vol. nec non *antiquitates iu-*

iudaicas II. vol. Amstel. MDCXC. & MDCCII. fol. IO. LVNDIVS, qui scripsit *Jüdische Heiligthümer*, cum docta praefatione ven. HENRICI MVHLII, MDCCXII. recusa IO. CONR. DIETERICVS, in *antiquitatibus biblicis veteris & noui testamenti*. THOM. GOODWIN, qui anglicano sermone MDCXIV. scripsit *Mosen & Aaronem*, qui liber etiam in latinum conuersus, notis IO. HENR REIZII, & IO. HENR. HOTTINGERI, aliquoties in publicum prodiit. HENR. IAC. VON BASHVYSEN, qui dedit *systema antiquitatum ebraicarum minus*, in quo etiam *maius* promittit, cuius delineatio conspicitur in *actis erud. germ. part. XXV p 82.* HADR. RELANDVS in *antiquitatibus veterum ebraeorum*, quas ex ipsis fontibus talmudicis vir doctus hausit. cet.

II Qui *sparsim* multa antiquitatum sacrarum capita attigerunt, vt IO. BVXTORFIVS, in *lexico talmudico*. IO. HENR. OTTO, in *lexico rabbinico-philologico*, IO. LIGHTFOOT, IO. SELDENVS, IO. COCCEIVS, IAC. ALTINGIVS, CONSTANTINVS L'EMPEREVR, FORTVNATVS SCHACCHVS, in *myrotheciis tribus sacrorum elaeochrismatum*, quod opus primum *Romae*, deinde *Amstelodami* MDCCI. fol. prodiit. IO. LEVSDENIVS, in *philologo ebraeo-mixto*. IO. ERICVS OSTERMANNVS, in *miscellis rerum iudaicarum*, nec non rei publicae iudaicae scriptores, *supra p. 460.* recensiti. Adde HERM. CONRINGII, THEODORI DASSOVII, IO. ANDR. DANZII, HERM. VON DER HARDT, aliorumque varias *dissertationes*. Maiorem numerum scriptorum huc pertinentium suppeditat NICOL. MOLLERVS, in diss. *de modernis antiquitatum ebraicarum scriptoribus*, Ienae anno MDCXCIII. habita, & reu. IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, in *biblioth. ebr. p. 1083.* nec non cel. IO. ALB. FABRICIVS, in *bibliogr. antiqu. c. I. p. 8.* qui & *p. 21.* conspectum thesauri antiquitatum ebraicarum

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0557
DFG

carum exhibet, qualem etiam IO. VLR. MEVRER promisit, teste *hist. crit. reip. litter. tom. VII. p. 438.*

III. *Qui vsum scriptorum iudaicorum exegeticum in suis scriptis iam ostenderunt*, suaque ex illis arua largirer irrigarunt, inter quos praecipui sunt, IO. BVXTORFIVS vterque, IO. BENED. CARPZOVIVS, CHRISTOPHORVS CARTWRIGHTVS, IO. ANDRAEAS DANZIVS, IO. DRVSIVS, PAVLVS FAGIVS, IO. FRISCHMVTH, SAM. BOCHARTVS, HENRICVS AINSWORTH, MARTINVS GEIERVS, THEODORICVS HACKSPANIVS, tum in notis *philol. theol. in libros scripturae sacrae*, tum peculiari tract. *de vsu librorum rabbinicorum*, qui libro *Nizzachon*, ab ipso edito, subiunctus est; CONSTANTINVS L'EMPEREVR, IO. LIGHTFOOT, RAYMVNDVS MARTINI, ANDR. MASIVS, IO. MEIERVS, IOAN. MERCERVS, SIMEON de MVIS, AVG. PFEIFFERVS, HADR. RELANDVS, IAC. RHENFERDIVS, BALTHASAR SCHEIDIVS, GVIL. SCHICKARDVS, SEB. SCHMIDIVS, IO. SELDENVS, GVIL. SVRENHVSIVS, CAMP. VITRINGA, HERM. WITSIVS, IOAN. BRAVNIVS, THEOD. ACKERSLOOT, cet. Inter hos omnium iudicio eminet IO. LIGHTFOOT, maxime in *horis ebraicis & talmudicis*, qui tamen *spicilegium* haud exiguum aliis reliquit, vt restatur, & nonnullis exemplis comprobat CL. IO. HENR. MAIVS, filius *obseru. sacr. lib. II. p. 40. seqq.* Addatur CL. CHRISTIANI SCHOETGENII *specimen horarum ebraeo-talmudicarum in N. T. integrum*, in *nouis litterariis Lipsiensibus*, anni MDCCXIX. *p. 72. seqq* exhibitum.

** *Agnum paschalem* fuisse typum Christi, Ioannes, c. XIX, 36. & Paulus, 1 Cor. V, 7. nos dubitare non sinunt. Praesignificari enim illo instituto inter alia debuit, Christum eo mortis genere occubiturum, in quo ossa ipsius salua & integra relinquerentur.

Sin-

Singulare vero aliquid ea de re obſeruauit IVSTINVS MARTYR, in *dialogo cum Tryphone Iudaeo p. 259.* ed. Pariſ. MDCXXXVI. vbi poſtquam dixerat, agnum illum ſymbolum fuiſſe ſupplicii *crucis*, quod Chriſtus ſubiturus erat, ita pergit: τὸ γὰρ ὀπτώμενον πρόβατον σχηματιζόμενον ὁμοίως τῷ σχήματι τοῦ σταυροῦ ὀπτᾶται, εἷς γὰρ ὄρθιος ὀβελισκος διαπερονᾶται ἀπὸ τῶν κατωτάτω μερῶν μέχρι τῆς κεφαλῆς, καὶ εἷς πάλιν κατὰ τὸ μετάφρενον, ᾧ προσαρτῶνται καὶ αἱ χεῖρες τοῦ προβάτου. *Agnus namque aſſus in figuram, cruci ſimilem, conformatus, ad ignem torretur. Nam verù vnum ab infimis partibus ad-actum perfigitur, & aliud rurſus ſecundum ſcapulas, ad quod ſuſpenduntur manus agni.* Ita IVSTINVS ſuam hypotheſin de agno paſchali, vt Chriſti cruci adfigendi typo illuſtrat ex ritu, qui apud Iudaeos in aſſando agno paſchali obtinebat. Et ſane vera illum dixiſſe, MAIMONIDES, *de paſchate c. VIII. §. X.* teſtari poteſt, qui aſſandi agni paſchalis ritum eodem fere modo deſcribit: כיצד צולין אותו תוחבו מתוך פיו ער בירך נקבותו בשפוד של עץ ותלוהו לתוך התנור והאש למטה *Quomodo aſſant eum? a medio ore vſque ad pudenda tranſfigunt eum veru ligneo, & ſubiecto igne, in medio furno* SVSPENDVNT. Patet ex iſto ſpecimine, rituum iudaicorum notitia typologiam etiam ſacram iuuari poſſe. Plura adfert ven. HENR. MVHLIVS, in *apodixi ſcripturaria p. 90. ſeqq.* & in *praef.* ad LVNDII *Iüdiſche Heiligthümer.*

§. V.

Neque *commentarii* ebraeorum *litterales* ſine omni fructu leguntur. Quamuis enim in dogmaticis ac propheticis parum plerumque videant,* ad *ſenſum* tamen *grammaticum* & *hiſtoricum* quodammodo illuſtrandum, aliquid conferre poſſunt. **

* Du-

* Dudum illud teſtatus eſt Paulus 2 Cor. III, 15. vbi *velum* iudaeorum cordibus impoſitum dicit, quo minus Chriſti gloriam, in ſacris ſcripturis relucentem videant. Duplicis veli mentionem vir diuinus facit. *Velamen, faciei Moſis impoſitum* v. 13. denotat obſcuram illam docendi rationem, qua Moſes myſteria euangelii variis typis & vmbris inuoluebat; quibus externis ſtupidi Israelitae adhaereſcentes, ad interiora myſteria non penetrabant. Hoc velamen Paulus per Chriſti adparitionem remotum eſſe dicit. Sed aliud κάλυμμα *Iudaeorum cordibus* impoſitum eſſe adfirmat, de quo MAIMONIDES *more neboch. lib. III c IX. Lex data eſt die nubilo, ad ſignificandum velum, quod oculis noſtris adimit proſpectum veri.* Eſt autem illud velum nihil aliud, quam ipſorum ἀπιστία, & horrendum aduerſus ſacram noſtri Seruatoris perſonam odium, nec non praeconceptae illae & carnales opiniones de regno Meſſiae, ad formam ſecularium regnorum componendo. Iſtud velamen omnes luminis diuini radios intercipit, eosque impedit, quo minus in vaticiniis de Chriſto verum ſenſum, & a ſpiritu ſancto intentum, videri poſſint. Hunc igitur quisquis in eorum ſcriptis quaeſiuerit, a recti tramite multum aberrat. Recte hactenus IO. FORSTERVS, in *praef. dictionarii: Quid obſecro Iudaei intelligerent, quorum cordibus, vt* PAVLVS *noſter teſtatur, velamen Moſis in lectione veteris teſtamenti vſque ad diem hodiernum impoſitum manet, ſenſusque eorum occoecati ſunt, vt in finem legis intendere non poſſint. Qui vero finem legis, filium DEI, natum ſecundum carnem ex virgine, verum Meſſiam, mediatorem, victimam & liberatorem humani generis, non cernunt, neque agnoſcunt, eumque ſubiectum & ſcopum vniuerſae ſcripturae eſſe ignorant; inſuper regnum ipſius tantum externum ſomniant, non ſpirituale, nec aeternum eſſe credunt; neque inter promiſſiones legis & euangelii de gratuita remiſſione peccatorum propter mediatorem*

torem Christum discernunt: quid & quomodo docerent alios Mosen & prophetas? Quare recte Christus eos vocauit caecos & duces caecorum. Vt interim taceam virulentiam ipsorum & odium, quo flagrant in Christum, vt pauca inuenias de Christo vaticinia, quorum vel verba aliqua, vel integram sententiam non sceleratissime deprauarint. Similia monet B. LVTHERVS, tum in libro de *schem hamphoraſch*, tum alibi passim. Ita in *comm. in Gen. c. XXV. Agnoscimus sane magnum beneficium esse, quod linguam a iudaeis accepimus. -- In grammatica facile eos patior; sed vero sensu & intellectu carent, iuxta illud Esa.* XXIX. Peribit sapientia a sapientibus, & intellectus prudentium eius absondetur. *Haec sententia testatur, nullum fore intellectum scripturae apud iudaeos; sed liber iste scripturae clausus illis & obsignatus est*, lingua alia loquitur ad populum istum *Esa.* XXVIII. *neque quidquam aliud norunt, quam meras blasphemias in religionem christianam.* Fontes autem, ex quibus tot absurdi errores per scripta rabbinorum dimanauerint, fideliter detegit GVIL. SCHICKARDVS, in *bechinath happeruschim, p.* 116. *sqq.*

** De *peruschim*, siue commentariis litteralibus Iudaeorum GVIL. SCHICKARDVS, *loc. cit. p.* 115. quamuis paulo, quam par erat, magnificentius: Hi *textum pressius sequuntur, linguae idiotismos explicant, parallelas phrases adducunt, per illas genuinum contextus sensum eliciunt, saepe multa, nulli christianorum obseruata, monent, adeoque bonorum interpretum officio, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ funguntur.* Addit AVG. PFEIFFERVS, *crit. sacr. p.* 374. eos nonnumquam satis feliciter loca ἐναντιοφαινόμενα conciliare, † cuius rei specimina dedit IO. BVXTORFIVS, in *anti-critica part.* II. *c.* VIII *p.* 920. *seqq.* Ceterum non inepte SEB. MVNSTERVS, in *praef.*

† Quo in studio inter iudaeos eminent ISAAC ABARBANEL, SCHEMVEL LANIADE & MANASSE BEN ISRAEL, de cuius *conciliatore* vid. cens. WOLFIVS, *bibl. ebr. tom. I. pag.* 771.

praef. ad lectorem, quam *bibliis ebraicis & latinis*, MDXXXIV. Basileae editis, praemisit: *Ego id ex rabbinis didici, quod saepe* MONITORES *sint* VERITATIS, *etiamsi ipsi interim in tenebris & erroribus versentur.* Iungatur IO. HENR. HOTTINGERI *thesaurus philol. p.* 243. *seqq.*

§. VI.

Magnam tamen *cautionem* in tractandis iudaeorum scriptis adhibendam esse, quis est, qui non intelligat? quamuis ea in caussa ita versandum sit, vt, euitatis vtrinque extremis,* regia via incedamus.

* Describemus duo illa extrema verbis doctissimi IO. ALB. FABRICII, *in bibliogr. antiqu. c. I. p. 6. sqq. Ex vna parte videas viros doctos, qui in lectione talmuditorum & rabbinicorum scriptorum aetatem contriuerunt, tantum illis tribuere, vt ex eorum leuissimo adsensu, vel indicio, statim libenter pendeant, eos velut oracula loquentes ex tripode, & omni exceptione maiores auctores, audiant, etiam contra clarissima* HIERONYMI, EPIPHANII, *quinimo iudaeorum vetustissimorum* PHILONIS & IOSEPHI *testimonia. Vicissim alii omnia illa, quaecumque ex talmude, vel rabbinis proferuntur, statim simul semelque abiiciunt, atque velut indigna, vel absurda, ne dicam blasphema, explodenda existimant, veluti merae sint insciticae, & nihil plane auri ex stercore rabbinico colligi possit, atque sanctuario illud inferre prorsus sit nefas.* Similia monet reu. IO. CHRISTOPH WOLFIVS, in *biblioth. ebr. part. II. p.* 930. *seqq.*

§. VII.

Speciatim cauendum est, ne vel obseruationibus eorum grammaticis & etymologicis nimium tribuamus; vel commentariis ipso-

ipsorum, maxime, vbi a verbis ad res, a cortice ad nucleum venitur, nos in errorem duci patiamur.** Singula exploranda, &, seiunctis ab auro scoriis, optima retinenda sunt.***

* Quam pueriliter saepe rabbini in vocum *etymologiis* ludant, supra *p.* 260. subindicauimus, & pluribus comprobari exemplis posset: vnde parum illis in ipsa linguae sanctae cognitione fidendum esse, viri docti dudum docuerunt. Ipse DAV. KIMCHI, in *praef.* ad lexicon suum, seu *librum radicum: Imminuta est*, inquit, *apud nos lingua ebraea, propter captiuitatis nostrae longitudinem. Deprehendimus magistros nostros linguam de lingua didicisse, quum dicunt: Nesciebant magistri nostri, quid esset* ומאטאתיה במטאטא השמר *Es.* XIV, 23. *Audierunt ancillam cuiusdam rabbini, dicentem cuidam mulieri,* שקילי טעטיתא וטעטי ביתא *accipe scopas, & scopa domum. - - Sic* טטפת totaphot *dixerunt inde dicta esse, quot* tot *lingua aegyptiaca* duo *significet, &* phot *quoque* duo, *lingua africana.* Egregiam vero etymologiam, qua tamen innititur traditio de *quatuor cellulis*, in thephillim faciendis, quamque R. SALOMO, KIMCHIVS, & alii caeco impetu sequuntur. Videatur IO. CHRISTOPH. WAGENSEIL, in *telis igneis satanae p.* 119. CASP. NEVMANNVS, in *praef.* ad *geneſin linguae sanctae.* IO. MORINVS, in *exercitat. bibl. lib.* I. *exercit.* VI. *c.* III. *§.* VIII. *p.* 111. & *cap.* IV. *p.* 113. vbi sententiam suam ipsorum Iudaeorum testimoniis, tum vero etiam exemplis, comprobat: immo *c.* VI. VII. VIII. nomina *animalium, plantarum, mensurarum*, prorsus ab ipsis ignorari, euincit. Addimus IAC. GVSSETII in *praef.* ad *commentarium linguae ebraeae*, iudicium: *Quid rabbini sint, diuturna frequentique consuetudine nimium nouimus; vti palpent titubentque, vti auctores ipsi sint aequiuocationum foecundissimi, nedum depulsores. Equidem rabbinorum con-*

temtoribus me non adiungo. Sed memini, nostrosque, iis fidentes, admonitos volo, hominibus illis ab annis bis fere millenis, linguam ebraicam non magis vernaculam esse, quam nobis: redigi eos, perinde ac nos, ad ipsius cognitionem ex libris studio petendam, in quo studio vincitur ingenio, diligentia, methodo, memoria: has autem dotes quamuis interdum egregie ostendant, fulgere etiam apud christianos, qui etiam arte inuentis addendi illos superant. Porro rabbinicum idioma, quo aperiri ipsis portam ad ebraismum opineris, recto potius de tramite eos abducit. Nimirum concretus est magnam partem rabbinismus ex distortis vocibus ebraicis, praesertim illis, quae in bibliis rarae sunt, nec sese exemplorum agmine defendentes, vexationi magis opportunae fuerunt. Inde praeiudicia, rabbinismo praeueniente, instillata, iudaei in sacrae scripturae expositionem important, vitiumque, hoc tempore inolitum, & patrum auctoritate firmatum, exuere nequeunt. Atque haec sunt, cur vocabulorum proprium ac principem sensum delecturus, rabbinos sectatus non sim. Similiter in ipso *commentario p. 560. b.* sub rad. סרח *Multa rabbini, imperfecta exemplorum inspectione contenti, propere effutiunt, ceteris exemplis fiduciae, ad suam sententiam ex iis extorquendam, adhibere parati. Omnia scilicet nosse videri volunt in ebraicis, quasi vero aliter, quam nos ista sciant, nempe legendo scripturam, ac improbo labore vsum dictionum biblicarum per collationem colligendo: eoque difficilius, maiorique erroris cum periculo, quo idiomatis sui rabbinici praeiudicia seponere opus habent; nos christiani vero sumus vt tabula rasa, vt testa recens ad stilum bibliorum sacrorum, & eo sincere imbuimur.*

** Obseruat CONSTANTINVS L'EMPEREVR ad *Iachiadem in Danielem, p. 186. Iudaeis hoc in more positum esse, vt, si quando sacrae scripturae loca sint difficiliora, excogitent fabulares historias, quibus concessis, nihil restet difficultatis;* quod etiam saepissime faciunt in

in declarandis & supplendis circumstantiis, quas scriptura reticet, ne scilicet vanissimi homines aliquid ignorare videantur. Scire aues, lector, vnde pythonissa Saulem regem agnouerit? 1 Sam. XXVIII, 12. In promtu ratio est, in cerebro iudaeorum prognata. Ita enim *Ialkut* ad illum locum: מחיכן ידעה אמרו רבותינו לא כשם שעולה למלך עולה להרויח· למלך פנוי למעלה ורגליו למטה כדרך העולם· ולהרויח רגליו למעלה ופניו למטה Quae in *versione iudaeo-germanica* sic explicantur. *Unsre* חכמים *schreiben, die Frau wust es davon: denn sonst, wenn sie hat einen todten Menschen aufgebracht mit* כישוף (*Zauberey da ist er immer mit den Füssen zu erst aus der Erd kommen. Wenn aber das* מת מלך *aufgehet auf die Erd, so kommt das* מת *mit dem Kopf zu erst aus der Erd, von wegen, dass es sich stracks gegen den Kœnig bücken kan.* Quam anilem fabulam adoptare haud erubescit ROB. BELLARMINVS, de *purgatorio lib. II. c. VI.* vbi verum Samuelem Sauli adparuisse, euincere studet. Addamus aliud exemplum. Deut. III, 11. dicitur (*Solus Og, rex Basan, reliquiae erat de stirpe gigantum.* Quid iudaei? Eum iam ante diluuium vixisse, & in illo superstitem mansisse fingunt, in *pirke Eliezer c. XXIII.* Scire cupis, qui id fieri potuerit? *Sedebat*, inquiunt, *Og, rex Basan, super ligno vno e scalis arcae. Iuramento autem promiserat Noae & filiis eius, se fore illis perpetuum seruum. Quid illi fecit Noa? fecit in arca foramen vnum, & singulis diebus porrigebat illi cibum suum; hinc fuit diluuio superstes, vt dicitur Deut.* III, 11. Similiter quum Exod. VIII, 2. dicitur: *Adscendebat rana* (hoc est, agmen ranarum, singulari collectiuo expressum) *& obtegebat terram Aegypti;* R. SALOMO ex mente maiorum adscribit: צפרדע אחת היתה והיו מכין אותה והיא מתות נחילים נחילים *Rana tantum vnica fuit* ab initio; *sed percutiebat eam* deinceps, sic demum *in integra* ranarum *agmina dissiliebat;*

quamuis ipse, rei, vt videtur, absurditate commotus, ancipiti animo haereat. Interim hinc nata videtur fabula de ingenti illa *rana*, quae in *Baba bathra cap. V* describitur: *Dixit Rabba Bar Channa, vidi istam ranam, quae tanta erat, quantus est pagus Hagaroniae, qui LX. domos continebat. Venit serpens & absorpsit ranam. Serpentem deglutiuit coruus, atque in arbore consedit. Veni itaque & vide, quale fuerit robur arboris illius. Et dixit Raf Papa: nisi fuissem ibi, non credidissem.* Sed satis est ineptiarum! Mysticum sensum absurdis eiusmodi & omnem fidem excedentibus iudaeorum fabulis subesse, IO. ADAMVS SCHERZERVS, in *trifolio orient. pag. 155* cum aliis existimat. Vide tamen, quid de ista sententia iudicet AVG. PFEIFFERVS, in *critica sacra c. XV p. 368.* & reu. IO. CHRIST. WOLFIVS in *biblioth. ebr. part II. p. 974.*

*** Bene IAC. GVSSETIVS, in *praefat. commentarii linguae ebraeae: His legibus atque conditionibus citari rabbinos, vt nobis a deceptione caueamus, optauerim. Primo adcurate atque religiose ponatur distinctio ista:* hactenus sacra scriptura loquitur; *haec scriptura de re proposita docet, nec quidquam amplius. Secundo loco referatur seorsim illud, quod, tacente scriptura, desumitur ex rabbinicis chartis: hocque statuatur in triplici differentia.* Pars, *quae concordat scripturis, admittatur propter scripturas ipsas.* Pars, *quae scripturis aduersatur; ea non nisi atris notis inusta, & vt reiecta compareat. Si quid denique* supereſt *apud eos quod sit μέσον, nec scripturis adcommodatum, nec infestum flamen, nullo aliunde indicio falsitatis laborans: istud sane linquatur in medio, eo nomine ac titulo, quod verum esse possit; & tamen interea nihil ei, tamquam fundamento, inaedificetur, quia falsum esse pariter potest.* Latius hanc

suam

ſuam de rabbinis ſententiam vir doctus declarat in *ternione controuerſiarum iudaicarum* †

§. VIII.

In illis ipſis etiam rebus, quae ad *ritus* & *antiquitates* ſuae gentis pertinent, cum iudicio ipſos audire par eſt. Vti enim non omnia, quae narrant, fabulis adnumeranda:* ita nec omnia caeca fide amplectenda ſunt.** In rebus vero hiſtoricis, chronologicis, geograghicis rectiora omnia e libris chriſtianorum petuntur. ***

* *Gemara* quidem nugis fabulisque ſcatet; mitius vero de *miſchna* ſentiendum, in qua rituum morumque ebraicorum, quatenus de illis per traditionem conſtitit, multae reliquiae non contemnendae ſuperſunt. Vbi igitur illa praeeunte de ritu quodam iudaico rabbinorum conſenſus adducitur, is neutiquam exſibilandus eſt; ſed, donec certiſſimis rationibus confutari poſſit, ad lucem aliquam ſacris ſcriptoribus adferendam, vtiliter adhibendus; vt pluribus oſtendit IO. HEINRIC. HOTTINGERVS, in *primitiis Heidelberg. diſſert. III.* IO. BRAVNIVS, in *ſelect. ſacr. lib. V. exercit. II. de ſapientia veterum ebraeorum.* LAVRENTIVS ODHELIVS, in *ſynagoga bifronte, vbi primum ἀποστασία ſynagogae a veteri patrum doctrina demonſtratur; deinde legitimus ſcriptorum iudaicorum vſus ab illegitimo diſcernitur*, Francofurti ad Moenum, MDCXCI. Paullo igitur inclementius de iudaeis ſentit SCIPIO SGAMBATVS, in *archiuis V. T. p. 360.* qui *a nugandi ſcopo numquam* ait *aberrare corruptores veritatis, rabbinos, quibus vnum ingenium ſit, vera falſis obruere.*

** MO-

† Adde ven. BVDDEI *iſagogen, p. 1670.*

** MOSEN MAIMONIDEM *primum* fuisse, *qui inter iudaeos nugari desierit*, vulgo dicitur; verum dudum obseruatum est, pauciora quidem apud ipsum occurrere deliria, quam apud alios rabbinos, sed eum tamen ab omnibus nugis vacuum non esse. Quum enim magnopere differt ab antiquissimis temporibus (nam duodecimo demum seculo floruit) eorum tamen mores ac caerimonias in suo *Iad chasaka*, magna confidentia ita describit, quasi omnia exploratissima habuisset: vnde multa ex ingenio, quod nactus erat, felicissimo fingit; plerasque antiquitates manifesto ad gentis suae gloriam extollendam subinde adcommodat; saepe contraria pronuntiat, oblitus eorum, quae alibi dixerat; crebro a scriptura sacra discedit, vt alia taceamus, quae fidem eius admodum dubiam faciunt: quae pluribus persequitur, atque exemplis comprobat ERDM. GODFR. CAMENTIVS, in dissert. *de suspecta Maimonidis in antiquitatibus iudaicis fide*, Wittebergae habita, MDCCXVI. Caute igitur iudaeorum de antiquis ritibus traditiones prius examinandae sunt, quam ad scripturae loca, aut sacram typologiam illustrandam, adhibeantur. Tradunt, exempli gratia, iudaei in tract. *Ioma cap.* I. & alibi, *ignem caelestem in priori templo sub leonis specie e caelo delapsum esse, ac postea in altari recubuisse instar leonis, discerpentis, comedentis, & alimento suo abundantis.* Loca exhibet IO. BVXTORFIVS, in *historia ignis sacri, cap.* II. *p.* 236. Haec qui ad illustrandum locum Esa. XXIX, 1. transferret, vbi Hierosolyma dicitur אריאל *leo Dei*, nempe quia in altari holocaustico ignis caelestis *leonis figuram* formauerit, is pro nimis credulo iure habendus esset: multo magis vero, qui in ritu fabulari aliquid mystici ac typici quaereret; vt fecit PAVLVS FAGIVS, qui in *adnot. ad paraphr. chald. Onkelosi, Gen.* IV, 5. non dubitat *ea re adumbratum fuisse* LEONEM *illum de tribu Iuda*, Salua-

Saluatorem nostrum, cuius omnia sacrificia typi fuerunt. Sic CAMP. VITRINGA, *obseru. sacr. lib.* II. *c.* XV. *p.* 461. iudicat, *traditionem*, de vnguento sacro, in figuram X siue crucis, fronti summi pontificis illito, *nimis incertam esse & vacillantem, quam vt tanti res momenti, quanti est demonstratio crucis Christi, eidem commodo superstruatur.* Adde quae de circumstantiis *typologicis*, ex iudaeorum scriptis supplendis, monet BERNH. SEBAST. CREMER, in *prodromo typico p.* 12. *seqq.*

*** Iudaeorum plurimos portentosa prorsus etiam in *historia* suae gentis ignorantia laborare, idoneis exemplis demonstrauit IO. MORINVS, in *exercit. bibl. lib. II. exercit. V. c. I. seqq. p* 272. *seqq.* Similiter HVGO GROTIVS, ad *Matth. XXIV*, 24. *Ex qua patria*, inquit, *expulsi sunt iudaei, omnis apud illos historia crassis erroribus & fabulis est inquinata: quibus proinde nihil credendum est, nisi alii testes accedant.* IO. IAC. SCHVDT, in *compend. histor. iud. cap. VIII. p.* 437. *A destructo per Titum templo iudaei pessimi sunt historici, res, personas, & tempora confundentes, saepius, praesertim vbi vana sibi spe blandiuntur, sine omni fronte multa confingere non verentur.* Non minus in rebus *geographicis* turpiter saepe errant. Quis ignorat fabulas eorum de fluuio *Sabbation*, ad quem magnam iudaeorum dispersorum copiam habitare fingunt, qui synagogas centum & amplius habeant, de quo singularibus dissertationibus LVCAS HOLSTENIVS & CHRISTIAN BENIAM. OTTO tractauerunt. Addatur IO. IAC. SCHVDT in *Iüdischen Merckvvürdigkeiten part. I. p.* 519. Non exigua fabularum seges occurrit in BENIAMIN TVDELENSIS *itinerario*, quod post *Benedictum Ariam Montanum* vertit & illustrauit *Constantinus L'Empereur*; in R. PETACHIAE *itinerario*, quod cum versione sua Cl. *Wagenseilius* edidit; nec non in ABR. PERITSOL

itineribus mundi, quae cum versione & notis luci exposuit Oxonii *Thomas Hyde*, in quibus multa, *de integrarum gentium* Africanarum & Americanarum *atheismo* narrantur, quae quamuis fabulis vndique stipata, libenter tamen, vtpote in rem suam facientia, PETRVS RAELIVS adoptauit. Ceterum iudaeos in rebus antiquis exiguam fidem mereri, pluribus ostendit, IO. BRVNSMANNVS, in libro, cui titulus, *iudaica leuitas*, Hafniae, MDCCV. & CLAVDIVS CAPELLANVS, qui Parisiis MDCLXVII. edidit *mare rabbinicum infidum*. Iungatur HENR. GOTTLIEB REIME tract. de *historiarum & antiquitatum iudaicarum fide*, Ienae, MDCCXVII.

§. IX.

Abstinendum etiam est a nimis anxia & coacta formularum *noui testamenti* cum modis loquendi talmudicis * & cabbalisticis ** comparatione, qua clarissimis nonnunquam dictis plus caliginis, quam lucis, adspergitur.

* Multum lucis IO. LIGHTFOOTVM in *horis ebr. & talm.* nouo testamento ex scriptis talmudicis esse foeneratum, prudentiores omnes fatentur; quamuis ISAACVS VOSSIVS, in *responsione ad obiecta nuperae criticae sacrae p.* 149. iniquiori censura laboriosissimi viri diligentiam perstringat. Ab aliis tamen obseruatum est, eum nonnumquam in hoc studio modum excessisse, vbi phrases N. T. saepe nimis coacte cum talmudicis comparat; vid. AVG. PFEIFFERI *crit. sacr. c. XV. p.* 373. IO. ALB. FABRICIVS, in *bibliogr. antiqu. p.* 7. vbi, *Non negauerim*, inquit, *aliqua interdum adferri ex talmude & rabbinis, ad illustranda noui foederis loca, quae longius petita sunt, & nec caelum nec terram tangunt, neque hilum faciunt ad lucem illi adferendam.* Adde ven. BVDDEI *isagog. p.* 1735. 1793.

** Quod

** Quod passim, sed nimis saepe frigide, facit ill. CHRISTIANVS KNORRIVS A ROSENROTH, consiliarii olim munere in aula Salisbacensi functus, in *cabbala denudata*, maxime in *praefatione* ad *part.* III. & IV. vbi de adplicatione dogmatum cabbalisticorum ad scripta N. T. agit. Vide ven. IO. FRANC. BVDDEI *philos. ebr. p.* 285. *seqq.*

§. X.

Denique cauendum est, ne rabbinorum lectione ad vanam & puerilem ostentationem abutamur; quod a prudentibus viris, vt absonum & christiano homine indignum, merito damnatur.*

* Ita ex. gr. iudicat CAMP. VITRINGA, qui in praef. *comment. ad Esa. p.* 7. 8. *Alienissimus*, inquit, *hoc tempore sum a iudaeorum testimoniis*, μετὰ φαντασίας *& praeter necessitatem describendis atque ostentandis. Et forte a quibusdam nostrorum nimium hac parte indulgetur acribus & professis fidei nostrae hostibus, qui licet ipsi plerumque libris nostris pertinaciter abstineant, vident tamen christianos, ac si magna in inopia versarentur, auidissime sectari, quidquid in suis scriptis specie tenus (quae inspecta vt plurimum disparet) a caussa non prorsus abhorrere videtur. Christiana religio per diutnam gratiam suis stat talis & fundamentis immotis; neque adeo iudaeorum, euangelio rebellium, suffragatione indiget, aut eam in hac parte doctrinae ambit; nec tamen spernit etiam, si se vltro offerant, quae videntur deriuata esse ex catechesi patrum, & schola sanctorum, qui floruerunt a reditu ex exilio babylonico, aut quae ex communibus vtrimque eruditionis litterariae principiis hauriuntur.* Adde ven. IO. CHR. WOLFII *biblioth. ebr. part. II. p.* 1106.

LIBRI TERTII
CAPVT SEPTIMVM
DE
ADMINICVLIS PROFANORVM AVCTORVM.

Σύνοψις.

Profanorum auctorum traditur

א vsvs in interpretatione scripturae, qui, *euitatis* vtrimque *extremis* §. I. conspicitur.

I. *In interpretatione verbali*, vbi auctores profani suppeditant
1. *vocum* significationem & emphasin §. II.
2. *constructionem* ac *phrasium* sacrarum illustrationem §. III.
3. *rituum* antiquorum ac *superstitionum* notitiam §. IV.

II. *In interpretatione reali*, vbi ex illis lucem accipere possunt
1. *dicta*,
2. *facta* sacrae scripturae §. V.

ב CAVTELAE
I. *Generales* §. VI.
II. *Speciales*, in interpretatione
1. *verbali*, quoad
a) phrases & loquendi formulas §. VII.
b) antiquos ritus §. VIII.
2. *reali*, in *dictis* & *factis* litterarum sacrarum illustrandis §. IX.

§. I.

Est etiam aliquis *vsus* ex *profanorum scriptorum*, siue graecorum, siue latinorum,* monumentis in re exegetica exspectandus; si modo

modo sobrie, & euitatis vtrimque praecipitiis. ** a sacro interprete consulantur.

* Per scriptores *graecos* & *latinos*, sed praecipue *graecos*, eos intelligimus, qui aut eodem tempore, quo nonnulli sacrae scripturae libri scripti sunt, aut non ita multo post vixerunt, siue soluta, siue ligata oratione vsi sint; siue ad oratorum, siue ad philosophorum, siue ad historicorum ordinem sint referendi: quorum notitia ex viri celeberrimi, IO. ALB. FABRICII *bibliotheca* tum *latina* tum *graeca* hauriri potest. Addatur GERH. IO. VOSSIVS, *de historicis graecis & latinis.* LVD. ELLIES DV PIN, in *bibliotheca vniuersali historicorum.* IO. IONSIVS, de *scriptoribus historiae philosophicae;* cet.

** Duo scilicet hic extrema occurrunt, studiose euitanda:

1. EXCESSV peccant, *qui nimis magnifice de illis antiquitatis reliquiis sentiunt, dumque omne aetatis tempus in illis consumunt, ex longa cum gentilibus familiaritate, animum gentilem ac profanum reportant;* quod, obseruante IO. HENR. ALSTEDIO in *praef. triumphi biblici*, maxime olim contigit *post Italiae vastitatem a Gothis Vandalisque effectam: vbi religiosi attentiores fuerunt in legendis comoediis, quam in euangeliis; nobiles matronae cum maiori plausu audiuerunt lyram Flacci, quam praecepta Salomonis; exercitatiores fuerunt in artibus Nasonis, quam in lectione Pauli. Illud Damasco pontifici conqueritur* HIERONYMVS; *hoc abbati Salomoni* VICTOR *Massilienstis.* Neque post illa tempora defuit conquerendi materia. IO. TRITHEMIVS de suo aeuo, *Surgunt*, inquit, *nunc ordine praeposstero plures, qui omne vitae suae tempus in litteris humanitatis consumsere, & seniores facti diuinas scripturas, quas numquam didicerunt, perperam interpretantes, non enucleant, sed confundunt, nec in*

proprio

proprio sensu discutiunt De sua aetate ERASMVS ROTERODAMVS, *Vnus*, inquit, *scrupulus habet animum meum, ne sub obtentu priscae litteraturae caput erigere tentet paganismus.* Plura testimonia adfert teu. GE. FRID. STIEBER, in *der gecreuzigten Vernunft § XII. p. 94. 95.* De recentioribus temporibus addimus PHILIPPI CAROLI (quamuis in aliis culpandi) veras querelas, in *gustu philologiae sacrae* effusas: *Dudum male audit nostra philologorum familia, quod paganismo magis, quam illustrandis christianorum sacris, auctorata sit. Plautus & Petronius, & nequitiarum similes magistri, aetatem occupant; sanctiores litterae extra censum illis male natis. Amemus has humanitates, nec similes simus medicis, qui canem, aut equum curant, hominem negligunt.* Neque ignota sunt BEMBI, ARETINI, POGGII, POLITIANI, BONAMICI, SCIOPPII exempla, qui profanorum scriptorum improbo amore ita capti fuerunt, vt diuinae litterae illis sorderent. Quam multi veterum philosophorum, PLATONIS maxime, lectione inconsulta in transuersum acti sint; Gnosticorum, Valentinianorum, Manichaeorum, Marcionitarum aliorumque foedi errores, ex Platonicae philosophiae fontibus deriuati, satis testantur; de quibus TERTVLLIANVS, *de praescript. haereticorum c. VII tom. I. p. 399. Ipsae denique haereses a philosophia subornantur; inde aeones & formae nescio quae, & trinitas hominis apud Valentinum.* Videatur AD. RECHENBERGII diss. *an haereticorum patriarchae philosophi?*

II. DEFECTV peccant, *qui omnia paganorum veterum monumenta ex scholis & manibus christianorum prorsus proscribi volunt.* De *anabaptistis* IO. SLEIDANVS *de statu relig. lib X. p. m. 153. Posthaec idem propheta Io. Matthaeus mandabat, ne quis vllum deinceps librum haberet, aut sibi seruaret, praeter*

ter sacra biblia; reliquos omneis in publicum deferri iussit & aboleri. Itaque magno numero libri comportati, flamma fuerunt omnes absumti. De WEIGELIO, GVTMANNO, aliisque nihil nunc dicimus; mentionem tantum facturi HENR. ERNSTII, qui edito libro, quem inscripsit σοφία ἄσοφος, animum in profanos auctores iniquiorem prodidit, quem acriter eo nomine perstrinxit GVIL. MECHOVIVS in *hermathene*, siue *de recta institutione iuuentutis scholasticae*, ab altero tamen extremo non procul remotus. Solent illi homines pronocare ad HIERONYMI coram tribunali diuino, ob adsiduam CICERONIS lectionem, castigati exemplum, quod etiam in *iure canonico dist. XXXVII. c. VII.* adlegatur; de quo tamen Hieronymus sibi ipse non constat, quum mox somnium dicat, quod alibi somnium fuisse negat. Inueniunt etiam in veterum christianorum monumentis, † quo suam sententiam tuentur. Ita auctor *constit. apost. lib. I. c. VI.* iubet *ab omnibus libris gentilium abstinere*, vtpote *a diabolo excogitatis*; & *concilio Carthag. IV can. XVI.* sancitur: *episcopus gentilium libros non legat.* GREGORIVS NAZIANZENVS *orat. XX. in laudem Basilii p. 323.* edit. Paris. MDCXXX. testatur, *multos christianorum eruditionem externam*, ὡς ἐπίβουλον καὶ σφαλερὰν, καὶ Θεοῦ πόρρω βάλλουσαν, *vt insidiosam & periculosam, & a Deo auertentem, repudiare* κακῶς εἰδότες, *male iudicantes.*

Via inter hisce extremitates *media* haec est, *vt libris gentilium vtamur, non fruamur.* Quod si enim animum rite praemunitum, suique non immemorem, nobiscum adferamus, profanorum scriptorum lectio (salaces tamen & *obscoenos* prorsus abesse volumus) adeo contemnenda non est, vt, sobrie & pie instituta, illi quoque, qui diuinis litteris operan-

† Vide IO. BAPT. COTELERIVM in *not. ad constit. apost. p. 204.*

rantur, insignem inde percipere fructum queant; vti pluribus commonstrat ven. IO. FR. BVDDEVS, in diss. de *cultura ingenii*, *c. III. §. VIII. IX.* in *selectis iuris naturae & gentium p. 422. seqq.* Dudum id patres ecclesiae christianae, nec ipsi in hoc litterarum genere hospites, agnouerunt & demonstrarunt, vt AVGVSTINVS, *de doctr. christ. lib. II. c. XIV. XXVIII.* XL. BASILIVS magnus, in oratione, ὅπως ἂν ἐξ ἑλληνικῶν ὠφελοῖντο λόγων, *quomodo ex scriptis gentilium vtilitatem capere adolescentes debeant; tom. II. p. 173.* ed. *Garnierii;* vbi inter alia elegantissime: *Quemadmodum in roseto flores decerpimus; spinas relinquimus: sic profani auctores tractandi sunt, vt vtilia decerpamus, a noxiis caueamus.* Plura patrum loca collegit CHRISTIANVS KORTHOLTVS, in *pagano obtrectatore, lib. I. c. VI. p. 171. seqq.* Addatur CLAVDIVS ESPENCAEVS, de *profectu ex gentilium librorum lectione percipiendo.* ABRAHAMVS SCVLTETVS, in *orat. de coniungenda philologia cum theologia*, in qua hanc tractat quaestionem: *Vtrum theologo sacram scripturam interpretanti, externas etiam disciplinas & scriptores profanos in subsidium vocare liceat?* IO. MICH. DILLHER in disp. philologica seorsim saepius recusa, *de vsu lectionis scriptorum secularium & antiquitatis, quem in altiori etiam litteratura praestant.*

§. II.

Vsus vero ille ad explicationem partim *verbalem*, partim *realem* pertinet, & primo quidem in eo versatur; vt *vocum* singularum significatio vsitata, earumdemque emphasis * ex graecis auctoribus cognoscatur.

* Voces scilicet suam significationem ex communi vsu obtinuerunt. *Consuetudo* enim *certissima loquendi magistra: vtendumque plano sermone, vt num-*

nummo, cui publica forma est, vt ait QVINTILIANVS, *instit. orat. lib.* I. c. VI. Iungatur cel. SAMVEL PVFFENDORFII *ius naturae & gentium, lib.* IV. c. I. §. 5. *& lib.* V. c. XII. §. 3. Vsus autem vocum ex scriptoribus, qui eadem lingua scripserunt, hauriendus & confirmandus est. Id quod maxime contingit

I. *In vocibus graecis, semel, vel rarius in scriptura occurrentibus*, quarum notio non aliunde, quam ex profanis scriptoribus repeti potest. Ita quid sit παραδειγματίζειν Matth. I, 19. ex graecorum monumentis eruendum est. Scilicet, notante SALMASIO, antiqui graeci & attici scriptores παραδειγματίζειν pro *supplicio adficere* posuerunt. Vnde & latinis, quum eorum fabulas verterent, est *punire, exemplum in aliquem edere*, vt apud TERENTIVM. Conferri potest GELLIVS, *noct. attic. lib.* VI. c. XIV. vbi agit de tribus puniendi rationibus, quarum prima νουθεσία, altera τιμωρία, tertia παράδειγμα dicitur. Apud graecos recentiores παραδειγματίζειν id magis significat, quod latinis est *traducere*, ac *ludibrio habere*. Sic LXX. Ezech. XXVIII, 17. Ier. XIII, 22. Sensus igitur est, Iosephum noluisse Mariam vel publico supplicio, vel publicae infamiae exponere. Adde quae *supra* diximus *lib.* II. c. VII. §. VIII *p.* 273.

II. *In vocibus, quae saepius quidem in N. T. leguntur; semel tamen, aut bis aliquam obtinent significationem, a reliquis locis alienam.* Tum enim primum quidem omnes vocis illius notiones, apud graecos scriptores obuias, colligere, & deinceps, quaenam scopo & contextui conueniat, dispicere, eamque ex profanis auctoribus probare par est. Ita πράσσειν frequenter in N. T. occurrit; sed rarior est notio *exigendi*, quae illi Luc. III, 13. subiicitur; apud XENOPHONTEM & THVCYDIDEM magis obuia. Ita apud XENOPHONTEM, *historiae graec. lib. I. p.* 339. *Alcibiades in Hellespontum & Chersonesum profectus dicitur*, χρή-

χρήματα πράξων, *pecunias confecturus*, it. *de exped. Cyri lib. VII. p.* 323. ἐὰν πράττητε αὐτὸν τὰ χρήματα, *si pecuniam ab ipso exegeritis.* Hinc etiam πράκτωρ *exactor* dicitur mulctarum Luc. XII, 58. Similiter voci δικαίωμα, quae non infrequens est in nouo foedere, Rom. V, 18. optime conuenit illa notio, qua occurrit apud ARISTOTELEM *eth. ad Nicomachum, lib. V. c. VII.* vbi δικαίωμα dicitur esse ἐπανόρθωμα τοῦ ἀδικήματος, *iniuste facti correctio*, siue *satisfactio*, vt obseruat IAC. WELLERVS, in *adnot. ad epist. ad Rom. p.* 354. in quibus vir graece linguae peritissimus saepe profanos auctores in auxilium aduocat. Huc refer voces ὑποπιάζειν, δυλαγωγεῖν, ἀναζωπυροῦν, μετεωρίζεσθαι, κ. τ. λ.

III. *In vocibus, quibus barbarismi labes a nonnullis adfricatur*, quarum puritas ex melioribus Graeciae scriptoribus vindicanda est. Ita BALT. STOLBERGIVS, de *soloec. & barbar. N. T. c. XXIII.* vocem κατοικέρκησα, quam HIERONYMVS *ciliciſmi* sordibus inquinatam esse pronuntiauerat, egregie ex graecis auctoribus exponit. Similiter quum Paulus Eph II, 19. conuersos gentiles vocat συμπολίτας τῶν ἁγίων. IOACH. CAMERARIVS, in *notatione figurarum orat. N. T. p.* 100. adscribit: βαρβαρίζει πῶς ἡ λέξις, putant enim graecos dicere πολίτας; non συμπολίτας, vti latini *ciues*; non *conciues*. At falli virum eruditum, ex optimis graecis scriptoribus commonstrari potest. Nam & EVRIPIDEM in *Theseo* dixisse συμπολίτην, POLLVX testatur; & AELIANVS, *variarum histor. lib.* III. *c.* XLIV. scribit: νεανίσκοι τρεῖς εἰς Δελφοὺς ἀφικόμενοι θεωροὶ συμπόλιται, κακούργοις συμπεριτυγχάνουσι. *Tres adolescentes* EIVSDEM CIVITATIS, *iter Delphos ad consulendum oraculum facientes, in latrones incidunt.* Vnde συμπολιτεύεσθαι est *in ciuitate degere*. Ita quum idem vir doctus vocem συμφυλέτης I Thess. II, 14. *barbaram* esse nimis temere iudicet; facile ISOCRATIS auctoritate refelli

felli potest, qui in *panathenaico*, *Circa eadem*, inquit, *tempora magistratus creabant eos*, τοὺς προκριθέντας ὑπὸ τῶν συμφιλετῶν καὶ τῶν δημοτῶν, *qui a* TRIBVLIBVS *& popularibus delecti erant.* Iungantur, quae *supra* obseruauimus *cap.* I. §. VIII *p.* 399.

In hoc labore, dictionem N. T. cum profanis auctoribus graecis conferendi, versati sunt viri egregii, IOACH. CAMERARIVS, in *notatione figurarum orationis N. T.* SEB. PFOCHENIVS in *diatribe de linguae graecae N. T. puritate.* DAN. HEINSIVS, in *sacris exercitationibus ad N. T.* nec non in *aristarcho sacro, ad* NONNI *in Ioannem metaphrasin.* ER. SCHMIDIVS, in *notis ad N. T.* DANIEL PESSELIVS, in *aduersariis sacris.* GEORG. CRAVSERVS, in *phosphoro graecarum vocum & phrasium N. T.* IO. FRID. HOMBERGK, in *parergis sacris.* LAMBOS, in *exercitationibus philolog. in N. T.* eiusque discipulus IO. FABRICIVS, in *obseru. philol. ad sacros N. T. libros.* GEORGIVS RAPHELIVS, qui post *semicenturiam adnotationum philologicarum in N. T. ex scriptoribus ecclesiasticis graecis*, etiam dedit *adnot. philolog. in N. T. ex Xenophonte, Polybio, & Arriano*, ac similes etiam, ex *Herodoto* depromendas, promisit. Praemissa est adnotationibus ex Xenophonte IO. FECHTII praefatio, vbi, inter alia lectu digna, de huius negotii fundamento & origine ita disseritur: *Omnes facile agnoscent, si graeca sit noui testamenti scriptura, eandem quoad λέξιν & linguae locutionumque genium, ex aliis graecis scriptoribus intelligi, exponi & illustrari posse, non secus ac latini ex latinis, & graecorum scriptorum alii ex aliis per similium phrasium modorumque loquendi collationem lucem accipiunt & explicationem. Nihil naturae indolique linguarum magis conueniens est. Qui enim loquuntur & scribunt, eodem quasi ore vtuntur, verbaque in ea significatione proferunt, quae vsitata est, &*

ab omnibus intelligitur. Ex vnius igitur loquela loquelam alterius aestimo, quum in eadem materia idem dicere, eandemque rem vel iisdem, vel aeque valentibus verbis exprimere velle praesumantur. Ita latini, ita graeci scriptores recentissimorum philologorum criticorumque opera, observationibus ex similibus aliorum auctorum locutionibus, illustrati sunt. Horum, vt puto, imitatione, & sacrorum interpretes difficilioribus locis aliunde foenerari lucem occoeperunt. Itaque primo sparsim vni alteriue scripturae loco ex data qualibet occasione observatio ex profanis auctoribus adiecta, mox integri libri, immo totus N. T. codex adnotationibus inde depromtis expositus est. Fatetur tamen deinde idem vir doctus; *hoc interpretandi praesidium non ita necessarium esse, vt sine illo verum sacrarum litterarum sensum vel inuestigari vel obtineri posse, inter ea, quae fieri nequeunt, sit numerandum.* Ceterum BALT. STOLBERGIVS recte olim iudicauit, de stilo N. T. graeco non tam ex *atticis scriptoribus*, PLATONE, DEMOSTHENE, ISOCRATE cet. esse iudicandum, quam ex iis, qui dialecto communi scripserunt, POLYBIO, & qui eum imitando expresserunt, DIODORO SICVLO, ARRIANO, DIOGENE LAERTIO aliisque, vt refert viri graece doctissimi auditor IO. IAC. SCHVDT, in *deliciis ebraeo-philol. p.* 256.

** Ita *emphasis* vocis κυβεία ἀνθρώπων Eph. IV, 14. non aliunde, quam ex veterum monumentis demonstrari potest. Respicit nimirum apostolus *ad astutiam fraudesque* ALEATORVM (de *alea* enim vox ab ARISTOTELE *lib. I. rhetoricorum*, & PLATONE, in *Phaedro* adhibetur) *ac mores hominum denotat, ad calliditatem, versutiam ac decipiendum ea ratione compositos, qua agyrtae & aleatores pueros, nec vsu nec iudicio confirmatos, aut infimam multitudinem, rudem illam quidem ludique ignaram, arte*

arte sua fortunis bonisque euertere, atque mira defraudandi libidine circumuenire, ac malis artibus fallere consueuerunt; vt pluribus ostendit Cl. PETRVS ADOLPHVS BOYSEN; in dissert. de κυβείᾳ ἀνθρώπων §. VII. *seqq.* Adde *supra* dicta, *lib.* II. *c.* VIII. §. XIII. *p.* 349.

§. III.

Idem de integris *constructionibus*, *phrasibus* ac formulis loquendi, *prouerbiis* etiam, in sacra scriptura obuiis, obseruandum est; quibus per institutam profanorum auctorum collationem & lux aliqua adfundi,* & soloecismi macula, qua innocentissimae saepe locutiones conspergunter, abstergi potest. **

* Ita elegans phrasis Pauli 1 Tim. II, 10. vbi loquitur de mulieribus, εὐσέβειαν ἐπαγγελλομέναις, *pietatem* in Deum *spondentibus* (quam P. LVTHERVS vertit, *die da Gottseeligkeit beweisen,*) apte ex auctoribus graecis illustrari potest. e. c. THEOPHILVS, in *paraphras. instit. tit. d. patr. pot. §. I.* Καὶ τί ἐστι γάμος; ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς συναφεια, ἀχωρίστον τοῦ βίου τὴν συνήθειαν ἐπαγγελλομένη. *Quid sunt nuptiae? Viri & mulieris coniunctio, indiuiduam vitae consuetudinem* PROMITTENS, id est, vt ipse *Theophilus* id explicat; ἕξιν παρέχεται, *praebens, prae se ferens.* Similiter PLVTARCHVS, de *prof. in virtutibus*, in principio, οἱ φιλοσοφεῖν ἐπαγγελλόμενοι, *qui philosophiam profitentur, animumque ad eam adiecerunt.* Et HELIODORVS, *aethiop. lib. I. p.* 52 πολὺν ἐκ τῶν ὄψεων θόρυβον ἐπαγγελλόμενος, *magnam perturbationem vultu declarans*, quae loca debemus clarissimo viro, IO. FRID. HOMBERGK, in *parergis sacris pag.* 327. Plura suppeditabit IO. PRICAEVS, ER. SCHMIDIVS, THOMAS GATTAKERVS, LAMBERTVS

BOS, GE. RAPHELIVS, & alii, in suis ad nouum testamentum adnotationibus. An etiam *dictionem latinam* profanorum auctorum conferre liceat cum dictione graeca N. T. disputatur in *miscell. lipsi. tom. XI. p. 290 seqq.* *Prouerbiales* scripturae *locutiones*, ex communi dicendi vsu, populorumque prouerbiis mutuo acceptas, ex iisdem etiam vtiliter illustrari posse, re ipsa ostendit MART. DEL RIO, in *adagialibus sacris*, & alii, quos *supra c. I. §. VI. p. 394.* recensuimus.

** Act. XX, 3. Lucas, elegantiae alioqui studiosissimus, scripsit ποιήσας τε μῆνας τρεῖς -- ἐγένετο γνώμη τοῦ ὑποστρέφειν διὰ Μακεδονίας. Ad quem locum ER. SCHMIDIVS in N. T. *p. 920. Videtur σόλοικον, vel saltem σολοικοφανές. Putares enim dicendum esse ποιήσαντι μῆνας τρεῖς ἐγένετο γνώμη Verum si graecae linguae idioma attendatur, ne σολοικοφανὲς quidem. Non enim, nisi hospiti in graecia, ignotum est, consequentiam apud graecos non tantum duobus genitiuis notari, sicut apud latinos duobus ablatiuis, sed etiam* NOMINATIVO *participii.* Sic DEMOSTHENES φιλ. γ. τῶν δὲ ἀπολωλὸς, ἅπαντα λελύμανται. *Nunc quum illa res perierit, omnia corrupta sunt & perdita.* Idem de locis 1 Cor. X, 16. 2 Cor. IX, 10. 13. Eph. I, 18. Gal. VI, 1. cet. obseruandum; de quibus videri potest ven. AD. RECHENBERGII diss. *de stilo Pauli epistolico §. XI. seqq.* Multos etiam hoc modo *ebraismos N. T.* (quamuis isti minime in vitio ponendi sint) expungi posse, alii viri, in lectione graecorum auctorum exercitati, pridem docuerunt. Ita ebraismum diceres Luc. II, 8. φυλάσσειν φυλακὰς, vt שמר משמרת Lev. VIII, 35. Num. I, 53. cet. Interim elegantissimus XENOPHON eadem phrasi vtitur, *de exped. Cyri lib. II. p. 229. Miles imperatorem magis, quam hostem, metuere debet, εἰ μέλλοι τὴν φυλακὰς φυλάττειν, si vel excubias recte obire velit;* item *lib. V. p. 269.* φυλακὰς φυλάσσων. cet.

§. IV.

§. IV.

Ampliſſimus porro vſus ex auctorum profanorum lectione percipitur, dum notitia variorum *rituum* morumque antiquiſſimorum, ad quos in vtroque inſtrumento frequenter reſpicitur, ex illa hauritur, * maxime eorum, qui ad varia *ſuperſtitionis* genera, inter gentiles recepta, ſpectant. **

* Exempli gratia, Eſth. VII, 8. dicitur, *Hamanis faciem*, rege in ipſum exardeſcente, *fuiſſe obuelatam.* Non hoc factum ob dolorem & miſeram Hamanis fortunam, neque, vt vult ABRAHAM BEN EZRA, quod indignus haberetur, qui regem conſpiceret; ſed ex more, non apud Perſas ſolum, ſed & alios populos vſitato, quo *capitis rei velari ſolebant.* Sic Philotam, qui Alexandro inſidiatus erat, *capite velato* in regiam adducebant, teſte CVRTIO *lib. VI. c. VIII, 22.* vt alia huius conſuetudinis in auctoribus profanis veſtigia taceamus, quae collegit IO. DOVGHTAEVS, in *analectis ſacris, excurſu CXXII.* & GVIL. SALDENVS, *otiorum theol. lib. I. exerc. VI. p. 95.* Ita nemo mirabitur, *Mardochaeum detrectaſſe genua flectere, & ſe proſternere Hamani*, Eſth. III, 2. qui nouerit, hunc ritum, in ciuili etiam veneratione apud orientales populos receptum, apud Perſas parum ab idololatria abfuiſſe. Teſte enim CVRTIO, *lib. VIII. c. V, 5. ſeqq. Perſarum reges deorum honoribus a ſuis colebantur*; vnde qui eos adibant, *procumbentes humi, corpora proſternere cogebantur*, eodem teſte *lib. VI. c. VI, 3. lib. VIII. c. VII, 13.* cet. quem honorem etiam aulicorum primi, qualis Haman erat, poſtulabant, quorum tantus erat faſtus, vt omnes perditum irent, qui illum ipſis denegabant, vt exemplum Bagoae apud

CVRTIVM *lib. X. c. I.* testatur. Quum Deus Ier. XLIX, 38 dicit: *ponam solium meum in Elam*, formula desumta est ex ebraeorum & graecorum more, apud quos iudices, dum causarum cognitionibus vacabant, in soliis suis sedebant. Solium vero Dei hoc loco est solium Cyri, quem Deus elegerat, vt potentissimas gentes perdomaret, & in eos vindictam Dei, iustissimi iudicis, exerceret, vt obseruat ven. SAL. DEYLINGIVS, *obseru. sacr. lib. I. obseru.* XXXVII. Veteres militum manibus *stigmata* insculpere solebant, quod LVCIANO est στίζεσθαι εἰς καρπούς, *notari in carpis*, & IVLIANO teste στίγματα ἐστὶ τῶν στρατευομένων ἐν ταῖς χερσί, vt pluribus docet IVSTVS LIPSIVS, de *militia Romana, lib. I. dial. IX.* Hinc lucem accipit locus Apoc. XIII, 16. vbi dicitur χάραγμα ἐπὶ τῆς δεξιᾶς, nec non Gal. VI, 17. vbi Paulus, κάλὸς στρατιώτης Ἰησοῦ Χριστοῦ, se στίγματα Iesu Christi in corpore suo circumferre dicit, vt rursus obseruat ven. SAL. DEYLINGIVS, *obseru. sacr lib.* III. *obs.* XLIII. *p. 354.* add. IO. SPENCERVS *de legibus ebr. ritual. lib.* II. *c.* XV. *p. 328.* (ed. Hagae comitum) & IO. AVG. GROEBELII obs. *de* στιγματισμῷ *veterum*, in *miscell. lipsi. tom. X. p. 79.* vt plura nunc exempla non addamus. † Inter eos, qui scripturae loca ex veterum ritibus moribusque illustrauerunt, excellit HVGO GROTIVS, IO. CLERICVS, in *comment. in pentateuchum* & *libros historicos*, maxime ad librum *Esther*, quem ex veterum Persarum consuetudinibus egregie exposuit. IO. DOVGHTAEVS, in *analectis sacris.* CORNELIVS ADAMI, in *obseruationibus theologico-philologicis*, nec non in *exercitationibus exegeticis.* SAM. BOCHARTVS, in *hierozoico.* ANTONIVS BYNAEVS, de *morte & pas-*

† Tea etiam *ritum, liberos recens natos in terram sistendi & de terra leuandi* ad illustrationem quorundam scripturae dictorum ex antiquitate eruit CL. GOTTL. FR. GVDE, Zittauiae, 1727.

passione Christi. IO. MICH. DILHER, in *dissertationibus academicis.* PETR. FABER & IAC. LYDIVS *in agonisticis sacris.* THOM. GATTAKERVS, in *aduersariis.* HENR. HAMMONDVS, in *notis ad N. T.* STEPHAN. LE MOINE, in *notis ad varia sacra.* IO. PRICAEVS, in *adnotationibus ad N. T.* THEOPHILVS AMELIVS, siue IETR. ZORNIVS, in *der Eroerterung der dunckelsten Stellen des N. T.* & in *bibliotheca antiquaria*, & *sacris opusculis.* IAC. ELSNERVS, in *obseruationibus sacris in N. T.* cet.

Ceterum non desunt auctores, qui *ritus* ac *mores antiquos*, ex veterum scriptis collectos, sub certis titulis digesserunt, vel in compendiis ac lexicis ordine dispositos exhibuerunt. Ita *Aegyptiorum* antiquitates ATHANASIVS KIRCHERVS, IOAN. MARSHAMVS, HERM. WITSIVS, IO. BAPTISTA CASALIVS, IO. NICOLAI, aliique tradiderunt. Antiquitates *Persicas* BARN. BRISSONIVS, CONR. ADAMI, in *obseru. theologico-philologicis*, & THOMAS HYDEVS complexus est. *Graecas* EVERHARD. FEITHIVS, WOLFG. LANZIVS, IO. PHIL. PFEIFFERVS, IO. POTTERVS, aliique. *Romanas* IO. ROSINVS, THOMAS DEMPSTERVS, IO. CASP. SANTOROC, HENRICVS KIPPINGIVS & alii multi. Scriptores antiquitatum *romanarum*, illustris doctrinae vir IO. GE. GRAEVIVS duodecim voluminibus edidit in *thesauro antiquitatum romanarum;* vti *graecarum* antiquitatum scriptores collegit IAC. GRONOVIVS, & totidem voluminibus sub titulo *thesauri antiquitatum graecarum*, luci publicae exposuit. Vtriusque thesauri argumentum exhibet cel. IO. ALB. FABRICIVS, in *bibliogr. antiqu. p.* 36. *sqq.* & 69. *sqq.* adiecto *p.* 78. indice alphabetico scriptorum, qui illo continentur. Addatur SAM. PITISCI *lexicon-anti-*

quitatum romanarum & graecarum. Scriptores specialiores; qui ex. gr. de veterum *re militari, nautica, vestiaria, ciboria, litteraria*, de *ludis, nuptiis, luctu; funeribus* cet. commentati sunt, larga manu suppeditat vir indefessae diligentiae ac stupendae lectionis, IO. ALB. FABRICIVS, in *bibliographia antiquaria*, siue *introductione in notitiam scriptorum, qui antiquitates ebraicas, graecas, romanas & christianas scriptis illustrauerunt.*

** Frequentissima scilicet in scripturis fit mentio *idololatriae, superstitionis, magicarum artium* cet. siue leges aduersus illas ferantur, siue Israelitis istorum vitiorum contagio exprobretur, siue alia data occasione. Dum igitur superstitiosorum illorum rituum notitia ex profanis auctoribus hauritur, denuo patet, amplissimum in re philologica esse eorum vsum. † Ex. gr. quum adulatores Benhadadi 1 Reg. XX, 23. dicunt, Deos Israelitarum esse *Deos montium:* secundum profanarum gentium superstitionem loquuntur, qua pro varietate locorum varia numina geniique praesides constituebantur: qui vbi praeerant, vim potentissimam habere credebantur, extra suum autem circulum aut nullam, aut perinfirmam. Inter hos Deos superstitiosi homines finxerunt etiam numina, quae *montes* incolerent, &, quae in illis fierent, suo nutu moderarentur. Hinc saepe in antiquis inscriptionibus *Deorum montensium* mentio. Credebatur etiam, montes deorum sedes esse, eosque ibi libenter commorari; hinc *Iouis Vesuuii* nomen, hinc PHILOSTRATVS Caucasum vocat Θεῶν οἶκον, & HOMERI scholiastes montem Olympum, διατρίβειν τῶν θεῶν: hinc mons Syriae, *Scylace*, Θεοῦ πρόσωπον dicebatur; hinc Persae etiam, teste HERODO-

† Ita verbis Paulinis 1 Cor. X, 19 - 22. egregiam lucem ex antiquitatibus idololatricis accendit IO. GOTTFR. WALTHERVS, in *der historie der heidnischen Opfermaehler*, Magdeb. 1726. & SAM. KRIPNER. in diss. *de esca idolis immolata*, Ienae, 1720.

DOTO *lib.* I. *c.* CXXXI. ἐπὶ τὰ ὑψηλότατα τῶν ὀρέων ἀναβαίνοντες *Ioui hostias* dicuntur *immolasse*; vt pluribus docet ven. SAL. DEYLINGIVS, *obseru. sacr. lib.* III *p.* 97. *seqq.* qui etiam *p.* 283. *seqq. antiquitates templi Ephesini & Dianae*, quae Act. XIX, 23. seqq. commemorantur, erudite illustrat. Porro quae Paulus Rom. I, 23. dicit de forma *volucrum*, *quadrupedum & reptilium*, quam gentiles *diis* suis tribuerint, ex profanis auctoribus lucem exspectant. *Aegyptii* in templis suis habuerunt simulacra, ad bestiae alicuius formam efficta, immo de terrestribus animalibus, βοῦν, κύνα, ἄιλουρον, *bouem*, *canem*, *felem* coluerunt, teste STRABONE, *lib.* XVII. *p.* 554. 559. Nec *Romani* plane extra hanc culpam erant. LVCANVS poeta circa Pauli tempora:

Nos in templa tuam Romana recepimus Isim
Semideosque canes.

VARRO de diis: *Habitus illis hominum, ferarumque & piscium.* Plura dabit IO. MICHAEL DILHERRVS, *disp. acad. tom. I. p.* 244. Solemne fuisse gentilibus, *aras diis ignotis* consecrare, erudite docet IO. ANDR. BOSIVS, in diss. *de ara ignoti Dei*, ad Act. XVII, 23. Ceterum de idolis variarum gentium, in scriptura sacra commemoratis, videatur IO. SELDENI tract. *de diis Syris*, cum additamentis ANDR. BEYERI, Lipsiae MDCLXXII. recusus, & IO. LEVSDENIVS, in *philologo ebr. c.* XLII. *seqq.* De *Aegyptiorum*, *Syrorum*, *Ebraeorumque diis* copiose differit ATHANASIVS KIRCHERVS, *tomo I. Oedipi Aegyptiaci.* Generatim de idololatria veterum agit GERH. IO. VOSSIVS, de *origine & progressu idololatriae.* PETRVS IVRIEV, in *historia critica dogmatum rituumque bonorum & malorum, qui in ecclesia Dei obtinuerunt ab Adamo ad Christum, & de origine idololatriae*, gallice scripta. ANTONIVS VAN DALE, de *origine ac progressu idololatriae ac superstitio-*

tionum, praecipue apud Iudaeos & quae passim ven. IO. FRANC. BVDDEVS doctissimo *historiae eccles. V. T.* operi immiscet, quaeque in compendio tradit IO. IAC. SCHMID, in *biblischen historico.* Plures auctores recenset Cl. IO. ALB. FABRICIVS *bibliogr. antiqu. c.* VIII. De ritibus veterum *sacrificalibus* videatur GVIL. STVCKIVS, in *descriptione sacrorum sacrificiorumque gentilium.* IO. SAVBERTVS, in *collectaneis de sacrificiis veterum.* IO. LOMEYER, de *lustrationibus gentilium.* CHRISTOPH. HENR. ZEIBICH, in diss. *ἄλεγα gentilium sacra.* Addatur Cl. FABRICIVS *loc. cit. c.* IX. De variis *diuinationum* generibus agit CASP. PEVCERVS, IOAN. CONR. DIETERICVS, in *antiqu. bibl. vet. test. p.* 653. *seqq.* ANDR. CHRISTIAN. ESCHENBACH, de *auguriis veterum*, LEO ALLATIVS in *syntagmate de engastrimytho*, quod exstat in *criticis sacris, tom.* VI. *p.* 331. De *artibus magicis veterum*, ad quas etiam nonnumquam in scripturis adluditur, MART. DEL RIO, in *disquisitionibus magicis.* IO. CHRISTIANVS FROMANNVS, de *fascinatione.* De *teraphim* & *talismanibus* PETRVS IVRIEV, in *historia critica dogmatum & rituum*, *part.* III. *c.* II. *p.* 451. *seqq.* VAL. ERN. LOESCHERVS in diss. *de talismanibus.* AVG. PFEIFFERVS, diss. *de teraphim*, quae inter exercitationes, *dubiis* eius *vexatis* subnexas, *quarta* est, *p.* 77. *seqq.* Sed plura de his omnibus subministrabit CL. FABRICIVS *loc. cit. c.* XII. *p.* 415. *seqq.* vbi & centum circiter diuinationum gentilium genera ordine alphabetico recenset, additis subinde auctoribus, qui de illis aliquid scripserunt.

§. V.

Non solum autem ad verborum locutionumque, sed ad *rerum* * etiam illustrationem aliquid conferre profanorum auctorum

rum monumenta possunt, si prudenter & sobrie adhibeantur.

* *Res*, quae in scripturis sacris occurrunt, in *dicta* & *facta* non incommode destribui possunt.

I, DICTA complectuntur

α) *Dogmata & principia verae doctrinae*: quorum aliqua cum paganae philosophiae doctrinis prorsus pugnant, alia aliquam cum illis similitudinem prae se ferunt. Ad primi generis dicta pertinet sequens exemplum. Christiana religio docet, omne donum perfectum a patre luminum proficisci, *sapientiam ac virtutem a* DEO *dari* Iac. I, 5. 17. Sed contraria omnia docet COTTA, apud CICERONEM *lib.* III. *de natura Deorum* §. *86. 87. Atque hoc quidem omnes mortales sic habent, externas commoditates, vineta, segetes, olieta, vbertatem frugum & fructuum, omnem denique commoditatem prosperitatemque vitae, a diis se habere.* Virtutem autem nemo vnquam acceptam Deo retulit. *Nimirum recte. Propter virtutem enim iure laudamur, & in virtute recte gloriamur. Quod non contigeret, si id* donum a Deo, non a nobis *haberemus.* - - *Iudicium hoc omnium mortalium est, esse fortunam a Deo petendam, a se ipso sumendam esse sapientiam.* Eandem mentem prodit MARCVS AVRELIVS ANTONINVS, *lib.* V. *de se ipso ad se ipsum*, §. XIV. Ad alterum genus spectant, quae apud paganos exstant, testimonia *de naturae humanae corruptione*, nostrae doctrinae satis consentanea, nisi quod gentiles horrendam istius mali profunditatem non satis perspexerunt. SENECA *lib.* III. *de ira c.* XXVI. *Omnes inconsulti & improuidi sumus, omnes incerti, queruli, ambitiosi, &, quid lenioribus verbis vlcus publicum abscondo,* OMNES MALI SVMVS. Perinde vt apostolus Rom. III, 12. πάντες ἐξέκλιναν, ἅμα ἠχρειώθησαν. Et ARISTOTELES *ethic. lib.* III. *cap. vlt.* ad συγγενὲς, siue ma-

malum noſtrae naturae *adnatum* prouocat, quod PYTHAGORAS, in *carm. aur.* v. 29. συναπαδὸν vocat, *quod nos* ſemper & vbique *comitatur*, ſiue vt Paulus exprimit παρακείμενον, Rom. VII, 21. & ἐυπερίστατον Ebr. XII, 1. Plura talia ſuppeditat TOB. PFANNERVS, in *ſyſtemate theologiae gentilis purioris*, & PETR. DAN. HVETIVS, in *quaeſt. alnetanis*, *lib. II. p. 71. ſeqq.* quò continetur *dogmatum chriſtianorum & ethnicorum comparatio*, non ſatis tamen caute ſemper inſtituta. †

β) *Leges & morum praecepta*, quibus etiam multa in paganorum ſcriptis ſimilia exſtant, quae HVGO GROTIVS, IOAN. CLERICVS, IO. PRICAEVS, PETR. DAN. HVETIVS, in *quaeſt. alnet. lib. III. p. 249. ſeqq.* aliique diligenter adnotauerunt; quibus nuper acceſſit CHRIST. FALSTERVS, qui in *cogitationibus variis philol. part. I. c. VII.* morum praecepta, a CHRISTO Matth. V. ſeqq. tradita, cum MARCI AVRELII ANTONINI meditationibus comparauit. Exemplum ſubiiciamus. Chriſtus iubet Matth. V, 36. *non reſiſtere malo*, ſed maiora potius patienter ſubire, quam vlciſci. Eadem monet PLATO, *in Critone*; οὐδὲ ἀδικούμενον δεῖ ἀνταδικεῖν. ἔτε δεῖ ἡμᾶς ἔτι τῶν δὲ χαλεπώτερα πάσχειν. Quod latius explicat ſectator dogmatum Platonis, MAXIMVS TYRIVS, in diatribe, cui titulum fecit, εἰ τὸν ἀδικήσαντα ἀνταδικητέον. Inter PYTHAGORAE ſcita refert IAMBLICHVS, μήτε ἄρχειν λοιδορίαν, μήτε ἀμύνεσθαι τοὺς λοιδοροῦντας, vt alia his ſimilia multa taceamus, quae apud HVG. GROTIVM in adnotatis ad h. l. videri poſſunt. En aliud exemplum! Vt quis *cum vxore patris concumbat*, Paulus I Cor. V, 1. flagitium eſſe dicit, *quod nec inter gentiles nominetur*. Parum *pudentem* id eſſe *hyper-*

† Huc refer auctores, qui de theologia, *Platonis*, *Ariſtotelis*, *Homeri*, *Hippocratis*, *Ciceronis*, cet. ſcripſerunt, quos recenſet cel. IO. ALB. FABRICIVS, in *ſyllabo ſcriptorum*, de *verit. relig. Chriſt. c. VIII. p. 303. ſeqq.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0590
DFG

perbolen ERASMVS ROTERODAMVS parum reuerenter scripsit. Similia enim in SENECAE *Hyppolyto v.* 164. leguntur:

Compesce amoris impii flammas precor,
Nefasque, quod non vlla tellus barbara
Commisit vmquam, *non vagus campis Geta*,
Memorque matris, *metue concubitus* nouos.

Adde Cl. IO. HENR. MAII, *obseru. sacr. lib. I. p. 139.* qui bene monet, verbum ὀνομάζεται vertendum: *non cum laude & adprobatione nominatur.*

γ) *Vaticinia & praeditiones rerum futurarum*, quarum non raro implementa a profanis, illorumque praesagiorum prorsus ignaris scriptoribus, suppeditantur. Inprimis iucundissimum est obseruatu, vbi profani auctores, diuina prouidentia stilum ita dirigente, in describendis rerum euentibus iisdem fere verbis ac formulis vsi sunt, quibus vsi sunt prophetae, in illis euentibus pronuntiandis. Esaias in praedicenda Babylonis per Cyrum expugnatione c. XXI, 5. *Instruitur*, inquit, mensa, editur, bibitur. *Surgite, o principes, vngite clypeum.* Significat scilicet, illa nocte, qua expugnanda esset Babylon, festum celebrandum apud Babylonios, instruendas ad epula mensas, indulgendum commessationibus, quando vox audiretur diuini mandati: surgite principes, nunc tempus est opportunum vrbis occupandae. Idem Ieremias etiam confirmat c. LI, 39. 57. *Quum incaluerint, disponam* CONVIVIA *illorum & inebriabo ipsos, vt exsultent cet.* Ecce vero euentum iisdem fere verbis ab historicis profanis descriptum. HERODOTVS *lib. I. p. 88.* ἀλλὰ (τυχεῖν γάρ σφι ἐοῦσαν ὀρτὴν) χορεύειν τε τοῦτον τὸν χρόνον, καὶ ἐν εὐπαθείῃσι εἶναι, ἐς ὃ δὴ καὶ τὸ κάρτα ἐπύθοντο. *Sed quod forte* FESTVM *iis esset, &* EXERCENDIS CHOREIS *atque* OBLECTATIONIBVS *hoc tempore operam darent*, captam esse vrbem, iis aliquamdiu, qui in extremis

tremis erant, latuit, *vsque quo id maxime resciuerunt*. Distinctius XENOPHON, *Cyropaed. lib.* VII. *p.* 113. *Cyrus vero quum intellexisset, eiusmodi festum apud Babylonios celebrandum esse, ἐν ᾗ πάντες Βαβυλώνιοι ὅλην τὴν νύκτα πίνουσι καὶ κωμάζουσι quo Babylonii omnes* PER TOTAM NOCTEM POTARE *& commessationibus operam dare solebant* cet. Mox CYRVS in oratione ad milites: *Nunc vero aduersus illos imus, ἐν ᾧ πολλοὶ μὲν αὐτῶν καθεύδουσι, πολλοὶ δ' αὐτῶν μεθύουσι, πάντες δὲ ἀσύντακτοί εἰσι, quo tempore multi quidem illorum dormiunt, multi eorum* EBRII *sunt, omnes vero incompositi* (coll. Dan. V, 1. seqq.) Idem in oratione ad praefectos militiae: *ἀλλ' ἄγετε, λαμβάνετε ὅπλα, ἡγήσομαι δὲ ἐγὼ σὺν τοῖς θεοῖς. Agite, accipite arma*, (Esaias: vngite clypeum) *Ego cum diis vobis praeibo.* Plura talia obseruata videas in CAMP. VITRINGA, viri in veterum monumentis versatissimi, *comment. in Esaiam.*

II. FACTA, quae in scripturis narrantur, sunt

α) *Res gestae* non in Dei tantum populo, sed & inter gentes vicinas, vbi saepe profanorum auctorum consensus historiae sacrae veritatem mirifice confirmat. Quae de calamitatibus ac morbis Israelitarum in deserto Moses narrat, PLVTARCHVS *lib.* VIII. *sympos. quaest.* IX. confirmat, vbi Iudaeos circa rubrum mare inauditis malis vexatos fuisse dicit, dum *angues* exigui, in ipsis nati, exsertis capitibus suras & brachia perederent, & tacti rursum carnem subirent, ac per musculosa serpendo; inflammationum vim intolerabilem excitarent. Falsum his admixtum est; per quod tamen verum transparet. Similiter *Sesaci*, quem Sesostrim profani vocant, *occupationem Hierosolymae* sub Ieroboamo I. Reg. XIV, 25. 2 Chron. XII, 2. etiam DIODORVS SICVLVS obseruauit, *biblioth. histor. lib.* I. c. LV. ad-

addens, eumdem cippis constitutis inscripsisse: HANC PROVINCIAM ARMIS SVIS DEVICIT REX REGVM ET DOMINVS DOMINORVM SESOOSIS: quos se vidisse HERODOTVS adfirmat, *lib.* VIII. *c.* X. Similiter MENANDER in Phoenicum historia meminit *summae illius siccitatis*, quae imperante apud Tyrios ITHOBALO, seu florente ELIA, contigit, teste IOSEPHO *antiquit. lib.* VIII. *c.* VII. *p.* 286. ed. Lipsi. Caedis Bethlehemiticae MACROBIVS meminit, *saturnal. lib.* II. *c.* IV. Christum, imperii fasces tenente TIBERIO, per procuratorem PONTIVM PILATVM supplicio adfectum esse; TACITVS narrat, *lib. XV. annalium*, *cap.* XLIV. vt alia taceamus, quae magno numero congessit AVGVSTINVS ERAHT in redditis ex italico latine abbatis PINCINELLI *luminibus reflexis*, siue *omnium auctorum classicorum consensu, cum singulis capitibus bibliorum*, Francofurti ad Moenum MDCCII in folio: item HVGO GROTIVS *lib.* I. §. XVI. & PHIL. MORNAEVS, de *veritate relig. christ.* IO. IAC. SCHVDT, in *compendio historiae iudaicae*, ex gentilium scriptis collecto. PETRVS DAN. HVETIVS, tum in *demonstratione euangelica*, tum in *quaestionibus alnetanis*, *de concordia rationis & fidei*, inprimis *lib.* II. *c.* XI. *seqq.* quibus nuper accessit DOMINICI DE COLONIA, e Soc. Iesu, *religio christiana, veterum auctorum paganorum testimonio confirmata*, qui liber Lugduni in Gallia, lingua gallicana, MDCCXVIII. prodiit. Addatur FRID. ANDR. HALLBAVERI diss. *sacra in profanis*, Ienae MDCCXXII. habita. †

β) *Euentus*, qui sua singularitate admirationem excitare queunt: vbi auctorum profanorum ope ostendi potest, apud veteres saepe aut eadem, aut similia occurrere, quae homines proterui, ob antiqua-

† Plures recenset cel. FABRICIVS in *syllabo scriptorum de veritate relig. christ. c.* XXXII. *p.* 634.

quarum rerum ignorantiam, in sacris deridentes. Ex. gr. qui Num. XIII, 23. 24. legerit exploratores, quum in vallem Escol venissent, *palmitem, e quo botrus vnus praegrandis pendebat, secuisse, quem e vecte suspensum secum tulerint*; ei id minus incredibile videbitur, si apud profanos auctores similia se legisse meminerit. Ita PLINIVS, *hist. nat. lib.* XIV. *c.* I. testatur, quod alicubi in Syria botri tantae magnitudinis crescant, vt vix commode possint ab vno aliquo portari, & ibidem *Vites*, inquit, *iure apud priscos magnitudine quoque inter arbores numerabantur. Iouis simulacrum in vrbe Populonia ex vna conspicimus vite tot aeuis incorruptum. Metaponti templum Iunonis vitigineis columnis stetit.* Addatur STRABO, *geogr. lib.* II. *p.* 125. *lib.* XII. *p.* 785. Ita quum in venatione *vulpium*, a *Simsone* captarum, & segeti Philistaeorum, intertexta caudis materia inflammabili, immissarum, Iudic. XV, 4. multa sint expeditu difficiliora: multis illa historia, (ab auctore *religionis medici* inter *fabulas* & ineptias profano ausu relata,) amplam ridendi & cauillandi occasionem suppeditauit; quorum dubiola solide confutauit vir summus, SAM. BOCHARTVS, in *hierozoico, lib.* III. *c.* XIII. *p.* 854. & SEB. SCHMIDIVS, in *comm. ad h. l. p.* 1227. Obseruat inter alia BOCHARTVS, vestigia huius historiae in OVIDIO, *lib. IV. fastorum*, reperiri; vbi narrat, *Romae medio aprili* (quo tempore in palaestina est *messis triticea*, qua haec a Simsone gesta sunt) *quotannis vulpes in circo fuisse emissas, cum taedis caudae adligatis.* Etsi vero Ouidius aliam huius rei occasionem, a *Carseolanis* accersitam, adferat; argumentis tamen vero simillimis vir summus docet, ritus tam solemnis ortum Phoenicibus potius deberi, qui rei apud se gestae famam paullatim disseminarint. Alii insuper alias venationes inusitatas, a VOPISCO & LAMPRIDIO commemoratas, adferunt, quas nemo in dubium vo-

vocat, quod ab historiae Augustae scriptoribus memoriae prodita sint illa exempla theatralis pompae, captarum bestiarum incredibili numero insignis. Adde, vulpes & thoes gregatim in palaestina incessisse, teste BELLONIO, ob magnam horum animantium copiam: & quidquid dubii reliquum est, illico euanescet. Iungatur GOD. MARTINI obseru. *de vulpibus Simsonis*, in *miscell. lipsi. tom. IV. pag.* 237. *seqq.* & FRANC. WÖRGERI *exerc. de Samsone, instructis ad incendium vulpibus agros Phil. comburente.*

§. VI.

Si tamen vspiam, hic certe *cautio* adhibenda est, ne vmbras & inania captemus, neue ex ethnicorum scriptorum intempestiua collatione verbi diuini interpretatio certissimum damnum patiatur. *

* *Multi*, inquit ABR. CALOVIVS, in *proleg. bibl illustr. p.* 18 *quum in lectione exoticorum scriptorum exercitati fuerint, vel opinionibus quibusdam eorum imbuti, eas sacrarum litterarum interpretationi immiscuere, quod in patribus etiam obseruare licet: vel e sententiis, aut historiis, ritibus & legibus ethnicorum, tum poetarum, tum aliorum, siue vt πολυμαθείαν suam ostentarent, siue vt commentationes suas locupletarent, multa depromserunt, quae in exegeticis rectius praetermissa, alioue loco proposita fuissent; non raro etiam magis ad obscurandam, vel peruertendam sententiam scripturae sacrae faciunt, & auctoritati ac dignitati scripturae potius derogant, quam inseruiunt, ac quandoque non tam analoga, quam heterogenea & aliena sunt, immo non sine impietate conferri possunt, quod saepe in* GROTIO *obseruari potest: vel denique e λέξη & φράσει exoticorum scriptorum sacros* DEI *amanuenses, importuna, inofficiosa, aut intempestiua sua crisi diiudicant; quae deprehendimus in criticis θεολόγοις*

λόγειος, *qui saepe parum fundati in sacris, interpretandi scripturas auctoritatem sine vocatione sibi sumunt, quique sola linguarum fiducia freti, hoc negotium adgrediuntur. Quum neque contextus, neque analogiae scripturae reliquae, ac quandoque ne analogiae quidem fidei rationem norint, ac inuenta simili quadam phrasi, vti ipsis videtur, eodem significationis vocis vsu, statim εὕρηκα, εὕρηκα exclamant, & mirum quantum in suis interpretamentis triumphant.* Similiter ven. IOACH. LANGIVS, in *institutionibus studii theologici litterariis, p. 568. Cauendum*, inquit, *hic est, ne quid sit nimium & longius quaesitum, ac ingeniosum & subtile magis, quam solidum, aut vtile. Coercenda itaque critica & antiquaria ingenii humani luxuries.* † Sed haec specialius perstringenda, & selectis exemplis illustranda sunt.

§. VII.

Speciatim diligenter cauendum est, ne dum *voces phrasesque* ac loquendi formulas ex antiquis profanorum auctorum monumentis illustrare conamur, aliquid, quod in veri sensus detrimentum cedere possit, admittamus. *

* I. *Cauendum, ne aliunde operose conquiramus, quae domi nascuntur. Sacer enim & domesticus paralleliſmus multis modis profano anteponendus est.* Quid opus est, exempli gratia, vocem λόγος, qua Ioannes Christum, aeternum DEI filium, designare solet, ex campis philosophiae platonicae euocare, quum in ipso sacrarum paginarum horto nascatur. Vti enim Ioannes per λόγον omnia condita esse affirmat Ioan. I, 3. ita etiam Dauid Psal. XXXIII, 6. ait בִּדְבַר יְהוָה שָׁמַיִם נַעֲשׂוּ VERBO *Iehouae caeli facti sunt*, & quaecumque illorum ambitu continentur.

† Adde ven. BVDDEI *isagogen p. 1793.*

tur. Porro qui 2 Sam. VII, 21. דבר יהוה VERBVM *Iehouae* vocatur, is 1 Paral. XVII, 19. עבר יהוה *seruus Iehouae*, κατ' ἐξοχήν ita dictus, Esa. XLII, 1. adpellatur. Accedit locus Hagg. II, 4. 5. vbi mentio דבר VERBI, *quod* DEVS *pepigit*, vel quod se ad populum suum missurum, stabili pacto pollicitus est, *quum ille egrederetur ex Aegypto*, Exod. XXIII, 20. Deut. XVIII, 18. 19. Recte igitur HERM. WITSIVS, in *exercit. de sermone Deo*, in *miscell. sacr. tom.* II. *p.* 102. *Neque anxie quaerendum est, vnde hanc* τοῦ λόγου *denominationem Ioannes habeat? Non habet eam a* ZOROASTRE, PYTHAGORA, PLATONE; *non habet a paraphrasibus chaldaicis* (quamuis illas non prorsus hic excluſas velimus) *aut cabbalistis ebraicis; habet a spiritu sancto, habet ex scriptis propheticis. Hoc ipsi, hoc euangelio, hoc vniuersae religioni christianae longe glorioſius, & ad fidem nostram firmandam multo fortius est, quam si de humana & philosophica mystici nominis origine cogitemus.* Addatur IO. VAN DER WAYEN diſſ. *de vocabulo* λόγος & TOB. EKHARDTI *technica sacra c.* III. *p.* 107. *seqq* † Similiter superuacanea est opera ALEXANDRI MORI, in *notis ad loca quaedam N. T. p.* 88. qui ad verba Act. XIII, 34. σήμερον γεγέννηκά σε, corrogatis auctorum profanorum testimoniis, euincere conatur, *nasci* saepe eos dici, *qui in lucem ac dignitatem redeunt, vel in officio excellenti constituuntur*, quae explicatio etiam *Socinianis* valde arridet. Sed nimirum, nisi ex ipsis prius sacris paginis huius significationis exempla producantur, frustra ad CICERONEM ac PLINIVM, frustra ad STATIVM CLAVDIANVMque prouocatur. Idem in aliis locis obseruandum, nec nisi post frustra excussos sacri paralleliſmi sinus, testes extraneos excitare licet. Modum

† Plures auctores consentientes recenſet reu. VVOLFIVS in *curis philol. in IV. euang. p.* 778. 781.

quoque ea in re exceſſit IOAN. BOMPARTIVS, eccleſiae Campenſis, Gallo-Belgicae, paſtor, qui ſcripſit *parallela ſacra & profana in geneſin*, Amſtelodami, MDCLXXXIX. vbi phraſin Moſaicam ex gentilium ſcriptorum dictis & parallelis poetarum teſtimoniis ſuperuacanea ſaepe induſtria illuſtrat.

II. *Cauendum, ne ad eliminandos noui teſtamenti ebraiſmos, profanorum auctorum loquendi formulas, vnde vnde corraſas, & multum ſaepe diſſimiles, promiſcue adhibeamus.* Vti ſcilicet non fingendi ſunt temere ebraiſmi, neque intrudendi illis phraſibus, quae apud optimos ſcriptores graecos frequenter occurrunt, ita nec negandi ſunt, vbi luculenter ſeſe oſtendunt, neque locutiones, a ſacris procul remotae, ex diuerſiſſimarum aetatum ac dialectorum proſaicis pariter ac metricis ſcriptoribus corrogandae, quae multo rectius ex LXX virali verſione, noui teſtamenti ſcriptoribus familiari, illuſtrari poterant. SEBAST. PFOCHENIVM ſaepe ea in re peccaſſe, viri docti pridem animaduerterunt. Ita in *diatribe de puritate linguae graecae N. T.* §. XLI. *p.* 13. quum negaſſet, phraſin Matth. II, 20. ζητεῖν τὴν ψυχὴν ſapere ebraiſmum; adductis in medium EVRIPIDIS, HOMERI, HESIODI teſtimoniis probat, ψυχὴν etiam apud profanos auctores pro *vita* poni; quod nemo vmquam negauerat. Hinc vero nondum conficitur, integram phraſin, *quaerere alicuius animam*, eo ſenſu etiam graecis auctoribus eſſe vſitatam, quo de *inſidiis vitae alicuius ſtructis* in ſacris litteris adhibetur. Mirum vero, quod etiam ER. SCHMIDIVS, qui maiori alioqui iudicio pollet, PFOCHENIO hic adſentiri potuerit, *in notis ad N. T. p.* 200. Similiter PFOCHENIVS §. LXXX. *p.* 45. fatetur, phraſin Act. XVIII, 6. τὸ αἷμα ὑμῶν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν ὑμῶν, in ebraeo codice ſaepius occurrere, vt 2 Sam. I, 16. 1 Reg. II, 37. Ezech. XXXIII, 4. Vt tamen ebraiſmum

ſmum illi non ineſſe euincat, contentus eſt, adſcriptis poetarum graecorum exemplis comprobare, κάρα *caput*, etiam pro *perſona* accipi. Plures eiusmodi fallaciae compoſitionis ac diuiſionis ibi occurrunt, a THOMA GATTAKERO aliisque atro carbone notatae.

III. *Cauendum eſt, ne voces, quibus ſcriptores diuini nouas ſacratioresque ideas ſuppoſuerunt, ex profanis auctoribus in alienum ſenſum detorqueamus.* Quid ſit *nouus homo*, nec PLATO, nec ARISTOTELES, nec CICERO, nec quisquam alius docere poteſt. Si quis enim huc trahere velit *nouos homines* CICERONIS, hoc eſt, nuper demum in romanam ciuitatem receptos, qui, claris maioribus deſtituti, ipſi primam lucem ſuo generi intulerunt; is procul dubio ineptire, prudentiorum omnium iudicio, diceretur. Recte cl. TOB. EKHARDTVS, in *technica ſacra*, c. *IV.* §. *XXII.* p. 162. *Res vulgares ſi fuerint, humanae, & in communi vita obuiae, quas in nouo foedere deſcriptas legimus: ex vſu loquendi* (quem auctores profani docent) *ſenſus facile eruetur. Sin res ſublimiores, myſticae atque diuinae tritis ſub verbis ac phraſibus lateant, tum loquendi vſus ad illarum intelligentiam fruſtra implorabitur. In his res cognoſcenda prius eſt, quam verba intelligantur. Quis enim auctor graecus nos doceat, quod σάρξ congenitam illam hominis corruptionem & ad mala quaeuis procliuitatem; πνεῦμα, hominem, qua regenitus eſt, ſignificet; quod πίστις denotet fiduciam, in Chriſti merito collocatam; quod ἀναπαύεσθαι ſignificet, prauitate connata magis magisque oppreſſa, in ſanctitatis ſtudio proficere; quod γεννᾶσθαι ἄνωθεν ſit vitam ſpiritualem ac fidem, diuino beneficio, adipiſci* cet. Dantur tamen alia verba, ad ſacras & myſticas ideas exprimendas adhibita, quorum formalis notio ex profanis auctoribus hauriri & illuſtrari poteſt, licet

illa in scripturis ad singulare & sacrum obiectum adcommodetur. Ita εὐαγγέλιον *laetum nuntium* vulgo significat. In nouo testamento speciatim significat *laetum nuntium de gratuita remissione peccatorum*, quae nobis ob Christi meritum obtingit. Μυστήρια *sacra* significat *arcana & occulta*, quae fas non erat enuntiare, vt docet IO. PHIL. PFEIFFERVS, *antiqu. graec. lib. I. c. XLIII.* In nouo foedere sacrum aliquod *dogma*, *quod a Deo nobis reuelatum, & rationi imperuium est*, illo vocabulo designatur. Bene de vtroque vocabulorum genere MART. CHEMNITIVS, nostrae ecclesiae ornamentum, in *locis theol. tom. I. pag.* 16. *Quaedam vocabula sacra ex communi loquendi consuetudine sumta sunt, quorum explicatio linguarum cognitione adiuuatur, vt* εὐαγγέλιον, λύτρον, *& similia. Deinde quaedam sunt sacrae scripturae propria & peculiaria, quorum explicatio non potest, nec etiam debet sumi ex aliis linguis, sed ex phrasi spiritus sancti, vt* iustificatio, gratia, fides; *quae vocabula periculose sunt deprauata, quando plerique ex communi loquendi consuetudine ea explicare conati sunt.* In his ac similibus vocibus plus saepe lucis expectandum esse ex patribus apostolicis CLEMENTE, IGNATIO, POLYCARPO cet. quam ex profanis scriptoribus, recte obseruat CL. SIGISM. BASCHIVS in diss. *de interpretatione N. T. ex patribus apostolicis*, Lipsiae habita MDCCXXVI.

IV. *Cauendum est, ne in notionibus philosophicis, ad vocabula sacra transferendis, modum excedamus.* Sunt quidem in scripturis voces, philosophis tritae, & in sensu etiam philosophico ab apostolis adhibitae; siue quod ad captum essent adcommodatae, siue quod latius paterent, & vsus eas tandem quasi iuris publici feciset: quas peculiari dissertatione olim exposuit ven. PAVL. ANTONIVS, de *philosophismis*, siue *dictionibus philosophicis N. T. Lipsiae*, MDCLXXXVI.

MDCLXXXVI. habita. † Huc ex. gr. pertinet ἕξις *habitus*, Ebr. V, 14. ὑπόστασις *perſona*, Ebr. I, 3. αἴτιος de *cauſſa efficiente*, Ebr. V, 9. ἀναλογία *proportio*, quum id, quod dubium eſt, ad aliquid ſimile refertur, Rom. XII, 6. ὑπολαμβάνειν, *adſumto opponentis argumento reſpondere*, Luc. X, 30. στοιχεῖον, VOX a PLATONE primum vſurpata ad denotanda *elementa*, h. e. corpora prima atque ſimpliciſſima, ex quibus reliqua componuntur; quam vocem adhibet Petrus, 2. epiſt III, 10. στοιχεῖα καυσούμενα λυθήσονται; *elementa conflagrantia ſoluentur;* ad quem locum SEB. SCHMIDIVS, in *colleg. bibl. poſter. p.* 399. *Miror fere*, inquit, *qui ſanctus apoſtolus terminum philoſophicum in ſignificatione philoſophica vſurpauerit; neque enim hic ſcripturae mos eſſe ſolet, licet frequentiſſime de rebus creatis loquatur.* Sunt tamen alia vocabula, inprimis ad *notiones morales* exprimendas adhibita, quae quidem apud profanos etiam philoſophos occurrunt, ſed multo maiorem in ſacris δήλωσιν & ἔμφασιν habent, vt ſunt, ἀρετή, δικαιοσύνη, εὐσέβεια, ὁσιότης, σωφροσύνη, πραότης, ἐγκράτεια, ἀλήθεια cet. Ita ex. gr. εὐσέβεια apud philoſophos denotat *officia hominis circa numinis cultum*, vt ex ISOCRATE, HIEROCLE, aliisque adparet. Εὐσεβείας vero, quam ſcriptores diuini commendant, diuerſiſſima eſt ratio: ſiue reſpicias numen, quod colitur, Deum trinunum, patrem, filium & ſpiritum ſanctum, quem ne quidem cognouere philoſophi; ſiue modum colendi interiorem pariter atque exteriorem, quorum ille ex amore Dei & fide in Chriſtum proficiſcitur, hic verbis factisque, ratione diuinitus praeſcripta, peragitur. Vnde dignus eſſet reprehenſione, qui graciles illas & exiles notiones, quas pagani de virtutibus habuerunt, chriſtianarum virtutum nominibus ſubiiceret. Conf. ven. IO. DAN. HERRNSCHMIDII tract. *de natura & gratia, in materia de virtutibus*

† Item PETRVS ZORNIVS de *philoſophiſmis graecis* N. T.

c. IV. TOB. ERHARDTI *technica sacra*, c. IV *p.* 153. *seqq.* & quae *supra* diximus *cap.* IV. §. V. *p.* 461.

V. *Cauendum est, ne vim & emphasin sacrarum vocum ex auctoribus profanis imminuamus potius & extenuemus, quam confirmemus.* Ita ideam nimis tenuem & macilentam de augusto nomine Iesu Christi, quo ΣΩΤΗΡ adpellatur, Luc. II, 11. sibi formaret, qui eius emphasin metiri vellet ex conceptu profanorum auctorum, quem de hoc nomine habuerunt. CICERONE enim interprete, *Soter* is est, *qui salutem dedit. orat in Verrem.* Solebant nimirum graeci istud cognomen iis tribuere, qui egregie meriti erant de publico, & gentem aliquam, seu ciuitatem ex magno discrimine liberarant ac seruarant. Ita hoc nomen tribuebatur nonnullis Aegypti & Syriae *regibus; medicis* etiam, cum primis AESCVLAPIO & HIPPOCRATI, multisque *diis* ac *deabus*, vt pluribus docet cl. EZECH. SPANHEMIVS, de *vsu & praestantia numismatum*, *tom.* I. *pag.* 417. & IO. PEARSONIVS, in *exposit. symb. apost. p.* 130. *seqq.* Sed infinitis modis sublimiori sensu Christus ita dicitur. Interim merito ad νοήματα Satanae referendum est, quod circa illud ipsum tempus, quo verus σωτὴρ τοῦ κόσμου exspectabatur, venerabile illud σωτὴρ nomen adeo profanatum fuerit. Ita nimirum praeparare volebat callidissimus Iesu Christi hostis animos hominum, vt nihil a vero Saluatore excellentius sibi promitterent, quam a medico aliquo ac ficto numine. In primis huc comparatus fuisse videtur cultus AESCVLAPII, apud Pergamenos & in vniuersa Graecia Asiatica celebratissimus. Hunc etiam quasi nomine proprio τὸν Σωτῆρα & Σωτῆρα Θεὸν adpellabant, immo θεῶν πρεσβύτατον καὶ φιλανθρωπότατον; vnde tantus ad eius templum concursus, vt ἡ κοινὴ τῶν ἀνθρώπων ἑστία *commune humani generis fanum* diceretur, vel rectius, vt diuus IOANNES in *epistola ad Pergamenos Apoc.* II, 13.

II, 13. vocat θρόνος τοῦ Σατανᾶ ex mente doctissimorum virorum MICH. ROSSALLI & THEODORI HASAEI, in *biblioth. Brem. classf.* III *pag.* 93. 104. conf. quae *supra* de fugienda emphasium biblicarum extenuatione diximus, *lib.* II. *c.* VIII. §. XVI. XVII. *pag.* 356.

VI. *Cauendum est, ne diuersas, vel etiam easdem vocabulorum sacrorum notiones, ex profanis auctoribus ad pompam magis, quam ad vsum, colligamus, & densa exemplorum profanorum nube clarissimas saepe voces obruamus.* Sunt enim multi, qui haud vulgaria se praestitisse putant, si coaceruent multorum scriptorum loca, in quibus *eodem, quo in sacris, sensu* vocabulum legitur. Ita ALEXANDER MORVS, in *notis ad quaedam loca N. T p.* 64. ad Luc. II, 29. νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου, magnam adscribit locorum farraginem, quibus verbum ἀπολύειν *soluere a* PLATONE, PLVTARCHO, THEMISTIO, LVCRETIO, HORATIO, cet. etiam de *morte* vsurpatur. Qualia etiam multa in GEORGII RAPHELII *adnotationibus ad nouum testamentum* passim inueniuntur. Magis autem superuacaneus, & lexicographis potius, quam interpretibus conueniens est eorum labor, qui, quum in vocem quamdam incidunt, quae *vna plures admittere solet significationes*, curiose & sollicite, additis testimoniis, notiones illas adnotant; quam diligentiam molestę sedulam perstringit ven. IO. LAVR. MOSHEIMIVS, *de eo, quod iustum est circa litterarum sacrarum ex priscis auctoribus interpretationem*, §. XI. Addimus rursus exemplum ex ALEX. MORO *l. c. p.* 204. ad Ebr. XI, 1. vbi fides dicitur ἐλπιζομένων ὑπόστασις. *Caue*, inquit, *hic sumas vocem* ὑπόστασις, *quo sensu postea sumi coepta est in scholis.* PROCLVS *in iis, quae non sunt edita:* Τὴν ἀθανασίαν, ἣν ἔχομεν κατ' οὐσίαν, ἰσῶ τὴν ἁπλότητα τῆς ὑποστάσεως ἡμῶν. *Sic apud* ARISTOTELEM ὑπόστασις

opponitur τῇ ἐμφάσει. Sed & apud PLVTARCHVM, *de placitis philosophorum, non semel. Apud* DIONYSIVM *autem, non Areopagitam, lib. II. de diuinis nominibus τῇ παρυποστάσει opponitur: τὸ κακὸν οὐκ ἔχει ὑπόστασιν, ἀλλὰ παρυπόστασιν. Apud* HIPPOCRATEM *vero τῇ ἐπισάσει; sed longe alio sensu, quam apud Chrysostomum in Acta. At hic opponitur τῇ ὑποσολῇ, vel ἀποστάσει.* Id scilicet viri docti illustrationem vocare solent; qua tamen scriptura sacra sine damno carere potest. Si enim, quis sensus vocibus diuinorum scriptorum adsignandus sit, extra controuersiam positum est; cur quaeso, quam significationem alii vsurpauerint, praeter necessitatem, loco minus opportuno, quaerimus?

VII. *Cauendum denique est, ne vocibus rarioribus ex profanorum auctorum suffragio alias voces, frequentius obuias, audacter substituamus.* ex. gr. Phil. II, 30. Epaphroditus dicitur fuisse παραβουλευσάμενος τῇ ψυχῇ, *nullam rationem habens vitae suae.* Id verbum quum viri docti forte apud profanos scriptores non inuenirent, aliam sono cognatam, παραβολευσάμενος, substituendam esse putauerunt. Qua in sententia praeter HVG. GROTIVM etiam est PETRVS D'APPLES, medicus & graecae linguae in atheneo Lausannensi professor, teste IO. FRID. HOMBERGK, in *parergis sacris p.* 305. Παράβολοι & *parabolani* autem dicebantur apud veteres, *audaces periclitatores*, quales erant, qui adibant homines peste laborantes, vel qui pretio accepto cum bestiis depugnare solebant. Hinc παραβάλλεσθαι est *audacia praecipiti periculum adire.* Sic HOMERVS, *iliad. XI.* ἀεὶ τὴν ἐμὴν ψυχὴν παραβαλλόμενος πολεμίζειν. Sed nihil hic ex coniectura mutandum esse, codicum consensus docet; quamuis STEPH. CVRCELLAEVS παραβολευσάμενος adscripserit, cuius tamen lectiones variantes, quam exiguae sint apud criticae artis

artis peritos fidei & auctoritatis, satis notum est.† Quo etiam pertinent crises in locum 1 Tim. VI, 19. vbi IOAN. CLERICVS vocem θεμέλιον in κειμήλιον; LAMBERT. BOS vero in θέμα λίαν (καλόν) conuersam volunt.

§. VIII.

Non minus in *ritibus profanis*, cum sacro codice conferendis, caute & prudenter agendum est, ne scriptoribus, siue sacris, siue profanis, aliquid tribuamus, quod ipsis fortasse numquam in mentem venit *

* I. *Cauendum est, ne ex profanis ritibus explicemus, quae multo rectius ex sacris & domesticis institutis exponi debebant.* Ita quum Christus Apoc. III, 12. dicit: *Qui vicerit, faciam, vt sit columna in templo DEI mei;* sunt qui putant, respici ad templa veterum, quorum praecipuum decus erat in columnis, quibus etiam nonnumquam varia decreta & nomina inscripta erant, vt docet THEODOR. IANSONIVS AB ALMELOVEEN in *amoenitatibus theologico-philologicis p.* 16. & IAC. PERIZONIVS ad AELIANI *lib* IH. *c.* XXVI. 5. Sed recte CAMP. VITRINGA, in *anacrisi apoc. p.* 141. *Hic tamen opus non est, in profanis quaerere, quod in sacris abunde reperire est. Absque omni enim dubitatione Dominus hic adlusit ad ornatissimas & elegantissimas structurae templi Salomonis columnas, prope illius locatas porticum, Iachin & Boaz,* 1 *Reg. VII,* 15. *seqq.*

II. *Cauendum, ne ex profanis gentium ritibus ea deriuemus, quae inde deriuari nec debent, nec possunt.* Negligunt hanc regulam viri eruditissimi, IOANNES MARS-

† Sic TANAQVIL FABER pro οἰκοδομήσεται 1 Cor. VII, 10. legendum putat ὁδοποιηθήσεται. Sic RICH. BENTLEIVS pro προσέσχεται 1 Tim. VI, 3. legendum censet προσίσχεται nulla alia ratione inductus, quam quod nulla exempla harum significationum apud profanos auctores exstent.

MARSHAMVS & IO. SPENCERVS, qui Deum in ritibus Mosaicis instituendis sese adcommodasse putant ad ritus & consuetudines profanarum gentium, maxime Aegyptiorum. Ita IO. SPENCERVS, de *legibus ebr. ritualibus*, *lib.* III. *diss.* V. *c.* I. *sect.* IV. *p.* 221. (ed. Hagae com.) *Quum gentiles*, inquit, *arcas, deorum suorum mysteriis consecratas, e cedro conficere, & auro, vel ebore conspicuas & venerabiles reddere soliti fuerint: creditu pronum est, Deum Israelitis aureos cherubinos, arcam etiam cedro & auro plurimo illustrem, concessisse, ne praua aemulatio pungeret eorum animos, quum viderent, ethnicorum imagines cistas, & sacra alia vbique splendescere, & pueriles eorum animi cultu simplici, & infra superstitionis ethnicae pompam subsidente, offenderentur.* Similiter *c.* IV. *sect.* II. *p.* 244. *Quum gentium simulacra, cheruborum locum & vsum habentia, formam praecipue vitulinam gesserint; est, cur opinemur, ebraeorum etiam cherubinos ad formam eamdem propius accessisse.* Porro *sect.* IV. *pag.* 248. *Summam veri speciem prae se fert, huiusmodi simulacra* πολύμορφα, *Aegypto propria, diu ante legem datam vsitata fuisse, & Mosen, Aegypti symbolis adsuetum,* σύνθετα τῆ ἀλλόκοτα *cheruborum simulacra ad morem imaginum & symbolorum aegyptiorum efformasse,* (Immo vero, SPENCERE, ad formam typi, qui illi a Deo ipso in monte ostendebatur, Exod. XXV, 9. 40.) Et rursus *p.* 250. *Imagines in omnium templorum Aegyptiorum adytis collocatae in caussa fuisse videntur, quod Deus etiam sacras illas imagines in tabernaculi templique sui recessibus poni iusserit.* Similia ibid. *cap.* I. *sect.* I. *p.* 216. *seqq.* de *arcae* sacrae origine disputat. Habebant gentiles sacram cistam, *in qua Dionysi pudendum repositum erat.* Habebant & aliam, in *Cereris* initiis vsurpatam, *plures nugas, quam puerorum loculi sunt, intus continentem.* Habebant & *Bachi* orgia cistas. Habebant denique Aegyptii cistam, *quae*

quae secretorum capax, penitus celabat operta magnificae religionis. His & similibus quum valde delectarentur Israelitae, concessit ipsis Dei indulgentia, vt & ipsi sacram cistam haberent, a sanctioribus monumentis instruendam. Haec, si viro erudito credimus, omnium Mosaicorum rituum vera origo fuit, Deo, Aegyptiorum ritus, quos *ineptias tolerabiles* norat, paullulum emendatos, in sacrorum suorum album transscribente. Sed merito profanam illam sententiam, non contemnendo profanae eruditionis adparatu instructam & ornatam, profligauit HERM. WITSIVS *miscell. sacr. tom.* I. *p.* 429. *sqq.* & in *Aegyptiacis.* Add. doct. ZACH. GRAPII *theologiam recens controuersam absolutam*, *p.* 53. *sqq.* cel. PFAFFIVS in *praefatione* praemissa nouae operis Spenceriani editioni Tubingensi, & ven. LANGIVS, in *Mosaischen Licht und Recht*, *p.* 1143. Add cel. GE. WALLIN, de *origine rituum iudaicorum*, IAC. TRIGLANDIVS, de *rituum Mosaicorum origine*, IO. ARND BELMAN, de *origine rituum ebraeorum*, Vpsaliae MDCCVII. Mirandum sane est, viros in ecclesiae gremio educatos, amplecti potuisse sententiam, in cerebro professorum christianae religionis hostium natam. Sic enim SIMPLICIVS olim conuitiabatur, Iudaeos ab Aegyptiis defeciisse, & quidquid illi haberent boni, ab his accepisse, teste PETRO DAN. HVETIO, in *demonstrat. euang. propos.* IV. *cap.* III. §. XL. Similia CELSVS apud *Originem* passim effutiebat, a priscis ecclesiae patribus CLEMENTE ALEXANDRINO, ORIGENE, EVSEBIO, AVGVSTINO dudum exposa & confuta.

III. *Cauendum tamen pariter est, ne in profana antiquitate res ac caerimonias sacras, ad gentiles deriuatas, nimis praecipiti studio vbique inquiramus.* Equidem multa de institutis & doctrinis Mosaicis beneficio traditionis ad gentes peruenisse negari non potest, ac pluribus euincit ven. IOACH. LANGIVS, *in medici-*

dicina mentis, *pag.* 87. *seqq.* & IO. NICOLAI, in *demonstratione de origine theologiae gentilis ex scriptura sacra*, nec non CHRISTIANVS WORMIVS, de *corruptis antiquitatum ebraearum apud Tacitum & Martialem vestigiis*. Sed limites tamen hic etiam facile migrari possunt, ex nimio studio, sacra in profanis vbique inueniendi. *Vnde nescio*, inquit cel IO. ALBERT. FABRICIVS, in *bibliogr. antiqu. c.* II. § I *p.* 29. *an modum excedant viri doctissimi, qui si quamcumque vel minimam, vel etiam nullam, vident in Ebraeorum & Aegyptiorum, Graecorum item Romanorumque & aliarum gentium institutis similitudinem, longe maximam tamen videre se existimantes, nihil non, etiam plerasque, quas habent fabulas, nedum ritus & sacra a Iudaeis repetisse ethnicos contendunt.* Cuius vitii accusatur, vt de HVETIO nihil dicamus, EDMVNDVS DICKINSON, in libro, cui titulum fecit; *Delphi Phoenicizantes*, vbi integram idolomaniam Delphicam simiam fuisse diuini cultus in tabernaculo foederis, probare studet, ex quo praecipua decerpsit ven. IOACH. LANGIVS, in *medicina mentis*, *p.* 120. *seqq.* Huc etiam a Cl. FABRICIO *loc. cit.* refertur SAM. BOCHARTVS, *in Phaleg*, GERH. IOH. VOSSIVS de *idololatria*, IO. MICH. DILHERRVS, in diss. de κακοζηλία diaboli.

IV. *Cauendum est, ne in ritibus aliarum gentium similibus atque cognatis coaceruandis, perdamus operam, ad loca scripturae illustranda parum profuturam.* Feciſſe id obſeruatur IO. DOVGHTAEVS, anglus, in *analectis sacris*, in quibus ipsi propositum fuit, ostendere, eorum rituum, quorum in sacris litteris mentio exstat, non dissimiles apud plures alias gentes in vsu fuisse. *Sic quoque*, ait *Romani; sic Athenienses; sic Graeci; sic Persae:* vbi saepe adferri videas, quae vix tenuem similitudinis vmbram inter se habent. Ita *excursione CXXI. p.* 207. ad *Esth. V*, 2. vbi rex *sceptrum extendisse* dicitur *versus Estheram*, adscribit:

Hoc

Hoc specimen sublimitatis regiae apud Persas; rarum & infrequens alibi. Sed ne hic tamen etiam sine symbola discedat, addit: *Sceptri eleuationem iurantibus vsitatam, narrat* ARISTOTELES, *polit. lib.* III. *c.* X. & HOMERVS, *iliad.* X. *Aliud erat inter antiquos honoris & salutis indicium, tangere & exosculari principis stolam, siue purpuram; qui mos melior omnino fuit, quam ille Romanorum, porrigentium ad osculationem pedes, cuius primus institutor commemoratur C. Calgula, teste* DIONE, *lib. LIX. & quem firmauit solemni edicto Diocletianus, quemque pontifex hodienum tenet.* Nihil prorsus lucis hinc loco illi accedit.

V. *Cauenda denique illa nimium curiosa sagacitas, qua in omnibus fere vocabulis ac locutionibus sacrorum virorum adlusiones ad ritus profanos nonnulli subodorantur.* Libenter quidem concedimus, spiritum sanctum, dum epistolas, ad gentes mittendas, apostolis suggereret, ad illos gentium ritus, qui in tanta erant celebritate, vt neminem latere possent, subinde respexisse, & eiusmodi verba scriptoribus sacris nonnumquam suppeditasse, quae adlusionem ad illos ritus haud obscure inuoluunt. Videatur ex. gr. IVSTVS SCHOEPFERVS, *de locutionibus Pauli gymnicis*, & quae supra *p.* 347. obseruauimus. Sed tamen & hic modus in rebus est; qui si negligatur, necesse est, multa scriptoribus diuinis adfingi, quae numquam fortasse illis in mentem venerunt. Paulus Rom. XIII, v. 14. vt *induamus Iesum Christum.* Vide quaeso, quomodo viri docti inter se certauerint, in detegendo ad veterem aliquem ritum respectu, quem huic phrasi subesse sibi persuadent. Nonnulli illum I. in *profanis gentilium antiquitatibus* quaesiuerunt. Sunt enim, qui apostolo obuersatum fuisse putant *festum Saliorum*, siue sacerdotum Martis, qui in memoriam scuti atque ancilis, tempore Numae Pompilii coelo delapsi, singulis annis festum celebrabant, & armis induti per pla-

plateas discurritabant; quibus armis tenebrarum τὰ ὅπλα τοῦ φωτὸς a Paulo opponi censent. Alii eum ad Romanorum *Lupercalia*, alia ad *Saturnalia*, vbi serui dominorum suorum vestibus induti incedebant; alii ad consuetudinem, qua homines profani *deorum* suorum *vestes*, religionis caussa, induere solebant, quod TERTVLLIANO dicitur, *induere deos*; alii ad veterum *sophistarum* morem, apud quos illi, qui supremum gradum attingebant, vestibus, singulari caerimonia consecratis, induebantur; alii ad alia adiudi, lepide existimant. Vide STEPHAN LE MOINE, in *notis ad varia sacra p.* 390. & THEOPH. AMELIVS, in *der Erœrterung der dunckelsten Stellen des N. T. ann.* MDCCXII *p.* 893. *seqq.* Nonnulli II. in *sacris ebraeorum ritibus* quaerunt, ad quod respiciatur. Ita ven. SAL. DEYLINGIVS, *obseru. sacr. lib III pag.* 318. putat, referendum id esse ad *inaugurationem pontificum ebraeorum*, quae sub templo secundo solemni *vestium* sacerdotalium *induitione* peragebatur, vnde IOSEPHO, *antiquit. lib XIX. cap. VI. p.* 676. ἄπαξ ἐνδῦναι στολισμὸν ἱερὸν idem est, ac *pontificis maximi dignitatem accipere.* Nonnulli denique II. *christianas antiquitates* hic adeunt, atque phrasin profectam putant ex veteri more, adultos in *baptismo* mergendi, qui vel suis, tamquam nouis, aut aliis vere nouis vestibus induebantur, vt THEODOR. BEZA & STEPH. LE MOINE existimant. Addatur IO. D OVTREIN diss. *de induitione Christi*, in *biblioth Brem. class IV. p.* 360. qui plures respectus coniungit. Tantae molis erat, hanc phrasin illustrare! Plura eiusmodi in THEOPHILI AMELII *Erœrterungen*, nec non in IOAN. HENR. MAII, filii, *obseruationibus sacris*, & aliis rerum antiquarum peritis, prudens lector obseruabit. Contingit enim id quam maxime viris, qui veterum rituum antiquitatumque notitia imbuti sunt; quibus familiares illae antiquitatum ideae, ad quas formandas

mens

mens quadam consuetudine fertur, in ipsa etiam scripturae lectione & explicatione idemtidem recurrunt, & ob oculos obuersantur, vt ATHANASII KIRCHERI exemplum docet, qui lingua & antiquitatibus Aegyptiacis imbutus, omnia *Aegyptiaca* putabat, vti HENR. HAMMONDVS vbique in epistolis apostolorum *gnosticos* videbat. Adde quae *supra* diximus, *lib.* II. *c.* VIII. §. XVII. *p.* 359.

§. IX.

Denique in *verum* ipsarum ex profanis scriptoribus, philosophis, historicis illustratione magnam adhibere cautionem oportet; ne vel operam ludamus, vel scripturas sacras, ipsamque adeo christianam religionem, prostituamus. *

* Hic etiam rem vniuersam certis cautelis complectamur.

I. *Cauendum est, ne sententiis sacris ex profanorum auctorum comparatione sensum turpem atque obscoenum adfingamus.* Parum id obseruauit vir cetera maximus, HVGO GROTIVS, in suis ad *canticum Salomonis adnotationibus*, quas *maculas* rectius dixeris, sanctissimo libro adspersas. Ex. gr. ad Cant. IV, 9. *Soror mea!* adnotat: *Sic & latini amicas vocabant. Meminit* TIBVLLVS, MARTIALIS *& alii.* Egregii scilicet interpretes cantici sacratissimi! Pariter ad V. 11. *Fauus distillans labia tua*, adiicit: *Sic labia in graeco epigrammate:* τὸ μετ' ἐκείνου πρόσωπον. Ad V. 12. *Hortus conclusus*, addit: *Hoc sensu & graeci κῆπον dicunt. Sic hortus in Lampsaceno carmine, & hortulus apud* APVLEIVM. Ad cap. II, 5. *Amore langueo*, adscribit: *Sic nympha apud* THEOCRITVM, παρκῶ νὴ τὸν ἔρωτα. Plura transscribere pudet. Similia nonnumquam in cl. IO. HENR. MAII, filii, *obseru.*

sacris occurrunt, vt *lib. I. p.* 90. *lib. II. p.* 38. *cet.* in secunda editione rectius emendata.

II. *Cauendum est, quum dogmata sacra & morum praecepta, in scripturis obuia, cum veterum philosophorum placitis comparamus, ne splendidis verbis quae anguem in herba latentem fouent, nobis imponi patiamur.* Contingere id maxime solet illis, qui *Platonicam* & *Stoicam* philosophiam incautius admirantur. Negari enim sane non potest, multas in illorum philosophorum scriptis occurrere sententias, quae, si litteras & sonum spectes, cum sententiis virorum sacrorum amicissime conspirare videntur: adeo vt olim CELSVS non dubitauerit cauillari, CHRISTVM *ipsum ex* PLATONE *multa dogmata hausisse*; quam calumniam AMBROSIVS, Mediolanensium episcopus, singulari opere refutare adgressus est, teste AVGVSTINO, *epist. XXXIV.* quod tamen hodie non amplius exstat. Vide plura in hanc rem disputata in CHRISTIANI KORTHOLTI *pagano obtrectatore, lib. I. c. II. de doctrina christiana, ex poetarum lacunis, scitisque philosophorum hausta.* At enim vero, si praeclarae istae ac splendidae sententiae cum integro systemate illius philosophiae comparentur, multum monstri alere deprehenduntur. Vnde recte monet IO. CLERICVS, *art. crit. part. II. sect. I. cap XV. pag.* 303. *non esse temere conferenda ethnicorum dicta cum sacrorum scriptorum sermone; quandoquidem saepe, vbi videntur eadem dicere, diuersa proferunt. Videndum igitur prius est quam diligentissime, quem sensum phrasibus suis subiecerint scriptores ethnici, quem ebraei ac christiani suis: quo demum peracto, possunt inuicem conferri.* Ita quae Platonici de *trinitate* disputauerunt, adeo praestrinxerunt nonnullorum oculos, vt ea cum doctrina christianae religionis de trinitate prorsus consentire putauerint. Certe PETRVS POIRET, in *cogitat. rationalibus de Deo, anima*

anima & malo, lib. III. cap. VIII. p. 341 e s omnino falli putat, *qui sibi & aliis persuasum velint, non eamdem esse trinitatem apud Platonicos scriptores, quae & apud Christianos est, sacrosque scriptores.* Idem statuit auctor (SOVVERAINIVM dicunt) libri: *le platonisme devoilé*, Coloniae, MDCC editi. Sed longe alia docet IO. CLERICVS, *art. crit. tom. III epist. VII. p. 177.* IO. BENED. CARPZOVIVS, & IO. GVILIELMVS *de trinitate Platonica*, & ven. IO. FRANC. BVDDEVS, in *inst. theol. dogm. lib. II. c. I. §. LV. p. 434.* Interim multi patrum ad scopulos platonicae philosophiae impegerunt, vel quia multi ex eius schola ad Christi disciplinam transierunt, vel quia ea dogmata proxime ad christianam fidem accedere iudicarunt, vt pluribus ostendit cel. IAC. THOMASIVS, in *originibus hist. philos. & eccl. §. XLVI. p. 87.* vt adeo aegre fidem in omnibus inuenturus sit P. BALTE, *dans la defense de SS. Peres, accusés de platonisme*, Parisiis, MDCCXI.

Non pauciores, pulchra philosophiae *Stoicae* facies fascinauit, cuius alumni de *Deo*, de *praesentia eius*, de *sacro*, qui intra nos habitat, *spiritu*, de *sapientia*, de *virtute*, de *adfectibus* perdomandis, de *moribus* ad modestiam componendis, tam splendide & copiose differunt, vt in apostolorum disciplina educati videantur; adeo vt multi, qui latens sub verborum meteorismis venenum non animaduerterunt, SENECAM, EPICTETVM aliosque propemodum in christianorum numerum recipiendos putauerint. Vid ABR. STRAVCHII diss. de *christianismo Senecae*, & IO. GOTTLIEB HEINECCII doctam dissert. *de philosophis semichristianis §. XXV.* Sed dudum obseruauit MALEBRANCHE *de inquir. veritate lib. II. cap. IV.* nihil plerumque in tam magnificis Senecae verbis latere, praeter doctrinas quasdam Stoicorum futiles & vulgares, quae, sublato isto verborum colore, in fumum abeunt, suumque

turpiter destituunt lectorem. Immo quam impia dogmata pulchra illa specie tegantur, pluribus ostendit IAC. THOMASIVS, de *exustione mundi Stoica*, & ven. IO. FR. BVDDEVS, in IV. dissertationibus de *erroribus Stoicorum in philosophia morali*, quae exstant in *analectis historiae philosophicae*, *p. 89. seqq.* Adde clar. TOB. EKHARDTI obseru. *de Seneca in religionem christianam iniurioso*; in *miscell. lipsiens. tom. IX. p. 90.* & clar. LVD. CHRIST. CRELLII ὑπέρτοφα καὶ ἄσοφα *Epicteti*. Exemplum subiiciamus. SENECA *ep. LXXIII. Miraris*, inquit, *homines ad Deos ire? Deus ad homines venit, immo, quod propius est, in homines venit.* Item *epist. XLI. Prope est a te Deus, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum obseruator & custos. Hic prout a nobis tractatus est, ita nos tractat.* Quid dici cogitarique praestantius posset? quid magis propinquum verbis apostoli, Act. XVII, 27. *Deus non est longe ab vnoquoque nostrum:* & 1 Cor. III, 16. *Scitis, quod templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis. Si quis templum Dei profanat, hunc perdet Deus.* Sed sensus verborum cognatorum diuersissimus est. *Deus* enim & *sacer* ille *spiritus* Senecae nihil aliud est, quam anima mundi, per omnes creaturas totumque vniuersum diffusa, cuius pars est animus humanus; ipso SENECA interprete, *epist. XCII. Totum hoc, quo continemur, & vnum est, & Deus, & socii eius sumus & membra.* vid ven. IO. FR. BVDDEI dissertat. *de Spinozismo ante Spinozam, §. XVIII.* in *analectis historiae philos. pag. 340.* Ex quibus satis adparet, aeque frustra consensum istorum philosophorum cum scriptura sacra iactari, ac tenebras inter & lucem concordia iniri potest; simulque patet, quid de AVGVSTINI STEVCHI EVGVBINI libris *de perenni philosophia*, MVTII PANSAE *osculo philosophiae ethnicae & christianae*, PETRI

PETRI DANIEL. HVETII *quaestionibus alnetanis*, similibusque scriptis habendum sit. Addatur ven. IO. FRANCISCI BVDDEI obseruat. *de conciliatione philosophorum cum scriptura sacra*, in *obseruat. Hall. lat. tom.* III. *obseru.* XIII. IAC. BRVCKERI diss. *de comparatione gentilis philosophiae cum scriptura sacra, & religionis christianae dogmatibus, caute instituenda*, & cl. IO. HENR. A SEELEN, sched. de *veritate religionis christianae, ex profanis scriptoribus caute confirmanda*.

III. *Cauendum est, ne historiarum sacrarum vestigia in veterum poetarum fabulis & fictionibus nimia perspicacia vbiuis indagemus.* Occultos quidem poetarum fabulis sensus vindicat cel. IAC. THOMASIVS, in *dissertationibus pag. 730.* suntque viri doctissimi GROTIVS, BOCHARTVS, DICKINSON, HVETIVS, VOSSIVS, TOVRNEMINE, alii, qui *mosaica* tectis & corruptis nominibus illis contineri putant; quibus addatur cl. CAROLVS ARNDIVS, in obseru. *de vsu poeseos profanae in theolog. exeget.* in *miscell. lipsi. tom.* VI. *pag. 212.* Sed quam lubrica illa sint, atque in mille formas flexilia, quilibet videt. Ita sunt, qui *Isaaci immolationem* sibi visi sunt deprehendisse in *Iphigeniae* oblatione, quam EVRIPIDES peculiari tragoedia celebrauit, & OVIDIVS, *metamorph. lib.* XII. ineunte descripsit. Quam belle vtraque historia conueniat, doctiss. IO. HENRICVS MAIVS, filius, *obseruat. sacr. lib.* II. *pag. 112.* commonstrare adgressus est. Alii eam quaerunt in immolatione *Phrixi*, quam PALAEPHATVS, de *incredibilibus c.* XXXI. aliique mythologi describunt; vt IO. MONETA, in *problemate mythologico: vtrum immolatio Phrixi eadem sit ac Isaaci, nec ne?* IO. GEORG. MICHAELIS eam in fabula *Hyrici & Orionis* inuenit, in dissertat. de *Abrahamo & Isaaco, a graecis in Hyrieum & Orionem conuersis*,

quae exstat *in bibliotheca Bremensi, classe VI. pag. 51.* MERCVRIVM, in fabulis poetarum decantatissimum, eundem esse cum *Mose*, prolixe probare conatus fuit PETRVS DAN. HVETIVS, *demonstrat. euang. propos. IV. cap. IV. §. II.* At SAMVEL. BOCHARTVS, in *phaleg. lib. I. cap. II.* illum habuit pro *Canaane*, Chami filio; nuper vero PETRVS VON SARN, in *biblioth. Brem. classe V. p. 205.* eum cum *angelo foederis* comparauit: cui tamen comparationi cl. THEODORVS HASAEVS hanc epicrisin adiecit: *Valeant haec, quantum valere possint. Caute enim & cum sacro tremore tractanda sunt, ne quis haec longius, quam par est trahat, aut inde, quae ex iis non sequuntur, eliciat.* Idem monitum obseruandum est in lectione *demonstrationis euangelicae*, & *quaestionum alnetanarum* ill. HVETII, qui nimis crebro res Mosaicas in gentilium fabulis deprehendit, multasque Homeri narrationes ex sacris Mosis litteris detortas putat, reprehensus propterea nuper a cl. IO. IAC HASAEO, in *biblioth. Bremens. classe VI. pag. 778.* cui iungi potest IOAN. HENR. FOPPII obseruat. *de ineptia fabularum poeticarum ad sanctae religionis mysteria adplicatione;* in *miscellan. lipsiens. tom. IX. p. 122.* Magis autem reprehensione dignus est GERHARD. CROESIVS, verbi diuini minister Dordracenus, qui scripsit *Homerum ἑβραῖον*, cuius tomus I. Dordraci anno MDCCIV excusus est, in quo operam dedit, vt ostenderet, Homeri argumentum esse historiam sacram, & in *Odyssea* quidem historiam patriarcharum & Israelitarum vsque ad Mosis mortem; in *Iliade* autem ea, quae post Mosis obitum ab Israelitis, duce Iosua, in occupanda vrbe Hierichunte totaque palaestina gesta sunt, contineri. Alter tomus adhuc ineditus in scriniis viduae delitescere dicitur. Immo vero IAC. HVGO ex iliade Homeri totam *Christi & discipulorum historiam* extorsit.

torsit. Et vti olim, LVTHERO teste, *tom.* III. *Ien. germ. fol.* 86. fuit, qui in OVIDII *metamorphosi* res *Christi* quaesiuit; ita nostra aetate res *Israelitarum* in illa deprehendit LVCAS CVPERVS, cuius exstant *παραλειπομενα τῆς χρονολογιας & historiae sacrae, a mundo condito vsque ad exodum Israelitarum ex Aegypto, prout desumta ex libris metamorphoseon P. Ouidii Nasonis.* Equidem in gentilium monumentis historiae sacrae vestigia passim sunt dispersa, & aliis rebus immixta; sed qui eas continua serie enarratas quaesiuerit, otio & ingenio abutitur.

IV. *Cauendum, ne superuacaneam operam ponamus in similibus aliorum factis ex profanis auctoribus coaceruandis.* Si enim sunt eiusmodi *facta, quae in communi hominum vita inter omnes gentes saepissime contingunt*, vt quum somnus nauigantem Seruatorem occupat, quum Paulus a vipera mordetur, quum in Areopagum deducitur, & his similia: nulla prorsus lux similium factorum recensione dicto accedit. Si vero sint *euentus singulares ac prodigiosi*, in quibus praesens summi numinis manus interceßit: similium euentuum, inprimis si fabulas illi sapiant, enarratione, verendum est, ne pretium sacrorum diminuatur, suamque illa exuant admirabilitatem. Exempla accipe. Sodomae ciues a vindice Dei manu scotomate adfligebantur, Gen. XIX, 11. Quid hic ill. HVETIVS? *Simile hoc*, inquit, *eorum est, quae de Tiresia, & Aegypto, Arcadum rege, tradiderunt fabularum artifices: hunc, quod Mantineae Neptuni subiisset templum, quo pedem inferre nefas erat; illum, quod pro Ioue aduersus Iunonem aliquando sententiam tulisset, luminibus oculorum esse priuatos;* in *quaest. alnet. lib.* II. *c.* XII. §. IX. Mosen *virgae* beneficio mirabilia opera, Deo iubente, perpetrasse, Exod. IV. seqq. cum stupore legimus. Hic vero praesul ille doctissimus, *loc. cit.* §. XI. fuse docet, *virgarum vsum*

in magicis artibus apud varias gentes fuisse frequentatum. Quid hic ἄθεοι & incauti lectores cogitaturi sint, non difficile est coniectare. Clarissimum est prodigium, a Deo in *virga Aaronis* editum, quae flores fructusque repente emisit. Id ne cui incredibile videatur, HVETIVS §. XXIV. adfert *clauam Herculis* ex oleastro, quae destituta in terra, radices misisse & repullulasse dicitur; & *ficus Boeotiae*, a locustis derosas, quae iterum germinauerunt. *Ficus* Christi iussu arefacta est Matth. XXI. Similiter *Ruminalis ficus*, quae Remi & Romuli infantiam texerat, sub Nerone exaruit. Christi baptismus nouo prodigio caeli aperti ornabatur Matth. III. *Prodigialiter id tunc quidem fiebat*, scribit Abrincensium episcopus, *loc. cit. c. XVII. §. I. At nonnumquam naturalibus caussis caelum discedere visum est: quod inter prodigia referebant Romani in auguralibus libris, plurimaque eius exempla exstant in historiis; plurima & ardentis caeli, & solis noctu visi, & lucis derepente fulgentis in tenebris.* *Vox* tunc e caelis apertis audiebatur. Similiter *Baccho* in Penthei caedem Maenades incitante, & vox sonuisse ex aethere, & lux promicuisse dicitur. *Ventorum vis* a Christo repressa, tempestasque sedata est Matth. VIII, 26. Idem narratur praestitum a PYTHAGORA, EPIMENIDE, ABARIDE, EMPEDOCLE. Narratur & Corinthi fuisse progenies quaedam hominum, qui ventos componere possent, propterea que adpellarentur ἀνεμοκοῖται *ventorum domitores*. Adiungitur NEPTVNVS apud VIRGILIVM, *aeneid. lib. I. v.* 135. qui ventos, iniussu suo maria turbantes, verbis castigat & comprimit. Quin ne quid desit miro spectaculo, *Lappones*, etiam & *Finni* & *Brachmanes* a viro docto in scenam producuntur, *loco cit. §. VI.* Piget plura transscribere, in prostitutionem potius, quam confirmationem sanctissimae nostrae religionis coaceruata.

Quis

Quis enim adprobauerit, ea, quorum indubia est & veritas & auctoritas, cum obscurorum quorumdam hominum figmentis excrementisque componi.

V. *Cauendum denique, ne profanis auctoribus maiorem fidem auctoritatemque, quam ipsis sacris tribuamus.* Turpiter hanc cautelam neglexisse IO. TOLANDVM, hominem profanum, supra iam obseruauimus, *cap. V. §. XI. p. 527. 529.* Quibus addatur cl. IO. GOTTLOB CARPZOVII *introductio in libros canon. V. T part. III. p. 469. seqq.* Mosen asseclas suos ἐπὶ τὸν τόπον τοῦτον *in eum ipsum locum deduxisse, vbi nunc est templum Hierosolymitanum, illumque locum facile obtinuisse*, STRABO memoriae prodidit. Haec qui anteferre velit scripturae sacrae narrationi, de Mosis cis Iordanem obitu; animum mendaciis, quam veritati amiciorem, satis proderet. Nimis etiam praecipitanter egit doct. IO. CLERICVS, *artis crit. part. I. c. IV. p. 92.* quum HERODOTI narrationem non solum scripturae sacrae anteferre, sed hanc etiam ad illam componere auder. Quum enim Esaias c. XVIII, 2. Aegypticos vocat גּוֹי קָו קָו *gentem canonis, canonis*, hoc est, infinitis praeceptis, ritibusque religiosis oneratam; vir doctus, qui inciderat in locum HERODOTI *lib. II. c. XCIV.* vbi *vnguentum* aliquod KIKI commemoratur, lectionem sacri codicis ad hunc locum reformandam, & pro קָו קָו potius קִי קִי substituendum esse iudicat. Sed 1) locus Herodoti incertus est, quum pro KIKI probati codices TIKI legant; 2) absurdum, ab vnguento, quo nonnulli homines in aliquo Aegypti angulo vtebantur, integram gentem denominari.

Haec de auctorum profanorum in sacris vsu & abusu monuisse sufficiat. Videantur, qui peculiaribus scriptis de hoc argumento egerunt, ven. IO. LAVR. MOSHEIMIVS, qui dedit *cogitationes philosophicas, de eo quod iustum est, circa litterarum sacrarum ex*

priscis auctoribus interpretationem & emendationem, quae in *obseruationum* ipsius *sacrarum libro* I. recusae sunt: quem tamen, quod cum abusu ipsum eriam vsum tollere falso putaretur, acerbe confutandum adgressus est IO. ANDR. CLEFFELIVS, in diss. critica *de interpretatione N. T. ex scriptoribus profanis*, Witebergae, MDCCXXII. Lectu etiam digna est clar. CHRISTOPH. WOLLII dissert. *Lipsiae* eodem anno habita, in qua *regulae XXX. hermeneuticae*, *ad circumspectam scripturae sacrae illustrationem ex auctoribus profanis vtiles*, suppeditantur.

LIBRI TERTII
CAPVT OCTAVVM
DE
ADMINICVLIS VERSIONVM SACRARVM.*

Σύνοψις.

Versionum adminicula ab interprete sacro non contemnenda sunt §. I. vbi post praeuiam *diuisionem* §. II. traditur

I. DESIGNATIO versionum praecipuarum

1. linguis *orientalibus* expressarum

a) antiquarum §. III.

b) recentiorum §. IV.

2. linguis *occidentalibus* & *europaeis* vulgatarum

a) anti-

* Ad integrum hoc caput conferri meretur ven. IO. GOTTLOB CARPZOVII *criticae sacrae pars II.* ac *versionibus codicis ebraei*, p. 430. *seqq.*

a) antiquarum §. V.
b) recentiorum §. VI. vbi & de bibliis *polyglottis*, quae variarum linguarum versiones exhibent, agitur § VII.
II. NOTAE bonae versionis, §. VIII.
III. VSVS versionum
1. *generatim* §. IX.
2. *speciatim*
a) paraphrasium chaldaicarum §. X.
b) LXX interpretum §. XI.
c) syriacae versionis §. XII.
d) vulgatae latinae §. XIII
e) recentiorum & vernaculae, §. XIV.
IV. CAVTELAE circa versiones, §. XV.

§. I.

Singulare beneficium diuinae prouidentiae est, quod libros sacros in varias linguas vertendos transfundendosque curauerit. * Quamuis igitur diuinae voluntatis interpreti fontes potius, quam riuuli, adeundi sint; ** dubitandum tamen non est, eum ex *versionibus* etiam vsum non contemnendum haurire posse.

* Bene IO. COCCEIVS, in *praefat. lexici ebr.* lectu dignissima: *Deo, Deum dedisse charisma interpretationis tam multis & tam differentibus cum ea certitudine & euidentia, vt plurimae partes sacrarum litterarum tot linguis, & a tot interpretibus eodem modo expositae sint, & aliter exponi non possint, vt Gen. I, 1. 27. c. III, 15 c. XII, 3. cetera. Qui consensus, quum necessarius fuerit, & nemo ab eo discedere possit, eamdem efficaciam habet apud eum, qu*

ebrai-

ebraicas litteras legere non poteſt, quam habet vſus linguae apud eum, qui in gente aliqua naſcitur, & linguam, vt vernaculam, diſcit.

** Equidem qui ſuae vtilitatis cauſſa ſacras paginas legit, ex bona verſione, qualem B. LVTHERI induſtriae acceptam ferimus, abunde poteſt ſitim reſtinguere; ſiquidem ea, quae ad ſalutem & fidem neceſſaria ſunt, in omnibus fere verſionibus, quantum ſatis eſt, expreſſa leguntur. At interpretis partes qui ſibi ſumit, hunc ſine nouo interprete ſcriptores ſacros intelligere, & propriis, non alienis, oculis videre par eſt. In profanis certe auctoribus interpretandis non ferimus eum, qui non probe calleat linguam, quam is, quem ſibi explicandum propoſuit, auctor in ſcribendo adhibuit: merito igitur turpe & non ferendum exiſtimatur, in hoc ſacro grauiſſimoque negotio, vbi de Numinis mente & ſententia agitur, aliorum oculis vti, aliorumque manibus iudicii gubernacula committere. Conf. ſi placet, de linguarum originalium neceſſitate diſſ. noſtram *de idoneo ſacrarum litterarum interprete, part.* II. §. X. quae exſtat in *exerc. herm. p. 64.* & quos *ſupra* laudauimus auctores, *p. 13.* quibus adde reu. IO. ANDR. DANZII praefat. *interpreti ebraeo-chaldaeo* praemiſſam: CONSTANTINI L'EMPEREVR orat. inaug. *de vtilitate ac neceſſitate linguae ebraeae,* Lugduni MDCXXVII. habitam, & IACOBI FACCIOLATI, in ſeminario Patauino ſtudiorum praefecti, orat. *qua oſtenditur, ſacrae ſcripturae ſtudium cum veterum linguarum ſtudiis coniungendum eſſe;* quae *ſexta* eſt inter *orat.* eius *de optimis ſtudiis,* & inſerta etiam eſt *biblioth. Brem. claſſ.* V. *faſc.* III. *p. 391.*

§. II.

Poſſunt vero ſcripturae ſacrae verſiones in duo genera diſtribui, quarum aliae linguis

linguis *orientalibus*; aliae *occidentalibus* expressae sunt: siue id *antiquis* temporibus, siue *recentiori* aetate factum sit.

§. III.

Inter versiones *antiquas*, linguis *orientalibus* expressas, eminent paraphrases CHALDAICAE,* versio pentateuchi SAMARITANA, ** versio SYRIACA, *** ARABICA, AETHIOPICA, ARMENA.

* Quod ad *paraphrases chaldaicas* attinet, quae *targumim* adpellari solent, pauca, pro instituti ratione, de illis dicemus, auctores deinceps laudaturi, qui plura cupienti satisfacere possunt. Nomen תרגום vox est chaldaeis propria, & reste ELIA LEVITA, respondet ebraeae voci פירוש adeoque per se *vnamquamque versionem*, seu interpretationem denotat, quacumque demum lingua instituatur, siue pressius, siue liberius mentem auctoris exprimat, vt pluribus ostendit IO. BVXTORFIVS, in *lexico talmudico*, *p. 2642.* Procedente tamen tempore factum est, vt istud nomen interpretationes chaldaicae sibi velut proprium vindicarent; quae quoniam non stricte verbis insistunt, sed in circumscribenda auctorum sacrorum sententia quadam libertate vtuntur, a christianis *paraphrasium* titulo ornari solent. Quo *tempore*, quaue *occasione* iudaei animum ad illas interpretationes adornandas adiecerint, dubio non caret. Sunt inter iudaeos pariter ac christianos, qui iam *tempore exilii babylonici* eiusmodi translationes extitisse statuunt; saltem ob imperitiam linguae ebraicae, sensim inclinantis, chaldaicae interpretationi, *ore traditae*, locum fuisse putant; qua in sententia BRIANVS WALTONVS, IO. HENR. HOTTINGERVS, IO. PEARSONIVS, PETRVS ALLIX,

IV-

IVLIVS BARTOLOCCIVS, RICH. SIMON, GVIL. SCHICKARDVS aliique fuerunt. Quum autem veri non sit simile, Iudaeos, & rituum & linguae vernaculae tenacissimos, intra septuaginta annorum spatium eius oblitione ita fuisse captos, vt interpretatione egerent: rectius alii primam paraphrasium chaldaicarum originem in tempora, exilium babylonicum insequuta, reiecerunt, quum Iudaei, maxime qui in prouinciis regni babylonici remanserant, rebus suis rectius consulturi, linguae dominorum suorum magis magisque sese traderent, adeoque in oblitionem difficiliorum puri ebraismi vocum ac phrasium sensim inciderent. Hinc a viris vtriusque linguae peritis siue in priuatum, siue aliorum etiam vsum expositiones chaldaicae nunc commatum integrorum, nunc vocum singularium, glossematum instar, ad marginem ebraei codicis adscriptae videntur, quas cum tempore variorum curis auctas & amplificatas, deinde ONKELOS, IONATHAN, aliique viri docti, supplere, magisque perficere studuerunt. Vnde simul intelligitur, eam temporis aeram, qua versio absoluta a thiberi coeperit, exacte definiri non posse. Nonnulli cum RICH. SIMONIO, & STEPH. MORINO statim post captiuitatem babylonicam eam obtinuisse censent; VALERN. LOESCHERVS, *de caussis linguae ebr. p. 720.* in tertium post eandem seculum id reiicit; alii cum AVG. PFEIFFERO, & plerisque reliquis, tempus illud designant, *quod Christi natales vel antecesserit, vel proxime fuerit sequutum*; quod ex aetate praecipuorum auctorum, Onkelosi & Ionathanis, † veri simillimum esse videtur.

Et

† De his & reliquis paraphrasium chaldaicarum conditoribus plura notatu digna obseruat ven. CARPZOVIVS, *crit. sacr. p. 441. seqq.* qui & de singularum *characteribus* erudite agit *pag. 854. 474.*

Et ONKELOS quidem proselytus fuit, mature, vt videtur, ad disciplinam iudaicam traductus, & ritibus ebraeorum innutritus; tum ab *Onkelosо*, *filio Kalonymos*, qui Titi imperatoris sororius fuisse dicitur, tum ab *Aquila* probe discernendus. Floruit vero, non multis post Titum imperatorem seculis, vt voluit IO. MORINVS, *lib. II. exerc. bibl. exerc. VIII. c. VI. p.* 343 (ed. Paris. MDCLXIX) sed proximis post Christum natum temporibus, quippe, vt iudaei tradunt, consiliis *R. Eliezeris* & *R. Iosuae* in adornanda paraphrasi sua vsus, qui ambo fuerunt discipuli *R. Iochananis*, qui *Hillelem* & *Schammaeum* habuit praeceptores. Vnde conficitur, Onkelosum sanctissimo Seruatori nostro fere aequalem fuisse. Concinnauit autem paraphrasin in *pentateuchum*, quae in magno apud iudaeos pretio, idque non immerito, habetur. Litterae enim pressius inhaerens, sensum magis e contextu profert, quam infert, a fabulis & recursionibus satis alienus (quamuis non raro, verbulo saltem, ad fabulas adludat Gen. XXII, 2. 14. c. XXV, 27. c XLIX, 27. cet) insuper linguae chaldaicae nitorem ita sectatur, vt reliquas paraphrases omnes longe antecellat. In latinam linguam, additis succinctis adnotationibus, PAVLVS FAGIVS eam transfudit.

Praeter Onkelosum IONATHAN, filius VZIEL, manum operi admouit, qui inter praecipuos *Hillelis* senioris discipulos in *Baua Bathra c. VIII.* numeratur, adeoque viginti circiter, aut triginta annos ante Christi natales floruit. Quod enim alibi a iudaeis targum suum scripsisse dicitur *ex ore Haggaei*, *Zachariae & Malachiae*, id ita intelligendum videtur, quod interpretationem suam adornauerit, prout conueniens erat traditioni, quam, a prophetis illis ad Hillelem continua serie propagatam, a praeceptore suo hauserat. Tribuitur autem ipsi duplex paraphrasis, altera

in pentateuchum, altera in prophetas priores & posteriores. Paraphrasis *pentateuchi* a viris doctis, critica arte imbutis, Ionathanis nomine prorsus indigna iudicatur. Nouis enim & ex diuersis linguis emendicatis vocibus abundat, dictionisque elegantia ita discrepat ab altera genuina in prophetas paraphrasi, vt alium prorsus hominem audias. Fabulis etiam, operose descriptis, abundat, &, quod caput caussae est, res aetate Ionothanis multo inferiores passim commemorat, vt *sex ordines mischnae* ad Exod. XXVI, 6. *Constantinopolin* vrbem, ad Num. XXIV, 19. & alia, quae IO. MORINVS, in *exerc. bibl. lib. II. exerc. VIII. c. II. p.* 322. diligenter collegit. Inter fabulas ea maxime portentosa est, quae ad Num. XXI, 35. de interitu OGI habetur: *Factum est, quum vidit Og impius castra Israelis, quae sex milliaria complectebantur, vt diceret: instruam ego exercitum omnem aduersus hunc populum, ne forte faciat mihi, sicut fecit Sichoni.* (Iam aures arrige, lector!) *Iuit & auulsit montem sex milliarium, imposuitque illum super caput suum, vt super Israelitas illum proiiceret. Statim praeparauit verbum Domini reptile quoddam, quod concidit & perforauit montem, ita vt caput Og absconderetur & immergeretur in medium eius. Voluit montem e capite detrahere, sed non potuit, eo quod molares eius & dentes eius, vtrimque protensi essent. Iuit igitur Moses & accepit securim decem cubitorum, & saliit sursum decem cubitos, & percussit eum in talo eius, mortuusque cecidit trans Israelis castra. Ideo scriptum est, & percusserunt eum, filiosque eius.* Obseruat MORINVS, eamdem fabulam in tr. *Berachoth c. IX. f.* 24 2. occurrere, vbi & Mosi ipsi altitudo decem vlnarum tribuitur. Paraphrasis in *prophetas* tum *priores*, tum *posteriores* a Ionathanis manu vere profecta est, vt praeter antiquitatis testimonium, nitor puritasque dictionis, & vertendi ratio satis

tis castigata, ostendunt; quamuis non pura & ab interpolationibus libera ad nostras manus peruenisse videatur. In nonnullis locis antiqua locorum nomina mutata, & recentiora ab audaculo iudaeo substituta sunt; interdum voces barbarae resque futiles admixtae, quae manum interpolatoris satis produnt, vt Iud. V, 8. 2 Sam XXIII, 4. Esa. XXXII, 10. cet. Ceterum iudice HVETIO, *de claris interpretibus*, §. VI. *p.* 163 (ed. Lipsi.) *in prioribus prophetis*, siue libris historicis, *castiorem se praebuit & simpliciorem*; *in posterioribus vero diffusum & lucis inferendae gratia in allegoriis inferiendis liberiorem.*

Exstat etiam תרגום ירושלמי *targum* HIEROSOLYMITANVM, cuius auctor & tempus compositionis prorsus ignoratur. Viri tamen doctiores aetatem eius Talmude Hierosolymitano inferiorem esse iudicant, quod dictio eius illa, quam Targum praefert, corruptior multo sit & deterior, ac permulta recentioris aetatis vestigia contineat, vt quando Gen. X, 2. 3. תירס per *Turcos*; & filios Gomeri, Ascanas, Riphoth & Togarma, per *Asiam*, *Francos* & *Barbariam* explicat: quae tamen nomina non, nisi post annum Christi sexcentesimum, vulgata esse 10. MORINVS monet, *loc. cit. c.* VII. *p.* 345. Videtur vero illa paraphrasis instar collectaneorum ex Ionathanis aliorumque vel paraphrasibus, vel obseruationibus exegeticis sensim succreuisse, a variis auctoribus successu temporis locupletata. In *legem* tantum illa exstat, nec tamen integra & continua, quandoquidem nunc commata plura, nunc capita etiam integra transilit, & *fabulas* saepe absurdissimas immiscet, vel saltem ad illas passim adludit, vt Genes. XXXIII, 4. c. XXVIII, 10. c. XLIV, 18. vbi integra fictorum miraculorum series. Num. XI, 26. c. XXI, 35. Versionem eius latinam FRANC. TAILERVS, & adcuratiorem ANTONIVS CEVALERIVS dedit,

quae in bibliis polyglottis Londinensibus textui adiuncta conspicitur.

Superest *targum in* HAGIOGRAPHA, quod perperam IONATHANI, rectius ab aliis R. IOSEPHO caeco tribuitur, qui seculo quarto post Christum natum vixit; quamuis alii, quum *Hungarorum* in Psal. *LXXXIII*, 7. mentionem fieri viderent, opus recentioris aetatis esse iudicauerint, siquidem Hungarorum nomen seculo demum nono & decimo inclarescere coeperit. Nimirum ad hagiographorum interpretationem vltimo omnium loco Iudaei animum adpulisse videntur, quod eorum lectio nec publice, nec priuatim valde frequentaretur. Quum vero IOSEPH ille *caecus* vel *luscus* soleret prae ceteris, hagiographorum verba & mentem chaldaice in dissertationibus suis exprimere; discipuli eius istas interpretationes calamo excepisse videntur, quae deinde aliorum studio, succedente tempore, locupletatae, in eum habitum excreuerunt, in quo nunc conspiciuntur. Illa enim tum in dictione, tum in ratione commentandi varietas, plures & diuersos auctores satis prodit, quorum alius alio purior & a fabulis alienior fuit, quarum ceteroquin larga hic seges inuenitur. Vide ex. gr. Psal L, 10. 11. Psal. CIV, 26. Iob. I, 15. Cant. II, 7. c. VIII, 5. Adde IO. MORINI *exercit. bibl. lib. II. exerc. VIII. c. IV. V. p.* 335. *seqq.* Paraphrasin in libros *chronicorum*, diu desideratam, clar. MATTH. FRID. BECKIVS primum ex manuscripto Erfurtensi, anno MDCLXXX; deinde DAVID WILKINS, ex alio codice cum versione & notis, in lucem protraxit. Istas vero paraphrases, quarum punctatio hactenus admodum hiulca & corrupta fuerat, IO. BVXTORFIVS in *bibliis Basileensibus* nouis punctis instruxit, ad analogiam linguae chaldaicae, prout in Ezra & Daniele exstat; quamuis illud institutum non omnibus ex aequo placuerit. Ceterum de paraphra-

raphrasibus chaldaicis prae ceteris videatur reu. IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS, *biblioth ebr part. II. lib. VI. p 1135. seqq* Addatur CHRISTOPH. HELVICVS, in tract. historico-theol. *de chaldaicis bibliorum paraphrastibus.* IO HENR. HOTTINGERVS, in *thesauro philol. lib. I. cap III sect I.* CHRISTIANVS KORTHOLTVS, *de variis scripturae sacrae editionibus, cap. III* IO. MORINVS, in *exercit. bibl. lib II. exerc VIII* IO. LEVSDENIVS, in *philologo ebraeo mixto c. V. VI. VII.* IO. OWENVS, de *origine τῶν Targumim*, in *theologumenis, lib V. digress. III.* GVIL. SCHICKARDVS, in *bechinath happeruschim, diss I. II.* THOMAS SMITH, in *diatribe de chaldaicis paraphrastis, eorumque versionibus.* AVG. PFEIFFERVS, in *critica sacra c VIII.* & singulari diss *de Targumim* IAC. LE LONG, in *bibliotheca sacra, cap II. p 157 732.* cet †

** VERSIO pentateuchi SAMARITANA non confundenda est cum *pentateuchi textu ebraico, litteris Samaritanis expresso*; qui largam disputandi materiam viris doctis suppeditauit. Diu enim illi inter se pugnauerunt, an Samaritanorum litterae a Mose & prophetis in consignandis sacris libris adhibitae fuerint, quibus deinde Ezra eas, quas hodie habemus, substituerit? Auctores, qui hoc argumentum tractarunt, *supra p. 27* laudauimus; quibus addatur ven. VAL. ERN. LOESCHERVS, de *caussis linguae ebr. lib. II. c. I. p. 199.* IO. IAC. SCHVDT, in *deliciis ebraeo-philol. p. 72.* PETRVS HOLMIVS, in diss *de primaeuo & authentico charactere litterarum V. T.* in *analectis Cl.* CRENII recusa *p. 353.* & doct. IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. II. lib. II. sect. VI p. 419.* †† Repertus vero fuit IO. MORINVS,

† Adde ven. BVDDEI *isagogen p. 1509.*

†† item ven. IO. MICH. LANGE, in diss. *de charactere primaeuo bibliorum ebr.* Altorfi, MDCLXXXV.

RINVS, qui hunc pentateuchum, samaritanis litteris exaratum, statuit esse genuinum & authenticum Mosis exemplar, pentateucho iudaico infinitis modis praeferendum; quam sententiam, in *opusculis samaritanis*, in *exercitationibus ecclesiasticis ad pentateuchum Samaritanum*, aliisque scriptis expositam, LVD. etiam CAPPELLVS, in *critica sacra*, *lib. III. c. XX.* adoptauit; alii vero, vt SIMEON DE MVIS, IO. HENR. HOTTINGERVS, in *exercit. anti-Morinianis*, ARN. BOOTIVS in *apodixi apologetica pro ebraica veritate* & aliis scriptis, IO. BVXTORFIVS *in anticritica, part. II. c. VII.* STEPH. MORINVS, professor linguarum orient. Amstelodamensis, *exercit. II. de lingua primaeua*, IO. MEYER, *de codice & calculo ebraeo, praeferendo Samaritano & graeco*, aliique strenue refutauerunt. Et sane nimis manifestum est, pentateuchum Samaritanum ex ebraeo prototypo, non hunc ex illo, descriptum fuisse; quia exscriptor Samaritanus saepissime discedit ab ebraeo iis in locis, vbi litterarum ebraearum inter se adfinitas errori occasionem dare potuit, vt כרב Exod. X, 13. quod sensu prorsus nullo in כחב mutauit. Insuper multi dantur errores, ab ipsis Samaritanis, commodi sui caussa, in illum pentateuchum illati, (inter quos eminet, quod Deut. XXVII, 4. pro monte *Ebal* mons *Garizim* substitutus est) nec non alii, ex quibus sensus emergit incongruus, qui pleonasmum in conditum secum ferunt, & contra λέξιν & grammaticam ebraeam impingunt, quae singula STEPH. MORINVS & IO. HENR. HOTTINGERVS idoneis exemplis comprobarunt. Quo tempore vero & a quonam istae corruptelae in pentateuchum illum inuectae sint, non liquet.

Idem vero pentateuchus ebraeus, litteris Samaritanis expressus, etiam in *linguam Samaritanam* chaldaicae adfinem (quin & arabicam & graecam) trans-

translatus est, incerto tempore & auctore, fortassis non multo post exstructum templum Garizitanum, quum obliuio, vel vsus minus vulgaris linguae ebraeae, sensim introduceretur. Excerpta huius Samaritanae versionis cum interpretatione latina & notis dedit cel. CHRISTOPHORVS CELLARIVS, in *horis Samaritanis*. Videantur ea de re pluribus BRIANVS WALTONVS, in *adparatu bibl. proleg. XI. s. XX. p. m. 375.* IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. II p. 431.* IO LEVSDENIVS, in *philologo ebraeo-mixto c. VIII. p. 59.* RICH. SIMON, *histor. crit V. T. lib. I c. XI. XII.* & IAC. LE LONG, *biblioth. sacr. part. I p. 148 208.* †

*** SYRIACA VERSIO *veteris testamenti* duplex est, vna ex ebraeis fontibus, altera ex LXX virali versione traducta: illam simplicem, hanc figuratam dicere consueuerunt. *Simplex* longe praestantior est, qua sola etiam Maronitae vtuntur, quae & in polyglottis anglicanis & parisiensibus exstat; cui tantam nonnulli antiquitatem tribuunt, vt, si non ab ipso *Salomone*, certe eius tempore, Hirami rogatu, partem illius confectam putent, quae tamen omnia incerta sunt. *Figuratam* & tempore recentiorem, & inferiorem auctoritate omnes fatentur. Videatur IO. HENR. HOTTINGERI *thesaurus philol. p. 261.* BR. WALTONVS, in *adparatu bibl. proleg. XIII. p. 383.* CHRISTIANVS KORTHOLTVS, *de variis bibliorum vers. cap. IV. p. 40.* & PETR. DANHVETIVS, *de claris interpretibus, p. 165. seqq.* †† Versio *noui testamenti* Syriaca antiquissima est, licet nec de eius auctore, nec de tempore, quo confecta est, aliquid certi definiri possit. Licet enim, teste GVIDONE FABRICIO RODERIANO, in *praef. ad N. T. Syriacum*, & GVIL. POSTELLO, Syri constanter

† Adde ven. CARPZOVII. *crit. sacr. p. 196.*
†† Adde CARPZOVIVM *loc. cit. p. 622.*

stanter adserant, a *Marco* euangelista illam esse profectam: nemo tamen ignorat, quantum Syrorum & gentium orientalium traditionibus tribuendum sit. Interim vide, quae pro eius antiquitate disputantur in *biblioth. Brem. class. VII fasc. III p. 480.* Primum illa typis excusa est curante IO ALB WIDMANSTADIO, iureconsulto, FERDINANDI I. imperatoris iussu & liberalitate, Viennae MDLV. vbi vero epistola posterior *Petri*, nec non secunda & tertia *Ioannis* & *Iudae* epistola cum *apocalypsi* desiderantur, quia in codice manuscripto, ex quo expressa est, isti libri non exstabant. Widmanstadium sequutus est IMMAN. TREMELLIVS, qui versionem hanc syriacam charactere ebraeo vna cum versione latina, cui & graecum textum cum versione *Theod. Bezae* iunxerat, typis *Henr. Stephani*, Geneuae MDLXIX in forma maiore edidit. Deinde MARTINVS TROSTIVS, MDCXXI charactere syriaco eamdem exprimendam curauit, subiecta singulis paginis versione Tremelliana. Editio AEG GVIBIERII omnium vsibus perquam adcommodata est, in qua & epistolae illae catholicae, quae in Widmanstadiana desiderabantur (ab ED. POKOKIO primum editae) & apocalypsis (a LVD. DE DIEV ex manuscripto Scaligeriano protracta) comparent, qui etiam locum illum *1 Ioan. V, 7.* quem primum TREMELLIVS ex graeco in syriacum idioma versum, margini suae editionis adscripserat, in textum ipsum recepit; frustra indignante RICH. SIMONIO, quum versum illum genuinum esse, aliunde constet. Quibus denique nitidissima accessit CAROLI SCHAAFII editio, Lugduni Batauorum, MDCCVIII. versione latina Tremellii, & lectionibus variantibus, nec non lexico concordantiali instructa. Plura de hac versione vaque eius & manuscriptis & editionibus, praeter auctores antea citatos, dabunt RICH. SIMON, in

historia

historia critica N. T. cap. XIII. IO. ALB. FABRICIVS, in *biblioth. graec. lib. IV. c. V. p.* 201. *seqq.* IO. LEVSDENIVS, in *philologo ebraeo-mixto c. IX. p.* 67. IAC. LE LONG, *biblioth. sacr. part. I. p.* 195. *seqq.* inprimis GE. ERDM. VOIGTIVS & ANDR. MVLLERVS, Greiffenhagius, in dissertationibus *de versione Syriaca, N. T.* Ienae MDCLXX. & Berolini MDCLXXIII. vulgatis.

De versionibus ARABICIS, quarum nonnullae a Iudaeis, aliae a Christianis factae sunt, conf. BRIANVS WALTONVS, in *adpar. bibl. proleg XIV. pag.* 401. CHRIST. KORTHOLTVS, *de variis script. edit. c. XVII. p.* 294. RICH. SIMON, *hist. crit. V. T. lib. II. c. XVI.* IAC. LE LONG, *bibl. sacr. part. I. p.* 216. *seqq.* IO. CHR. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. II. p.* 437. † De AETHIOPICA versione, quam a primis nascentis ecclesiae aethiopicae incunabulis nonnulli arcessendam putant, videatur WALTONVS *proleg. XV. p.* 411. KORTHOLTVS *c. XVIII.* LE LONG *loc. cit. p.* 250. *seqq.* CARPZOVIVS, in *crit. sacr. p.* 261. De versione ARMENA, quae circa tempora *Arcadii* facta dicitur, legatur LE LONG *p.* 276. qui & de COPTICA *pag.* 284. videri potest: addatur KORTHOLTVS *c. XX. XXI.* & AVG. PFEIFFERVS, *crit. sacr. c.* X. Parum hisce versionibus exegetam adiuuari, quilibet fatebitur, qui cogitauerit, eas plerumque non ex fonte ebraeo, sed ex graeca aliisue versionibus esse deriuatas.

§. IV.

Ad versiones *recentiores*, linguis *orientalibus* factas, referenda erit PERSICA, TVRCICA, MALAICA, SINICA, FORMOSANA,

† Adde ven. CARPZOVII *crit. sacr. p.* 640. Nouum Test. arabicum cum psalterio in gratiam pauperum christianorum orientalium nuper in Anglia excusum est. Vide *Bericht von einer milden Edition des N. T. und Psalters in Arabischer Sprache, Lipsiae* 1729.

MALABARICA, & si quae aliae sunt, eois gentibus vsitatae.*

* PERSAS olim habuisse totam scripturam, in linguam suam versam, ex veterum scriptis abunde liquere putat BR. WALTONVS, *proleg.* XVI. *p.* 42[illegible]. idemque THEODORETVS, HIERONYMVS aliique testantur. An vero reliquiae aliquae antiquae versionis Persicae adhuc exstent, multum dubitatur. Versiones enim, quae hodie habentur, *pentateuchi* scilicet, *psalmorum & euangeliorum*, multo sunt recentiores. *Pentateuchum* in idioma hoc ex ebraeo traduxit IAC. TAWOSVS, vel, vt alii vocant, TAVVSIVS, Iudaeus, cuius versionem anno MDXLVI. Constantinopoli, sed charactere *ebraeo*, ipsius gentiles typis exscripserunt; *Persicis* deinde litteris in bibliorum anglicanorum polyglottorum tomo quarto expressam, cum versione latina THOMAE HYDE. *Psalterii* exstant duae versiones persicae, quarum vna auctorem agnoscit fratrem quemdam Carmelitam, in ciuitate Spahanensi; altera a Iesuitis nonnullis est profecta. Vtraque ex vulgata latina traducta est, cuius vestigia vbique premit. *Euangeliorum* itidem gemina reperitur versio, altera ex ipsis graecis fontibus ab ABR. WHELOCKO, anno LVII. superioris seculi deriuata; posterior, quae antiquior & melior iudicatur, ex textu Syriaco expressa, quae *tomo V. operis anglicani* cum versione latina SAM. CLERICI inserta est. Vid. BR. WALTONVS *loc. cit.* CHR. KORTHOLT, *de variis script. edit. c.* XIX. *p.* 301. IO. CHR. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part.* II. *p.* 448. IAC. LE LONG, *bibl. sacr. part.* I. *p.* 266. IO. HENR. HOTTINGERVS, in *diss. theologico-philol.* III. *p.* 112. Versio TVRCICA scripturae IO. VNGNADII *Sonnekii* cura & sumtibus prodiit, de qua vid. IAC. AVG. THVANVS *histor. lib.* XXXVI. *ad annum* MDLXV. *Nouum Testamentum*

tum Turcice redditum, opera GVIL. SEAMAN, Oxonii prodiit MDCLXVI, teste IAC. LE LONG, *p.* 275. Lingua MALAICA exstat *Geneſis*, *euangelia Matthaei*, *Marci*, *Lucae* & *Ioanni*, nec non *acta apoſtolorum*. Tandem integrum *N. T.* in linguam Malaicam conuerſum prodiit Amſtelodami, MDCLXVIII. interprete DAN. BROWVERIO. Lingua SINICA habetur *pſalterium* & *euangelia dominicalia*, nec non *oratio dominica*. In linguam FORMOSANAM euangelia *Matthaei* & *Ioannis* translata ſunt, opera DAN. GRAVII, cum eiusdem praefatione & verſione belgica, Amſtel. MDCLXI. vid. IAC LE LONG, *loc. cit.* *p.* 297. Quanta vero cura ac fide BARTHOL. ZIEGENBALGIVS, & IO. ERN. GRÜNDLERVS, viri ad omnem poſteritatem commemorandi, nouum teſtamentum in linguam MALABARICAM, ſiue DAMVLICAM transtulerint, vetus etiam teſtamentum, ni morte impediti fuiſſent, integrum daturi, † ex relationibus Malabaricis ignotum eſſe non poteſt. Adde quae de verſionibus *Americanis* tradit IAC. LE LONG, *part.* II. *p.* 375.

§. V.

Inter verſiones *antiquas*, *occidentalibus* & europaeis linguis expreſſas, eminent verſiones GRAECAE * & LATINAE, quibus eccleſia chriſtiana primis ſeculis vſa eſt.

* Inter verſiones GRAECAS maximam auctoritatem conſecuta eſt, quae vulgo *ſeptuaginta virales* dicitur, quae euangelii claritati, olim per orbem terrarum diſpergendae, ex prouidentiae diuinae conſilio, praeluſit, quamque ipſe ſpiritus ſanctus ita dignatus eſt, vt amanuenſes ſuos in libris N. T.

† Telam a beato ZIEGENBALGO inchoatam feliciter pertexuit atque ad finem perduxit vir diligentiſſimus BENIAM. SCHVLZE, qui & in *Warugicam* linguam ſacras literas conuertit.

consignandis illam plerumque sequi voluerit. Occasio huius versionis haec narratur. PTOLOMAEVS PHILADELPHVS, rex Aegypti, bonarum litterarum studiosissimus, bibliothecam Alexandriae, ab antecessore collectam, regiis sumtibus augere & ornare studebat. Hic quum de sacris iudaeorum libris audiret, ad pontificem iudaeorum Eleazarum scripsisse dicitur, vt viros peritos mitteret, qui libros diuinos ex ebraea in graecam linguam traducerent. Pontifex, desiderio regis obsequuturus, ad hoc opus consummandum de populo suo quosdam delegabat, de quorum tamen numero non vna omnium est sententia. ARISTEAS, quem sequutus est FLAV. IOSEPHVS, LXXII. seniores fuisse dicit; quod & Talmudici in codice *Megillah*, *fol.* 9. *a.* adfirmant; IOSEPHVS GORIONIDES LXX. nominat; in *massechet sopherim* V. tantum exprimuntur. Eos igitur ita rem peregisse narrant, vt in singulis legis vocibus graece reddendis omnes amicissime conspirauerint. Nimirum plerique in describenda huius versionis historia ARISTEAM ducem sectati sunt, cuius *liber ad Philocratem fratrem* etiamnum exstat (Oxonii cura ED. BERNHARDI MDCXCII. rursus editus) quo tota res fuse exponitur, ac LXXII. interpretum nomina, regis in illos munificentia, quaestiones a rege ipsis in conuiuio expositae, eorumque responsiones, & quae reliqua sunt, prolixe referuntur. Sed conueniunt hodie fere viri doctissimi, Aristeae historiam esse commentum iudaei alicuius Alexandrini, ante Christi nati tempora concinnatum, ad auctoritatem versioni graecae conciliandam. Conf. de Aristea IO. ALB. FABRICII *bibl. graec. lib. III. p.* 317. *seqq.* Factum tamen est posthac, vt eius commenta nouis figmentis augerentur, de interpretum illorum *diuino adflatu*, deque LXXII. *cellulis*, quibus quisque inclusus ac prohibitus fuerit, quo minus cum altero sententiam conferre

ferre posset; quarum primus mentionem fecit IVSTINVS *martyr*, in *cohortatione ad graecos*, qui & vestigia illarum in insula *Pharo* sibi monstrata fuisse affirmat, nimis ea in re credulus. Hodie, postquam HVMFREDVS HODY, vir diligentissimus, in *dissertatione contra historiam Aristeae*; fusius vero in *libris IV. de bibliorum textibus originalibus, versionibus graecis & latina vulgata*, Oxonii MDCCV. fol. editis, nec non ANTONIVS VAN DALE, in *dissertatione super Aristaea*, istas fabulas, curioso examini subiectas, explosserunt: a plerisque viris doctis recepta est sententia, *eam, quae a LXX interpretibus adpellatur, versionem a iudaeis Alexandrinis, iisque diuersis, diuerso quoque, vt ex dissimili aiendi interpretandique genere adparet, tempore, non tam publica regis auctoritate, quam priuato consilio in vsum synagogae iudaicae, quae graece quam ebraice doctior esse coeperat, esse elaboratam.*

Ceterum ad extrema inclinant doctorum de hac translatione iudicia. *Excessu* peccant, qui *diuinam* illi *auctoritatem* tribuunt, eiusque conditores diuinitus adflatos, & extra errandi periculum constitutos putant, quod multi patrum sibi persuaserunt. Rectius tamen HIERONYMVS *apol. adu. Rufinum, tom. IV. part II. p. 423.* *Aliud*, inquit, *est vatem, aliud est, esse interpretem. Ibi spiritus ventura praedicit; hic eruditio & verborum copia, ea, quae intelligit, transfert.* Idem alibi libere errores & lapsus istis interpretibus obiicit. Inter recentiores ISAAC VOSSIVS tantum huic versioni tribuit, vt eam, ebraeo codici longe antepositam, ab omni errore immunem nimis confidenter pronuntiet. In *responsione* enim *ad iteratas Rich. Simonii obiectiones*, *Si vel vnum*, inquit, *qui non recte a LXX. expressus sit, reperturum se Simonius sperat locum, frustra semper est laboraturus, etiamsi mille vixerit annos.* Qua in re LVD. CAPPELLVM habet ex

ex parte consentientem, qui id omni studio egit, vt ex graeca versione ebraeum textum emendaret. Similiter IO. MORINI erga hanc versionem reuerentia modum excedit, quam prodit in *exercit bibl. lib. I. exerc. VIII c I seqq.* qua in re etiam PAVLVS PEZRONIVS peccauit, vid. *supra p. 508.* Contra *defectu* peccant, qui versionem istam nimis deprimunt & contemnunt. Iudaei, qui, teste IOSEPHO, hanc versionem in coelum extulerant, & dira quaeque imprecati fuerant ei, qui aliquid in illa vel addendo, vel detrahendo immutaturus esset; quum premi se auctoritate huius versionis a Christianis animaduerterent, illam omnibus modis reiecerunt, maxime iudaei ebraistae, nullo graecarum litterarum gustu imbuti. Hinc illud lamentum in tr. *Sopherim: Opus quinque seniorum, qui scripserunt Ptolomaeo regi legem graece, fuit dies ille grauis Israeli, sicut dies, quo factus est vitulus;* vid. IO. HENR. HOTTINGERI *thes. philol. pag. 336.* Quin vt memoriam eius suis redderent funestiorem, in octauum diem mensis Tebeth (decembris) *ieiunium* propterea indictum commemorant, in *Taanith, p. 50* ac *tenebras* rribus diebus super mundum venisse fingunt, quod tamen ieiunium HVMFR. HODY *loc. cit lib. III. part. I. c. I. p. 221.* inter fabulas recentiorum refert, qui suam de hoc instituto sententiam maioribus adscripserint, vt eam posteritati felicius commendarent. Adde IO. MORINI de eo iudicium *exercit. bibl. lib. I. exerc. VIII. c. III. p. 187. seqq.* & reu. IO. CHR. WOLFII *bibl. ebr. part. II. p. 443.* Inter Christianos magni viri, IACOBI VSSERII, sententia in hoc alterum extremum incurrit, qui in *syntagmate de LXX. interpretibus*, versionem hodie exstantem, ab illa, quam primae ecclesiae doctores laudarunt, penitus diuersam esse existimauit; veteri illa cum Ptolomaei bibliotheca, quum Alexandriam expugnaret Iulius Caesar, concremata

cremata. vid. IO. ALB. FABRICII *bibl. graec. lib. III. p. 322. seqq.* Illud quidem negari non potest, eam multis in locis apertis erroribus esse deformatam, & ab ebraeis fontibus valde dissidere. Vnde IOAN. LIGHTFOOTVS, inter cuius opera posthuma comparent Ἀσύνανα *in rebus ad LXX. versionem spectantibus*, multa recenset *inaniter addita, periculose decurtata, sensum clarum obfuscantia, vitiantia pulchrum, reddita in sensum alienum, traditiones iudaicas redolentia, versus male coniunctos, vocales ac litteras male lectas cet.* Addatur IO. HENRICI HOTTINGERI *thesaurus philol. p. 352. seqq.* Qui errores, quamuis non omnes ipsis interpretibus adscribendi, sed temerariae imperitorum hominum audaciae, atque inertiae librariorum; non raro tamen ab ipsis interpretibus profecti videntur. Cuius rei causas non quidem inde repetendas putamus, quod scripturam ex codice samaritano, vel ex chaldaica quadam paraphrasi transtulerint, quorum illud IO. HENR. HOTTINGERO, in *thes. philol. p. 292.* hoc PHILONI placuit; sed quia α) vsi sunt *codice vel non punctato*, vel *non satis correcto*, vnde tum ratione consonarum, tum vocalium facilis fuit in errorem lapsus. ita Gen. III, 17. pro בעבורך *propter te*, habent ἐν τοῖς ἔργοις σου, ר in ך commutato: ita ex העגלה *haagalah*, plaustrum Esa. V, 18. fecerunt δάμαλιν quasi *haëglah*, vitula, legissent. β) in locis difficilioribus, relictis punctis authenticis, aut mutatis ex parte vocibus, *alios sensus ex coniectura* expressserunt, qui ad rem non prorsus inidonei videbantur, id quod in *medraschim* iudaeorum & iucundum & glorioſum ducebatur, vide Gen. IV, 7. γ) non raro, sensu litterali seposito, *eum* secuti fuerunt, *qui tum inter iudaeos receptus erat*, & locis ea nomina imposuerunt, quae suo tempore erant vsitata, vt 1 Reg. IX, 11. δ) saepe non tam ad verba singula, quam *ad ipsum sensum attenderunt*;

derunt; ε) nonnumquam *oculos in textum non satis intentos* habuerunt, vnde interdum in facilioribus quoque vocibus errauere. Denique ζ) ex ORIGENIS etiam *tetraplis*, *hexaplis*, & *octaplis* non exigua confusio in istam versionem illata videtur, quum describentes, eius asteriscis, obelis, lemniscis turbati, aut confunderent, aut ex ora in textum reciperent, quae distincte ab illo posita erant, vide ven. IOAN. HENR. MICHAELIS *dissertat. de vsu LXX. cap. I. § VI.* Interpretes vero ipsos destinata opera loca quaedam falsasse, *ne fidei suae sacramenta ethnicis perspicua proderent*, vt a nonnullis accusantur, probari non potest; vt pluribus ostendit IO. HENRIC. HOTTINGERVS, in *thesauro philol. p. 325.* Ceterum quatuor huius versionis exstant *editiones* praecipuae, non mediocriter inter se discrepantes, ad quarum normam multae aliae impressae sunt, scilicet *Complutenses*, quae sumtibus Cardinalis FRANCISCI XIMENII MDXVII. prodiit, bibliis polyglottis Complutensibus inserta. Altera *Aldina*, seu *Veneta*, quae Venetiis MDXVIII. in aedibus ALDI MANVTII & ANDREAE ASVLANI, soceri, excusa est. Tertia *Romana*, quae mandato PII V. & GREGORII XIII. atque auctoritate SIXTI V. pontificis secundum exemplar Vaticanum MDLXXXVII. prodiit, multis viris doctis cum Cardinali ANTONIO CARAFFA adlaborantibus, quam in coelum vsque laudibus extollit IO. MORINVS, *exercit. bibl. lib. I. exerc. IX. tota.* Quarta *Alexandrina* dici posset, quia recentiori aetate e codice Alexandrino a FR. IVNIO, THOMA SMITH, IOAN. FELLO, IOAN. PEARSONIO, inprimis vero, IO. ERNESTO GRABIO restituta est. † Videatur cl. IO. ALBERTI FABRICII *bibl.*

† Nouas editiones viri clarissimi BREITINGERVS & REINECCIVS dederunt, quorum ille *Grabium* & secutus est & longe superauit.

bibl. graec lib. III. pag. 325. & IAC. LE LONG *biblioth. sacra part. I. c. III. p.* 313. Qui plura de hac versione cognoscere velit, adeat celeb. IO. ALB. FABRICIVM, in *biblioth. graec. lib.* III. *cap.* XII. AVG. PFEIFFERI *crit. sacr. c.* XI. *p.* 320. IO. HENR. HOTTINGERI *thesaur. philol. p.* 278. *seqq.* IO. WOWERIVM, in *syntagmate de versione* LXX *interpretum.* BRIAN. WALTONVM, *proleg.* IX. IOAN. LEVSDENIVM, in *philologo ebraeo mixto, dissertat.* II. III. IV. RICH. SIMON, *histor. crit. V. T. lib.* II. *c.* II-VIII. IO. PEARSONIVM, in *praefat. bibliorum graecorum Cantabrigiensium.* HVMFRED. PRIDEAVX, in *connexione historiae V. & N. T. tom.* II. *part.* I. *p.* 35. *seqq.* & IO. FRICKIVM, virum clarissimum, in eruditis *prolegomenis* ad *editionem* LXX. interpretum *Lipsiensem.* Addantur IO. FRISCHMVTHI, CHRISTOPH. CELLARII, GOD. WEISSII & MICH. GRONERTI de hac versione *dissertationes.* †

Praeter hanc aliae quoque olim extiterunt versiones graecae. Et fuerunt sane, qui, CLEMENTIS ALEXANDRINI & EVSEBII narratione inducti, crediderunt, diu ante LXX. interpretes extitisse versionem graecam sacri codicis, saltem pentateuchi, a nescio quo confectam, & a Pythagora, Platone, aliisque graecis philosophicis lectam. Vid. cl. GOD. VOCKERODT *exercit. academ. p.* 249. & GE. IAC. ENGELBACHIVS, in dissertat. *de versione graeca pentateuchi, septuaginta-virali antiquiore.* Wittebergae, MDCCVI. habita. Quam tamen traditionem negant HVMFREDVS HODY, *de textibus originalibus, lib.* IV. *c.* I. *p.* 570. & cel. IO. ALBERT. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib.* III. *c* XII. *p.* 316. Postea vero aliae versiones graecae a iudaeis ac iudaizan-

† Item; ven. BVDDEI *isagoge pag.* 1516. & CARPZOVII *crit. sacr. p.* 484.

zantibus christianis confectae sunt Prima harum est AQVILAE Pontici, qui ex ethnico christianus factus, quum christiani chronologicas eius superstitiones probare nollent, suscepta circumcisione, ad Iudaeos in scholam R. AKIBAE transiit, nouamque postea, temporibus HADRIANI, graecam versionem concinnauit, quam auide iudaei arripuerunt, quaeque publice etiam legenda illis permittitur ab imperatore IVSTINIANO, *nouella CXLVI.* Studuit ille omnia *de verbo ad verbum* exprimere, maxime in editione secundis curis a se emendata, vnde & ipsi christianorum nonnulli, ebraicae linguae expertes, ad hanc versionem, velut ad textum originarium, confugere solebant. Vel ipsum geneseos initium ita interpretatus est, vt religionem suam in efferendis verbis comprobaret: בראשית siquidem reddit ἐν κεφαλαίῳ, vt ipsam vocis originem ראש κεφαλὴ hoc modo subindicaret. Altera est THEODOTIONIS, Ephesii, Iudaeorum proselyti, qui sub imperatore COMMODO vixit, cuius versio propius accedebat ad *LXX.* viralem, & inter superstitiosi interpretis seruile studium, ac licentiam Symmachi mediam viam tenebat. Hodienum integer liber *Danielis*, & multa *Iobi* loca, quae in *LXX.* desiderabantur, ex Theodotionis interpretatione, in nostris bibliis graecis leguntur, vt ostendit IAC. VSSERIVS, in *syntagmate de LXX. c.* VIII. Addatur ven. IO. FRANC BVDDEI singularis differt. *de Theodotione*, quae exstat in *parergis*, *p* 31. Accessit SYMMACHVS, gente & religione Samaritanus, postea Iudaeus, denique christianus ebionita, qui imperante SEVERO antiqui foederis libros graece interpretatus est, sensum maxime secutus; quo nomine & ab HIERONYMO commendatur & ceteris fere praefertur, quamuis interdum & nimiam eius in vertendo libertatem accuset. Conf. quae de his versionibus graecis iudicat PETR. DAN. HVETIVS. *de claris interpr.*

pag.

pag. 60. 83. 97. 152. seqq. Istae igitur versiones ab ORIGENE, viro stupendae diligentiae, in *tetraplis* ac *hexaplis* cum versione LXX. iunctim vulgatae, & postea saepe a veteribus ecclesiae doctoribus consultae sunt. Hodie non nisi perpauca earum fragmenta supersunt, quae primum FLAMINIVS NOBILIVS ad *Sixtina biblia*; diligentius vero IO. DRVSIVS collegit: quos tamen omnes BERNH. DE MONTFAVCON industria superauit. Plura de his versionibus dabit HVMFR. HODY, *de textibus originalibus, lib. IV. c. I. p. 573. seqq.* BR. WALTONVS, *proleg. IX. §. XIX. p. 325. seqq.* IAC. LE LONG, *biblioth. sacr. part. I. p. 302. seqq.* & cel. IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. III. p. 332. seqq.* † qui etiam *p. 341.* reliquas versiones graecas anonymas, *quintam, sextam, septimam*, breuiter perstringit. De versionibus *Graeco-barbaris* ven. IO. MICH. LANGIVS singulari commentatione egit. vid. etiam IAC. LE LONG, *l. c. p. 511.*

** Versionum LATINARVM in ecclesia antiqua tantus fuit numerus, vt AVGVSTINVS *de doctrina christiana, lib. II. c. XI.* non vereatur dicere: *Qui scripturas ex ebraea lingua in graecam verterunt, numerari possunt; latini autem interpretes nullo modo.* vid. PETR. PITHOEVS, *de latinis bibliorum interpretibus, tom. VI. criticorum sacr. p. 1. seqq.* Inter illas tamen eminebat *Itala*, quae & *vetus, vulgata, communis* dicebatur. Ita AVGVSTINVS *loc. cit. c. XV. in ipsis interpretationibus* ITALA *ceteris praeferatur: nam est verborum tenacior, cum perspicuitate sententiae.* Antiquam illam versionem HIERONYMVS, quum adhuc iuuenis esset, cum graeca versione LXX. & ebraeo idiomate collatam, emendauit, adiunctis notis, obelis & asteriscis. Aetate prouectior omnes V. T. libros in secessu suo Bethlehemitico ex ebraico sermone in latinum transfudit, sin-

† Et ven. CARPZOVIVS, in *crit. sacr. p. 552.*

gula secundum ebraicam veritatem adcurate reddere conatus. Hanc ipsam igitur Hieronymi versionem esse *vulgatam* illam, quae hodie exstat, plurimi pontificiorum credunt, protestantium plurimis contradicentibus. Et sane Hieronymum non esse vulgatae auctorem, vel inde constat, quia ille in suis commentariis scripturae loca longe aliter plerumque vertit, quam vulgata; quae & cum ebraica veritate parum consentit, quam tamen Hieronymus exacte se obseruasse, ipsis iudaeis in testimonium & suffragium vocatis, adfirmat. Vt taceamus portentosos istius versionis soloecismos, qui Hieronymo, auctori latinitatis non spernendo, vix excidere potuerunt; qui & ipse *epist. CXXXV.* fatetur, se puritatem atque elegantiam sermonis, vbicunque modo fieri potuerit, studiose esse sectatum, quo nomine etiam ab AVGVSTINO, *de ciu. Dei lib. XVIII. c. XLII.* & a PET. DAN. HVETIO, *de claris interpretibus p. 65.* laudatur. Vulgata igitur, quae hodie exstat, versio ex antiqua & Hieronymiana permixta & confusa videtur, nisi quod in N. T. italica versio vetus adhuc conspiciatur, quam ille, admodum corruptam, e variis codicibus tantum emendauit, atque ad fontes graecos repurgauit.

Duplici autem rursus ratione circa hanc versionem peccari solet. *Excessu* delinquunt, qui ei nescio quam αὐθεντίαν tribuunt, ex decreto *concilii Tridentini sess. IV. decr. II. p. 21. ed. Hall.* quod tamen romanae ecclesiae socii variis modis interpretantur. GREGORIVS sane DE VALENTIA, quem ipse pontifex Clemens VIII. *doctorem doctorum* salutauit, in *epist. ad Nicol. Serarium* differte scribit: *Auctoritate & definitione concilii Tridentini vulgatam editionem latinam omnibus editionibus,* CVIVSCVNQVE SINT IDIOMATIS, *fuisse praelatam:* GVIDO MICHAEL LEIAY, in *praefatione ad opus biblicum polyglotton parisiense: Pro certo,* inquit, *atque indubitato apud nos esse debet,*

debet, vulgatam editionem, quae communi catholicae ecclesiae lingua circumfertur, verum esse ac genuinum sacrae scripturae FONTEM: *hanc consulendam vbique, inde fidei dogmata repetenda.* Non minus imprudenter IO. HARDVINVS, *operum select. p. 513. Versionem vulgatam sacram & authenticam esse, synodus Tridentina definiuit, hoc est, vt eruditi viri & catholici interpretantur, omnino in sententiis congruentem cum primigenia veritate, cui proinde eadem habenda sit fides ab omni fidelium coetu, atque ipsi exemplari, si adesset,* θεοπνεύστῳ *scriptoris manu exarato;* & *p. 526* parum abest, quin vanus romanae curiae adulator vulgatum interpretem in numerum virorum θεοπνεύστων referat: quorum etiam pertinent BARONII, SERARII, BONFRERII inanes coniecturae, versionem latinam ab aliquo apostolorum discipulo factam, atque ab ipsis ecclesiae primitiuae statoribus visam & adprobatam fuisse. Addimus IO. MORINI sententiam, qui in *exerc. bibl. lib. I. exerc. VI. c. II. §. IX. Certum est,* inquit, *duos illos diuersos sensus, quos nobis nonnumquam exhibent versiones* τῶν *LXX, &* S. HIERONYMI, *ex multis, qui erui possunt, solos esse canonicos, fidemque facere, cui contradicere, nisi impius, nemo possit: ceteros tantum vt probabiles habendos.* Alii tamen in mitiorem partem illud concilii Tridentini decretum interpretantur, ad quorum classem referendus est IACOB. FACCIOLATVS, vir clarissimus, qui in oratione, in media Italia habita, *Id vnum,* inquit, *dicam, quod, vbi opus fuerit, grauissimorum scriptorum suffragiis confirmare possum, vulgatam editionem* NON GRAECAE AVT EBRAICAE, *sed* RELIQVIS LATINIS, *quarum magna copia & varietas in dies exibat, necessario illo Tridentinorum patrum decreto praepositam fuisse. - - - Neque tamen ideo ebraicis aut graecis codicibus, vnde latini omnes ceterique manarunt, quidpiam auctoritatis detractum est; stat adhuc eorum fides firmissimis*

praesidiis fulta, licetque in rebus dubiis ad prima illa verbi diuini exempla, non modo sine crimine, verum etiam cum laude prouocare. vide orat. eius *de optimis studiis p. 114. 115.* Similia monet LVD. ELLIES DV PIN, doctor transalpinus, *in proleg. super biblia lib. I. c. VII. §. 3.* Vtinam modo publica ecclesiae romanae praxis cum mitioribus illis consiliis consentiret. *Defectu* vero peccaret, qui versionem illam prorsus reiiciendam ac proscribendam putaret, quae venerabili tot seculorum antiquitate sese commendat, licet multis vitiis grammaticis, historicis, topographicis, chronologicis, theologicis deformis, quorum catalogum exhibet MICH. WALTHERVS, in *officina biblica §. 383. seqq.* & ABR. CALOVIVS, in *critico sacro diatr. IX. p. 334. seqq.* quamuis post manum medicam, a SIXTO V. & CLEMENTE VIII. pontificibus adhibitam, vultum paullo nitidiorem acceperit: neque diffitendum sit, saepe etiam antiqui illius interpretis bona dicta acerbiori censura vexari, multaque ei *barbare, inepte, oscitanter* ac *minus latine dicta* exprobari, quae non pessimae notae sunt: quod THEOD. BEZAM saepe feciſſe multis exemplis comprobat clar. IAC. HASAEVS, in *bibl. Brem. classſ. IV. p. 328. seqq.* quo tamen in patrocinio latinitatis, a vulgato interprete adhibitae, modum excessit ALBERICVS GENTILIS, iure consultus, in diſſ. *de latinitate veteris bibliorum versionis mala accusata,* vti obseruat MICH. WALTHERVS, *loc. cit. §. 384.* Plura de hac versione dabit CHRIST. KORTHOLTVS, *de variis scripturae editionibus cap. VIII - XV.* BR. VVALTONVS, in *adpar. bibl. proleg. X. p. 351.* SIXTINVS AMAMA, *antibarb. bibl. lib. I. c. IV.* RICHARD. SIMONIVS, *histor. crit. V. T. lib. II. cap. XI.* IOAN. HENRIC. HOTTINGERVS, in *thes. philol. p. 377.* IOAN. LEVSDENIVS, in *philologo ebraeo-mixto, dissert. I.* & IAC. LE LONG, *biblioth. sacr. part. I. p. 518.*

p. 518. sqq. & ven. IO. GOTTLOB CARPZOVIVS, in *crit. sacra V. T. p. 664.*

Ceterum ad antiquas versiones, linguis europaeis expressas, merito etiam referas versionem *Dalmaticam*, ab ipso HIERONYMO confectam, qua in hunc vsque diem Dalmatae summa cum veneratione vtuntur, teste SIXTO SENENSI, *biblioth. sacr. lib. IV. p. 304.* quamque HVETIVS *de claris interpret. p. 195. praeclaram* vocat *& omni commendatione dignam:* Nec non *Gothica*, quam ante Hieronymi adhuc aetatem concinnasse dicitur VLPHILLAS, *Gothorum* seculo IV. *episcopus*, qui circa annum CCCLXV. teste SOZOMENO, *hist. eccl. lib. V. c. XXXVII.* SOCRATE, *lib. IV. c. XXVII.* & PHILOSTORGIO, *lib. II. c. V. p. 12.* ed. *Iac. Godofredi*, totam scripturam sacram in linguam patriam transtulit, exceptis libris *Samuelis*, *regum* & *chronicorum*, *quod* illi bellorum historiam contineant; Gothicae autem gentis ad bella impetus fraeno magis, quam incentiuo egeat. Ita vero plures scripture partes resecandae fuissent! Exstat adhuc *IV. euangeliorum* versio Gothica, cuius aliquot memorantur codices manuscripti, ex quibus celeberrimus est, quem vulgo *argenteum* vocare solent, qui nunc in bibliotheca academiae Vpsalienſis adseruatur. vid. CHR. KORTHOLTVS, *c. XXIX. §. VIII.* & IAC. LE LONG, *part. II. p. 167.* Adde *proleg.* ad *N. T. Wetstenianum p. 40.* & GE. FRID. HEVPELII diss. *de Vlphilla.*

§. VI.

Versiones Scripturae, *recentiori* aetate linguis *europaeis* factae, per Dei benignitatem, magno agmine occurrunt. Exstant enim versiones LATINAE, * GERMANICAE, ** GALLICAE, ITALICAE, HISPANICAE, ANGLICANAE, BELGICAE, DA-

NICAE, SLAVICAE, aliaeque, ad veritatem ebraicam magna ex parte ſtudioſiſſime conformatae. ***

* Verſionum *latinarum*, poſt renatas elegantiores litteras factarum, non contemnenda copia eſt. †

Primus poſt Hieronymum nouam verſionem latinam molitus eſt SANTES PAGNINVS, monachus Luccenſis, ordinis praedicatorum, qui hortante, ſumtusque praebente LEONE X. pontifice, multorum annorum ſpatio vetus teſtamentum ex ebraeo conuertit & edidit MDXXIII. quae interpretatio, licet ſuit naeuis non careat, textum tamen religioſe premit, vnde & a LVTHERO, MATTHAEO POLO, HVETIO aliisque laudatur; atque ab ipſis rabbinis maximis encomiis certatim ornatur, quippe quorum interpretamenta plerumque Pagninus ſequutus erat. Vana variorum de illa iudicia videri poſſunt apud. CHR. KORTHOLTVM, *de variis ſcript. edit. c. XV. p. 252. ſeqq.* Addatur RICH. SIMON, *hiſt. crit. V. T. lib. II. c. XX.* qui rigidiori illam examini ſubiecit.

BENEDICTVS ARIAS MONTANVS, Hiſpalenſis, Pagnini verſionem relegere, & vbi a littera eam deflectere vidit, arctius illi adſtringere tentauit; multorum odia iſto labore meritus: qua de re ipſe in tract. *de varia ebraicorum librorum ſcriptione*, queritur, *Nonnulli*, inquiens, *quum ſoli ſapere, & ſoli bene viuere*, IESVM*que propius inſequi & comitari ſibi videantur, atque id palam profeſſi iactitent, me, qui minimum atque adeo inutilem Ieſu diſcipulum ago, odio habuerunt gratis.* Cuius odii ſpecimen RICH. SIMONIVS *loc. cit.* etiam edit, vbi *Vere*, inquit, *& acute de ipſius correctionibus dictum:* Quot correctiones, tot corruptiones. *Non enim*

† Vide de iis CARPZOVII *crit. ſacr. p. 699.*

enim vitia castigauit, sed, quae innumera erant, prorsus auxit. Nequaquam iure fidus interpres dicitur (ita scilicet HVETIVS, *de clar. interpr. pag. 185.* eum laudauerat) *sed merito ineptissimus vocandus.* Duriorem hanc esse censuram, prudentiores omnes fatentur, licet negandum non sit, virum diligentissimum ex nimio studio, ad litteram omnia exprimendi, saepe satis obscure & barbare loqui.

SEB. MVNSTERVS, ebraeae linguae ac theol. professor Basileensis, nouam versionem edidit MDXXV saepius deinde anno XXXIV. XXXIX. XLVI. meliori facie recusam; haec SIXTO SENENSI *horrida, senticosa & aspera;* HVETIO contra & SIMONIO satis latina videtur. SIMONII haec sunt verba in *hist. crit. N. T. lib. II. c. XXI. Münsterus conatur pro viribus, ne a sensu vnquam discedat, etsi grammaticam haud spernat. Vtut stilus eius haud exacte purus sit, nihil habet tamen, quod barbarum adeo videri queat. - - Pure scribere potuisset; sed veritus est, nimium a sensu grammtico recedere, nec satis vim vocum ebraearum reddere. Vno verbo, scopum, quem sibi proposuerat, seriit & adsecutus est. Vnde omnium interpretum protestantium exactissimus ac fidissimus merito habendus.* Taxat tamen in illo nimium rabbinicarum explicationum amores: id quod etiam LVTHERVS *tom. VIII. Ienensi p. 135.* reprehendit, vbi de Sante & Munstero iudicat, *rabbinos nimium imperium in illos exercuisse.*

Versio TIGVRINA, a loco, vbi composita est, ita adpellata, varios habuit auctores. LEO IVDA (qui parentibus pontificiis natus, postea ad *Zwinglii* partes transiit) eius initium fecit, sed morbo interceptus, reliqua THEODORO BIBLIANDRO, professori apud Tigurinos theologo; perficienda reliquit; de qua MELCHIOR ADAMVS, in *vitis theol p. 94. legendus.* Illustris THVANVS *histor. lib*

XXXVI. ad *annum 1564.* quum hanc translationem tum *Parisiis* a *Rob. Stephano*, (qui tamen propterea solum vertere coactus, Geneuam se contulit) tum diu post ab Hispanis theologis recognitam, *Lugduni* fuisse excusam commemorasset, addit, id *insigne* esse *documentum*, *quid vtilitatis ex aduersariorum libris & industria, si, semotis odiis, caritatem & aequitatem induamus, ad Dei gloriam capi possit;* quamuis haec ipsi honorifica pontificiorum elogia GENEBRARDVM & alios ad eo vehementiora odia incenderint. vid. HVETIVS, *de claris interpr. p. 186. seqq.* Falso illa FRANC. VATABLO professori in academia Parisiensi pontificio, ob adnotationes illi adiectas, a nonnullis adscribitur.

Successit SEB. CASTELLIO (gallice CHATEILLON) siue, vt quondam adpellari maluit, CASTALIO, Allobrox, qui MDLI. edidit nouam translationem scripturae sacrae, in qua maiorem fere, quam res patitur, Ciceronianae latinitatis habuit rationem, varia variorum † iudicia expertus: *siniſtra a* SIXTO SENENSI, GENEBRARDO, THVANO, GVIL. BAILIO, HVETIO, SIMONIO, CALVINO, BEZA, KORTHOLTO aliisque; *benigniora a* MATTH. POLO, AVG. PFEIFFERO, SIM. EPISCOPIO, *instit. theol. lib. IV. sect. I. c. XXI.* Addatur CL. THOMAE CRENII iudicium, *animaduers. philolog. & histor. part. VII. p. 105.* & quae honorifice de illa iudicat clar. GOD. VOCKERODT, in *consult. IV. de litterarum studiis, p. 147.* Non errauerit forte, qui multa in hac versione laudanda, nonnulla vituperanda inueniri dixerit. Sensum sane plurimis in locis perspicue, pure, eleganter expressit, vt nonnumquam loco commentarii esse possit; quod vero

† Quorum copiosum indicem exhibet cel. IO. FABRICIVS in *historia bibliothecae suae, part. I. pag. 18. 19. 20.* Adde ven. CARPZOVII *critican sacr. p. 736. seqq.*

vero rebus sacris vocabula, ex paganismo accersita saepe adcommodet, iis, quae ecclesiae vsu recepta sunt, superstitiose fastiditis, laudari sane non potest. Insuper nimio saepe fuco prophetici & apostolici sermonis maiestatem obscurasse, nonnumquam etiam animum profanum prodidisse obseruatur. Quis enim, ex gr. in sacrosancti cantici interpretatione effeminata illa molliterque tinnula vocabula, *sororculam*, *amiculam*, *corculum*, *ocellulos*, *mammulas*, huiusque farinae plura, elegia Tibulliana, quam diuina ode digniora, aequo animo ferat? Quid illa? *Mea columbula*, *ostende mihi tuum vulticulum; fac vt audiam tuam voculam. Nam & voculam habes venustulam*, *& vulticulum habes lepidulum*, Cantic. II, 14. †

Eundem laborem suscepit IMMANVEL TREMELLIVS, patre iudaeo Ferrariae natus, post professor ebraearum litterarum Heidelbergensis, & FRANC. IVNIVS, celeberrimi nominis vterque inter reformatos theologus, ille socer, hic gener, qui coniunctis studiis ad nouam bibliorum versionem sese accinxerunt; quo consilio? ipsi in *praefatione* docent. Prodiit illa versio MDLXXV. saepius deinde in Heluetia, Germania & Belgio recusa, & quidem, defuncto Tremellio, hinc inde mutata a IVNIO, & notarum adiectione aucta. Experta illa est seueriorem censuram FRANC. GOMARI, ANDR. RIVETI, NICOLAI FVLLERI, IO. DRVSII; neque etiam EPISCOPIO, SIMONIO aliisque se satis probare potuit; vti contra MATTH. POLVS nimiis laudibus eam onerat potius, quam ornat. Negari sane non potest, quod nimia libertate vsi, ingenio suo plus, quam fas erat, auctores indulserint, mul-

† In his tamen aliisque illius versionis naeuis excusandis laborat CL. CHRISTOPH. WOLLE, in diss. nouae editioni Lipsiensi praemissa.

taque, ad animi sui sensa exprimenda, nimis audacter textui inseruerint: laudandi ceterum, quod idiotismorum rationem habuerint diligentem, & genere dicendi vsi sint satis perspicuo. conf. ven. IO. FABRICII, *historiam bibliothecae suae part. III. p. 323. seqq.*

Denique etiam in hoc campo cum laude versatus est theologus magni iudicii SEB. SCHMIDIVS, cuius uersio latina MDCXCVI. cum praef. facultatis theolog. argentoratensis prodiit, omnium procul dubio accuratissima futura, si ultimam ei manum imponere, auctori licuisset, sique diligentiorem accentuum rationem magnus vir habuisset, neque ipsi constitutum fuisset, ad litteram omnia, vsque ad minimas particulas, exprimere. In *nouum testamentum* speciatim viri doctissimi ERASMVS ROTERODAMVS, THEODORVS BEZA & ERASMVS SCHMIDIVS nouas versiones adornarunt. Sed de his aliisque versionibus latinis pluribus videatur MICH. WALTHERI *officina bibl. §. 432. 353. seqq.* CHR. KORTHOLTVS, *de variis script. edit. c. XV. p. 252. seqq.* RICH. SIMONII *histor. crit. V. T. lib. II. c. XX. XXI.* qui & idem argumentum in *disquisitionibus criticis de variis bibliorum editionibus* tractauit. LVD. ELL. DV PIN, in *proleg. super biblia lib. I. c. VII. VIII.* IO. CHRISTOPH. DORN, in *biblioth. theol. critica, lib. IV. p. 723. seqq. lib. V. cap. I.* & IAC. LE LONG, in *biblioth. sacra part. I. 675. 746. seqq.* qui & interpretationes latinas ex chaldaea, syriaca, samaritana, arabica, aethiopica, persica versione factas *p. 732. seqq.* recenset..

** *Germanicae* bibliorum versiones, ante Lutherum editae, omnes ex latina vulgata traductae sunt, stilo plerumque horrido & obscuro. IO. MATTHESIVS *conc. XIII. de vita Lutheri* dicit: *Ich habe in meiner Iugend eine vndeutsche deutsche Bibel gesehen,*

hen, die war dunckel und finſter. Auguſtae ex. gr. anno MDXVIII prodiit verſio germanica, quam ABR. CALOVIVS, in *praeloqu. gener. ad biblia illuſtrata p. 4.* ſe poſſediſſe teſtatur, ex qua ſpecimina nonnulla ſuppeditat, vt Gen. III, 15. *Sy wird zerknüſchen dein Hæupt, und du wirſt heimlich tragen Neid ihrem Fuſtritt.* Exod. XXXIV, 29. *Und er wiſt nit, daſs ſein Antliz gehornet was, von wegen der Geſellſchafft des Wortes Gottes;* prorſus vt vulgata: *Ignorabat, quod cornuta eſſet facies ſua, ex conſortio ſermonis Domini.* Similia ſpecimina ex verſionibus antiquis dedit AVG. PFEIFFERVS *crit. ſacr. p. 342.* Meliori ſucceſſu vir ſummus MART. LVTHERVS manum arduo operi nouae verſionis germanicae condendae admouit, anno MDXXII. quo ipſo etiam *noui teſtamenti* prima editio Witebergae prodiit; qua luci expoſita, etiam *vetus teſtamentum* per partes edendum, adgreſſus eſt. *Et pentateuchus* quidem anno XXIII. publicatus eſt, libri *hiſtorici* ac *poetici* anno XXIV. *Eſaias* anno XXIX. *prophetae* cuncti anno XXXII. donec tandem, omnibus diligenter recognitis, integrum ſcripturae corpus anno XXXIV. vel XXXV. prodiret. Non eſt huius loci verſionis illius elegantiſſimae hiſtoriam tradere, quum id iam ab aliis viris doctis partim praeſtitum, partim promiſſum ſit. Videatur MICH. WALTHERVS, in *officina bibl. §. 449. ſeqq.* CHR. KORTHOLTVS *c. XXV. §. X. ſeqq.* IO. FRID. MAYERVS in *hiſtoria verſionis germanicae bibliorum Mart. Lutheri*, Hamburgi, MDCCI. cum qua tamen coniungenda ſunt reu. IOAN. MELCH. KRAFTII *emendanda & corrigenda in hiſtoria verſionis germ. Io. Fr. Mayeri*, Slesuici, MDCCV. nec non eiusdem *prodromus hiſtoriae verſionis germanicae* bibliorum MDCCXIV. editus & anno XVI. continuatus, quem vt mox ipſum opus, quod curioſiſſima diligentia a viro doctiſſimo elaboratur, excipiat, boni omnes

omnes exoptant. Add. GEORG. FRID. HEVPELIVS, de *versionibus scripturae germanicis*, Wittebergae, MDCXCIII. IAC. LE LONG, *bibl. sacr. part. II. p. 201.* RICH. SIMON, *hist. crit. libr. II. c. XXIII.* cuius iniquae censurae IO. HENR. MAIVS opposuit *vindicias versionis Lutheri*, quae subiunctae sunt *tomo II. exercit. philol. & exeg. p. 875.* † Iungatur CL. PETRI ADOLPHI BOYSEN diss. *de codice graeco N. T. & consilio, quo vsus est B. Lutherus in conficienda interpretatione germanica.* De *latina* Lutheri versione vid. reu. IO. MARTINI SCHAMELII obseruatio, in *miscell. lipsi. tom IV. obseru. 92.* Secutae sunt Lutheri versionem aliae multae; inter *pontificios* IO. ECKII, IO. DIETEMBERGERI, CASPARIS VLENBERGII, theologorumque MOGVNTINORVM; inter *reformatos* TIGVRINORVM, IO. PISCATORIS, IO. HENR. REIZII, nec *sociniani* etiam, IO. CRELLIVS, IER. FELBINGERVS, CASP. ERN. TRILLERVS ac *iudaei germani* suis hic partibus defuerunt; de quibus videatur IAC. LE LONG *bibl. sacr. part. II. c. IX. p. 190. seqq. 249. seqq.* De versione *iudaeo-germanica* reu. IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, *bibl. ebr. part. II. p. 453.* †† Addatur ven. GVST. GE. ZELTNERVS, *de nouis bibliorum versionibus germanicis non temere vulgandis.*

*** Inter reliquas versiones europaeas propius ad fontium veritatem accedit versio BELGICA recentior (vetus enim e LVTHERO expressa erat) quae ex decreto synodi Dordracenae a multis doctissimis viris MDCXXXVII. facta, & deinde cum elegantissimis adnotationibus saepius edita est. De qua videatur IO. LEVSDENII *philologus ebraeo-mixtus c. X. XI.* ANGLICANA *regia*, quae post Geneuensem & episcopalem, iussu regis celeberrimi IACOBI, pen-

† Add. ven. BVDDEI *isagogen p. 1549.*
†† Et ven. CARPZOVII *crit. sacra p. 749.*

pensis inter doctissimos academiarum anglicanarum theologos distributis, MDCXI. facta est, quam WALTONVS inter omnes Europaeas translationes eminere ait. ITALICA, a IO. DIODATI, MDCVII. adornata, reliquis italicis praestat. DANICA recentior, auspiciis CHRISTIANI IV. edita nulli facile versionum cedere ab *Aug. Pfeiffero* dicitur. GALLICANARVM magnus est numerus, quas adcurate recenset IAC. LE LONG *bibl. sacr. part. II. c. I. p. 1. seqq.* qui etiam de versionibus *Italicis* agit *p. 119. seqq.* de *Hispanicis p. 143. seqq.* de *Danicis p. 287.* de *Suecicis p. 293.* de *Anglo-Saxonicis p. 209.* de *Anglicanis p. 312.* de *Slauicis p. 342.* & sic porro de bibliis *Bohemicis*, *Polonicis*, *Ruthenicis*, *Croaticis*, *Vendicis*, *Islandicis*, *Wallicis*, *Hibernicis*, *Cantabricis*, *Lithuanicis*, *Letticis*, *Finnicis*, *Lapponicis*, *Hungaricis p. 349-373.* Addatur CHR. KORTHOLT, *de variis scripturae editionibus cap. XXII-XXXI.* CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS, in *introd. ad historiam theologiae litterariam lib. I. §. VIII.* & speciatim de versionibus *noui testamenti* IO. ALB. FABRICIVS, *biblioth. graec. lib. IV. c. V. p. 191.*

§. VII.

Neque defuerunt viri docti & diligentes, qui plures versiones antiquas inter se coniungere, & e regione positas conspectui subiicere studuerunt, cuius generis labor bibliorum *polyglottorum* * nomine venire solet.

* Originem bibliorum πολυγλώττων VVILH. ERN. TENTZELIVS, in diss. *de bibliis polyglottis §. III.* ab illo tempore deriuat, quo iudaei obrepente linguae ebraicae obliuione, singulis versibus ebraicis, in synagoga praelectis, eorumdem paraphrasin chaldaicam subiungere coeperunt. Prouocat ille ad codi-

dices manu scriptos, in quibus *textus ebraeus* & *paraphrasis chaldaica alternatim* scribuntur, ita vt singulis versibus ebraicis paraphrasis statim subiungatur; quales in bibliotheca ministerii euangelici *Erfurtensis*, atque in bibliotheca *Helmstadiensi* & *Ienensi* hodienum reperiuntur. Idem vir doctus ORIGENEM inter Christianos primum fuisse statuit, qui de adornandis bibliis polyglottis in *tetraplis*, *hexaplis* & *octaplis cogitarit*. At quum illa opera plures quidem versiones graecas, sed non plures quam duas saltem, linguas exhibuerint, ab aliis huc non referenda esse putantur. Interim de illis laboribus, temporum inuidia nobis dudum ereptis, conf. BR. WALTONVS, in *adparatu bibl. proleg. IX. §. XXI. p. 327.* CHRISTIANVS KORTHOLT, *de variis script. edit. c. XXXII. p. 374.* DION. DE RIVIS, in diatribe *de Origenis hexaplis & octaplis*, Lugduni MDCLXXVI. & IO. ALB. FABRICIVS *biblioth. graec. lib. III. c. XII. p. 342.* nec non doctiss. IO. FRICKII *prolegomena ad edit. LXX. Lipsiensem, p. 35. seqq.* & ven. CARPZOVII *crit. sacr. p. 574.*

Primus igitur, qui biblia polyglotta, eo nomine digna, edere suscepit, fuit FRANC. XIMENIVS, archiepiscopus Toletanus, & romanae ecclesiae cardinalis, qui ingentibus sumtibus (50 vel 60000. nummorum aureorum) post quindecim annorum laborem anno MDXVII (quo ipso LVTHERVS doctrinam ecclesiae repurgare coepit, ac ipse XIMENIVS obiit) multis doctissimis viris adiuuantibus, *Compluti*, edidit: *Biblia sacra multiplici lingua nunc primum impressa.* Legitur ibi in paginis, per tres columnas dispositis, praeter *textum ebraeum*, *versio LXX.* cum versione latina interlineari, tum *paraphrasis* chaldaica, (sed tantum quod pentateuchum) cum versione latina ALPHONSI DE ZAMORA, denique *vulgata latina.* Libri *prophetici* & *hagiographi* ebraice tantum

tum & graece cum versionibus duabus latinis, *non canonici* autem graece tantum cum duplici versione, altera Hieronymi, altera interlineari ibi leguntur. Tomo V. *nouum testamentum* legitur, cuius textui graeco versio vulgata latina adiungitur. Tomo VI. vocabularium ebraicum & chaldaicum, cum grammatica ebraica & dictionario graeco, continetur. Pluribus historiam illius operis enarrat ESPRIT FLECHIER in *historia cardinalis Ximenii* gallice scripta, nec non HERM. VON DER HARDT in *memoria seculari Ximenii*, Helmstadii, MDCCXVII edita.

Successerunt polyglotta ANTVVERPIENSIA, quae & REGIA adpellantur, a rege Hispaniae PHILIPPO II. qui suis illa sumtibus auspiciisque imprimenda curauit. Debentur illa industriae BENED. ARIAE MONTANI, GVIDONIS FABRICII BODERIANI, FRANC. LVCAE BRVGENSIS, ANDR. MASII, FRANC. RAPHELENGII, correctoris, aliorumque, qui inde a MDLXIX. vsque ad LXXII, ea publicae luci expositerunt, sexaginta operis eo labore occupatis, vt AR. MONTANVS, in dedicatione ad Gregorium XIII. pontificem testatur. Tomi IV. priores continent *libros V. T. canonicos*, ebraice, chaldaice, graece & latine, cum *apocryphis* graece & latine. Tomus V. *nouum testamentum* graece, syriace & latine. Tomus VI. & VII. varios tractatus, adparatum, lexica, grammaticas, & indices complectitur. Tomus denique VIII. denuo *vetus testamentum* ebraice & latine, *nouum* graece & latine, minoribus litteris expressum sistit. Haec editio Complutensi tum ob chartae typorumque nitorem, tum ob varias accessiones eximiumque adparatum, Montani studio (qui inuidiam interim & odia praemii loco a suis reportabat) elaboratum, ab omnibus praefertur; atque a RICH. SIMONIO *immensum & vere regium opus* adpellatur.

Hi-

Hiſpanorum & Belgarum exemplo *Galli* etiam prouocati ſunt, quorum induſtria factum eſt, vt MDCXLV. *decem* voluminibus prodirent biblia heptaglotta PARISIENSIA, *ebraica*, *ſamaritana*, (quoad pentateuchum) *chaldaica*, *graeca*, *ſyriaca*, *latina*, *arabica*, impenſis quidem GVIDONIS MICHAELIS LE IAY, aduocati curiae Pariſienſis (cuius res familiaris centies mille imperialibus, operi inſumtis, valde adflicta dicitur) ſtudio autem & opera GABR. SIONITAE, Maronitae, IO. MORINI. ABR. ECHELLENSIS, aliorumque. Multis modis hoc opus Antverpienſe vincit, quamuis & prolegomenis neceſſariis deſtitutum, & multis mendis haud parum deformatum ſit. Peculiarem de hoc opere diſſertationem dedit IO. HENR. HOTTINGERVS, quae exſtat in *analectis* eius *hiſtorico-theologicis p. 83. ſeqq.*

Acceſſerunt denique biblia polyglotta ANGLICANA, edi coepta MDCLIII & abſoluta anno LVII. Complectuntur illa textum *ebraicum*, cum verſione interlineari BENED. ARIAE MONTANI: *ſamaritanum*, quoad pentateuchum, cum verſione IO. MORINI: *chaldaicum* ex bibliis BVXTORFII Baſileenſibus: *graecum* LXX interpretum, ſecundum exemplar Vaticanum: *ſyriacum* cum verſione latina GABR. SIONITAE: *arabicum* cum eiusdem verſione, ex bibliis pariſienſibus deſumta: *aethiopicum*, quoad pſalterium, canticum & integrum nouum teſtamentum: *perſicum*, quoad pentateuchum & IV. euangelia: *latinum* denique vulgati interpretis, ſecundum Sixti V. & Clementis VIII. editiones. Opus totum in VI. tomos diſtributum eſt, quorum ſextus, ſeorſim etiam Tiguri recuſus, varios tractatus, adnotationes, obſeruationes, varias lectiones & indices complectitur, cui tamen plerumque EDMVNDI CASTELLI *lexicon heptaglottum* iungi & cum ipſis bibliis, tamquam tomus VII. & VIII. vendi ſolet.

let. Praefuit praestantissimo operi BRIANVS WALTONVS, vir eruditione & ingenio eximius, a doctissimis viris EDM. CASTELLO, ALEXANDRO HVISSO, SAM. CLERICO, THOMA HYDE, IO. LIGHTFOOTO, ED. POKOKIO aliisque adiutus. Nemo certe negauerit, nitore typorum & chartae polyglotta *Parisiensia;* praestantia vero & multitudine versionum variarum, quae, per suas columnas sibi inuicem iunctae, (secus ac in Parisiensibus factum) lectoris commodo mirum quantum inseruiunt, *Londinensia* illa palmam ferre; quamuis ABR. CALOVIO iudice, caute legenda & vsurpanda, in *proleg. comm. in genes. p. 43.*

Ceterum exstant etiam editiones bibliorum polyglottorum a FRANC. VATABLO, DAV. VVOLDERO, ELIA HVTTERO, CHRISTIANO REINECCIO adornatae; quas tamen euitandae prolixitatis caussa libenter praeterimus, lectoremque de bibliis polyglottis tum tentatis, tum manu scriptis, tum editis plura scire cupientem, ablegamus ad VVILH. ERN. TENZELII & OLAVI CELSII dissertationes *de bibliis polyglottis;* RICH. SIMONIVM in *histor. crit. V. T.* in adpend. ad *libr. III. p. 127. ed. lat.* vbi & ipse specimen bibliorum polyglottorum compendiosorum exhibet; CHR. KORTHOLTVM de *var. script. edit. c. XXXII.* IAC. LE LONG, tum in *biblioth. sacr. part. I. c. I.* tum in comment. gallica: *Discours historique sur les principales editions de bibles polyglottes,* Parisiis, MDCCXIII. reu. IO. CHR. VVOLFIVM, *biblioth. ebr. part. II. p. 332. seqq.* & IO. CHRISTOPH. DORN, in *biblioth. theol. critica, lib. IV. c. IV.* nec non ven. IOACH. LANGIVM, in *institut. theol. litterar. p. 129. seqq.* †

† Add. ven. CARPZOVII *critic. sacr. p. 187. seqq.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0659
DFG

§. VIII.

Vt autem rectius de versionum fide iudicare possimus consultum est, intelligere *notas*, quibus bona versio agnosci, discernique ab aliis possit. *

* Praecipua nimirum versionis virtus est *symphonia cum sensu textus primigenii*, quantum fieri potest, *adcurata, eiusque symphoniae claritas*, iudice IO. CONR. DANHAVERO, in *hermen. sacr. p. 150.* Bona igitur & egregia versio dicenda erit, quae sensum ac mentem scriptoris sacri exprimit 1. *adcurate*, ita vt nihil ei detrahat, nihil alieni, siue aduersum sit, siue diuersum, adfingat, verbisque eam tribuat significationem & emphasin, quam scriptor sacer illis destinauit; 2. *conuenienter* adfectui, quo verba prolata sunt; 3. *perspicue*, ita vt, idiotismi linguae originalis exprimantur locutionibus, ei linguae, in qua versio concipitur, propriis, ita tamen vt nec a sensu nec ab ipsis verbis nimium discedatur, qua libertate in profanis auctoribus excusatius; in sacris cautius parciusque vtendum est. Bene HIERONYMVS *ad Pammachium, de optimo genere interpretandi, tom. IV. part. II. p. 250.* *Ego*, inquit, *non solum fateor, sed libera voce profiteor, me in interpretatione graecorum, absque scripturis sanctis*, VBI ET VERBORVM ORDO MYSTERIVM EST, *nen verbum e verbo, sed sensum exprimere de sensu;* quod tamen in sacris scripturis non ita licere, addit. Magnus igitur thesaurus est bonae notae versio, multumque iudicii, temporis, eruditionis & diligentiae requirit, si quis peregrinam linguam auctoris, sub alio coelo nati, ita aptare velit, vt cuiuis videatur nostet, non factus, sed natus; vtque ore nostro eadem, quae suo, mentis sensa nobis exponat: quod fieri non potest sine penitiori notitia idiomatis tum peregrini, tum alterius, in versione adhi-

hibendi. *Magnae virtutis est*, ait HERM. VON DER HARDT, in *elementis exegeseos vniuersalis cap. II. p. 15. versione suum tribuere auctori* os, *suum* vultum, *suam* mentem, *suam, quam habuerat*, frontem, *sub alio caelo. Et apud nos quidem hoc illi dare, qui oris & aurae nostratis insuetus plane fuerat, artis est. Ita ergo edocere auctorem, vt nostro idiomate, nostra lingua, familiariter nobiscum loquatur, vt apud nos* natus & educatus, *non* edoctus *adpareat, magni momenti res est. Non enim sufficit, verbum verbo, nude & crasse reddere. Qualis* versio inuersio *saepe, & verae sententiae* euersio *fit. Eo porro penetrabit dignae versionis auctor, vt ex oculis suis numquam dimittat scriptoris* adfectum, *qui verbis varios impresserit significandi characteres. Et vt hoc rite possit interpres versionem instruens*, regionis, aeris, morum, adfectuum, motuum publicorum ac priuatorum, *vbi vixit & scripsit auctor, rationem & conditionem sciat oportet. Haec enim adfectuum mira sunt calcaria. Immo necesse est, vt bonae & dignae versionis auctor non minus in illa regione quasi spiritum hauserit, vbi natus, vel versatus scriptor peregrinus - - si velit versionem dare, quae non verba enumeret, sed os, oculos, pectus, adfectus, omnesque cordis motus sistat, & paucis paribusque verbis exprimat.* Tali labore exegetam plurimum in suo studio iuuari, libenter fatemur; an vero vmquam eiusmodi versio vel extiterit, vel extitura sit, valde dubitamus. Addatur MART. LVTHERI epistola germanica *vom dollmetschen*, quam *Wolfg. Franzius* subiunxit suo tract. de *interpretatione p. 959.* & PETR. DAN. HVETII commentatio *de optimo genere interpretandi, & claris interpretibus*, vbi de plurimis, qui scripturam in alias linguas traducere adgressi sunt, suum iudicium, non tamen vsquequaque adcuratum, expromit. Iungatur ven. IOACH. LANGII delineatio versionis, quae vicem com-

commentarii praestare possit, in *institut. theol. litter. p. 279.*

§. IX.

Vsus vero versionum, antiquarum maxime & orientalium, is est, vt illarum inter se collatione sacrorum codicum integritas clare pateſcat, * vtque in eruenda ac stabilienda significatione vocum, quae semel, aut rarius occurrunt, suo suffragio mentem interpretis confirment. **

* Versiones scilicet antiquissimae velut sepimentum fontium fuerunt, &, diuina prouidentia ita gubernante, impediuerunt, quo minus siue haereticorum fraude, siue incuria librariorum, siue iniuria temporum corruptio vniuersalis fieri potuerit. Erat enim prorsus ἀδύνατον, vt ista deprauatio in omnes omnino translationes, per totum terrarum orbem dispersas, diffunderetur. Probe tamen obseruandum est, argumentum, quod ex versionum antiquarum cum textu authentico consensione, pro sacri codicis integritate desumitur, vim *adfirmatiuam*, non *negatiuam* habere. Vbi scilicet versiones antiquae in loco aliquo dubio, & corruptionis suspecto, cum recepta lectione consentiunt, merito locum integrum & incorruptum esse, *adfirmatur*. Ita cum omnes versiones orientales chaldaica, samaritana, syriaca, arabica cet. Gen. III, 15. expressserint pronomen mascul. הוא (non femininum היא *illa*, mulier, *conteret tibi caput*) locus ille ab omni suspicione mendi, in quam nonnulli pontificii illum coniicere cupiunt, absoluendus est. At vero, si versiones antiquae alium sensum exhibeant, a sensu fontium dissentientem, fontes ideo corruptionis arguendos, receptamque lectionem sollicitandam esse, *negatur* ac pernegatur, ex. gr. Psal. XIX, 5. graeci interpretes nomen ebraeum קום *kawam* red-

reddiderunt φθόγγος αὐτῶν, quo modo etiam citatur Rom. X, 18. Vnde sunt, qui putant, eos in suis codicibus habuisse קולם *kolam*, ex qua voce deinde *lamed* exciderit, ex LXX. versione pristino loco restituendum. Sed frustra haec dici, viri doctissimi dudum mouerunt. Isti enim interpretes, testibus KIRCHERI concordantiis, vocem *kol* numquam per φθόγγον reddiderunt. Vnde simile vero est, eos sensum potius, quam verba respicientes, intellexisse קו *normam*, vel *regulam* aliquam *sonoram*; nam & norma, a fabris lignariis super lignum extensa, dum remittitur, sonum edit, vt docte obseruat SIMEON DE MVIS. Fortasis etiam in animo habuerunt radicem arab. קוה *exclamare*, *vociferari*, adeoque קו per φθόγγον reddiderunt. Certe AQVILAE aetate vocem קום, vti hodie legitur, iamdum extitisse, eius versio indicat, ὁ καναὼν αὐτῶν. Adde CAMP. VITRINGA *observ. sacr. lib. III. c. XXIV. p. 848.* Maneat igitur salua sacri codicis integritas, quamuis antiqui interpretes, diuersum saepe consilium sequuti, aliter atque aliter locum aliquem expresserint.

** Quum enim obseruatur, vel omnes, vel plerasque saltem antiquas versiones in obscura aliqua voce transferenda conspirare; satis probabiliter inde concluditur, illam illius vocis significationem olim fuisse vsu receptam. Exempla in *notis* ad *biblia ebraica Hallensia* passim occurrunt. conf. etiam *supra*, *p. 274. 275.*

§. X.

Speciatim vsus *paraphrasium chaldaicarum* prorsus insignis est, non in controuersiis tantum, quae nobis cum iudaeis intercedunt, in quibus ad paraphrases istas non sine fructu prouocatur; sed in studio etiam

hermeneutico, siue verbalem, siue realem interpretationem spectes. *

* Vsus scilicet paraphrasium exegeticus in eo potissimum spectatur:

I. *Dum in vocibus varioribus ac difficilioribus aliquam subinde lucem accendunt.* Ita quid sit Gen. XLI, 45. צפנת פענח paraphrases optime declarant; & ONKELOS quidem גברא רמטמרן גלין ליה *vir, cui abscondita manifestantur*, & pseudo-IONATHAN גברא רטמירן מפרסם *vir, explicans abscondita*, quam explicationem plerique docti sequuntur, cum qua IOSEPHVS etiam consentit, *antiqu. iud. lib. II. c. III. p. 44. σημαινει τὸ ὄνομα κρυπτῶν ἑυρετήν.* Addatur AVG. PFEIFFERI diss. *de Zophnath Paneach*, quae inter selectas exercitationes, *dubiis* eius *vexatis* additas, *quinta est.* Frequens est in scriptis talmudicis formula דתרגומא דהאי קרא לא האי ידענא קאמר אלמא *Nisi Targum huius loci adesset, nesciremus, quid tandem sibi vellet.* Obseruauit tamen ELIAS LEVITA, in praef. ad *methurgeman*, paraphrastas nonnumquam contrariam prorsus significationem verbis tribuisse, vt Ier. XVII, 7. *infirmus ille;* vbi Targum: *ille fortis.* Ita Ier. XVII, 6. *non festinaui;* vbi Targum: *non moratus sum.* Ex quibus satis constat, nec ab ipsis iudaeis veteres illos interpretes pro oraculis, fallere nesciis, haberi. conf. reu. IO. CHR. WOLFII *bibl. ebr. part. II. p. 1183.*

II. *Dum sensum historicum ac litteralem saepe declarant.* Sic Gen. XLII, 23. Targum Hierosol. supplet circumstantiam, quam textus requirit: *Et ipsi nesciebant, quod Ioseph intelligeret linguam sanctam: erat enim internuntius interpres inter eos.* Gen. XLIX, 3. Ionathan: *Debebatur tibi*, o Ruben, *primogenitura, & summum sacerdotium & regnum; sed quia deliquisti, fili mi, data est primogenitura* IOSE-

PHO-

PHO, *& regnum* IVDAE, *& sacerdotium* LEVI. Nonnumquam veteres *traditiones* ab ipsis adhibentur, ad lucem circumstantiis historicis accendendam. Sic Gen. XXV, 22. Targ. hierosol. de Rebecca: *Et collisi sunt filii in visceribus eius --- Abiit igitur ad impetrandam misericordiam coram Domino, in scholam* SEMI, *magistri magni.* Idem Targum ad Exod. XII, 42. asserit, regem Messiam venturum *e Roma*; alludens ad illud Talmudicum in *Sanhedrin*: יתיב אפתיחא דרומי *Messias sedet ad portam Romae.* Quo etiam pertinet ONKELOSI versio, ex traditione hausta, ad Num. XXI, 19. aqua petrae *descendit cum israelitis in valles, & de vallibus ascendit cum eis in colles*; conf. I. Cor. X, 4. Adde THEOD. HACKSPAN, de *scriptorum iudaicorum vsu, cap. III. sect. I. p. 403. seqq.*

III. *Dum locutiones tropicas satis nonnumquam feliciter verbis propriis exprimunt.* Sic verba Esa. V, 2. *Exspectauit, vineam facturam esse vuas bonas, sed fecit labruscas*; chaldaeus interpres ita reddit: *Praecepi iis, vt producerent opera bona, sed fecerunt opera mala.* Similiter Esa. XXXVII, 24. vbi Senacheribus *Succidam*, inquit, *celsas cedros eius & electas fraxinos*: chaldaeus reddit: *occidam eximios inter fortes eorum, & electos inter dominatores eorum.* Inprimis illis paraphrastis more receptum est, vt *locutiones anthropopathicas*, quibus Deo membra, affectus, actiones humanae tribuuntur, verbis propriis reddant, vitandae offensionis caussa. Dudum id obseruauit MOSES MAIMONIDES, in *more nebochim lib. I. c. XXVII.* vbi ONKELOS, inquit, *vir perfectissimus in lingua ebraea & chaldaica, diligentiam & industriam suam inter cetera quoque in remouenda corporeitate a DEO, grauiter admodum comprobauit. Omnia enim attributa, vel nomina, quae corporeitatem inducere videntur, ipse secundum verum*

& genuinum illorum sensum exposuit. Ita Gen. XVIII, 21. verba *descendam nunc & videbo*, reddit: *Reuelabo me & videbo.* item Exod. XIX, 18. *descendit dominus*, reddit, *reuelauit se dominus.* it. Psal. XVIII, 11. vbi Deo *vectura* & *volatus* tribuitur, chaldaeus vertit: *Manifestauit se in virtute sua super cherubim velocibus, & cum robore processit super alis venti.*

IV. *Dum phrasin noui testamenti passim illustrant*, quod nemo mirabitur, qui nouerit, maximam paraphrasium illarum partem circa Christi & apostolorum tempora esse confectam. Accedit, quod voces locutionesque chaldaicae, quibus non modo LXX. interpretes, sed & Christus & apostoli adsueti fuerunt, hinc optime disci & intelligi possint. Paraphrases sane chaldaicas cum LXX. versione plurimis in locis mirum in modum consentire, multis exemplis condoceri potest. Sic Psal. II, 12. osculamini filium, LXX. vertunt δράξαθε παιδείας; neque aliter Chaldaeus קבילו אולפן *adprehendite disciplinam.* Similiter Esa. LXV, 22. *dies populi mei erunt* LXX. κατὰ τὰς ἡμέρας τῦ ξύλυ τῆς ζωῆς, Targ. אילן חייא כיומי *sicut dies arboris vitae.* Quum igitur LXX. interpretum vsus insignis sit in stilo N. T. illustrando, nemo eum paraphrasibus chaldaicis iure denegare poterit. Ita phrasin Matth. VI. 12. ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν (Lucas c. XI, 4. τὰς ἁμαρτίας) non rectius, quam ex paraphrasibus chaldaicis exposueris. Quod enim ebraeis est נשא חטא id chaldaei interpretes vocant *remittere debitum.* Sic Exod. XXXII, 32. Moses ad Deum dicit תשא חטאתם si *tolles peccatum eorum*; ONKELOS אם שבקת לחוביהון si *dimittes debita eorum.* Adde Esa XLIII, 25. cet. † Plura exempla suppeditat PETRVS KEVCHENIVS, in *adnotatis*

† Sic *mortis secundae*, cuius Ioannes meminit apoc. XX, 6. 14. etiam mentio extat in *targ. Hieros.* Deut. XXXIII, 6.

notatis ad N. T. & IO. LIGHTFOOT in *horis ebraicis & talmudicis.*

V. *Dum ritus & consuetudines veterum ebraeorum passim attingunt & describunt.* Ita Ruth. I, 19. quamuis loco prorsus alieno, narrantur *quatuor* iudaeorum *iudicia capitalia.* Cohel. II, 7. commemoratur *mensis intercalaris* Gen. IX, 6. mos necandi fontes, *per testes.* I. Sam. XXXI, 12. mos *cremandi aromata super busta regum*, & multa alia his similia.

VI. *Dum multa veteris instrumenti loca, quae recentiores iudaei malitiose detorquent, diserte & sine ambagibus de Messia interpretantur.* Plurimis illi interpretes locis nomen MESSIAE expresse adscribunt. Sic Gen. XLIX, 10. omnes Targumim vnanimi consensione addunt מלכא משיחא *res Messias* Esa. IX, 6. משיחא רשלמא *Messias pacificus.* it. Esa. XLII, 1. c. XLIII, 10. c. LII, 13. Zach. IV, 7. Psal. XXI, 2. & XLV, 3. & LXXI, 1. cet. Reliqua loca CHRISTOPHORVS HELVICVS de *chaldaicis bibliorum paraphrasibus p. 59.* & BVXTORFIVS, in *lexico talmud. p. 1268.* exhibet. † Alibi Messiam nomine מימרא דיוי *verbi domini* designare solent, quae tamen vox, quum πολύσημος sit, variis disputationibus ansam praebuit. THEODORICVS HACKSPANIVS de *vsu scriptorum rabbin. p. 567.* putavit *esse genus quoddam loquendi chaldaicum, quo* מימר *idem est, quod* נפש *ebraeorum, &* עצם *rabbinorum, sensu reciproco, quem nullo pronomine sermo diuinus exhibere potest.* Hic vti MICH. HAVEMANNVM, in *prolegomenis ad theognostam antiquissimam* aduersarium nactus est; ita e contrario IO. WVLFERVM, RICH. SIMONEM, aliosque patronos accepit. Et negari sane non potest, nonnumquam eo sensu in paraphrasibus illis hanc vocem reperiri, vt Esa. XLII, 1.

† Adde HVMFR. PRIDEAVX *Connexion der historie des alt- und neuen test. part. II. lib. VIII. p. 667. sqq.*

Ecce seruus meus Messias, ad quem accedam, & electus meus רצתה בו נפשי *quo delectatum fuit* VERBVM *meum* Hebr. רצתה נפשי Matthaeus c. XII, 18. εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου Similiter Cohel I, 2. Salomo dicitur dixisse במימריה apud se ipsum. Amos VI, 8. dicitur Dominus iurasse במימריה *per se ipsum* ebr. בנפשו vel καθ' ἑαυτοῦ. vt Paulus exprimit Ebr. VI, 13. Sic etiam II. Par. XVI, 3. dicitur: קיימא בין מימרי ובין מימרך *Foedus est inter me & inter te.* Sed multo tamen plura occurunt loca, vbi hac voce *hypostasis* aliqua *diuina*, *ab hypostasi patris distincta*, indicatur, cui talia tribuuntur praedicata, quae nisi in Deum non cadunt, quaeque in N. T. passim τῷ λόγῳ Dei filio, tribuuntur. Ita verbum dicitur *creasse hominem* Gen. I, 27. & hoc *vniuersum* Deut. XXXIII, 27. Num. XXIII, 6. *adparuisse* hominibus Gen. XI, 8. c. XXXV, 9. Exod. XII, 42. Num. XXIII, 4. 16. *iurasse* Exod. XVII, 15. *iuratumque per illud fuisse* Exod. VI, 8. c. XX, 7. *foedus pepigisse* cum hominibus Gen. IX, 12. *populum ex Aegypto liberasse* Gen. XLVIII, 21. Exod. II, 23. c. XIII, 8. Num. VI, 21. *adoratum fuisse* Gen. XVI, 13. c. XVIII, 5. vera *fide fuisse cultum* Gen. XV, 6. Exod. XIII, 31. vt alia multa taceamus. Plura loca diligenter congessit clar. IO. IOACH. LANGIVS, in diss. sub. ven. IO. HENR. MICHAELIS praesidio habita de *Targumim vsu in doctrina de persona Christi.* Merito itaque viri docti istam adpellationem *Verbi Domini* Messiae vindicarunt, vt RAYMVNDVS MARTINI, PETRVS GALATINVS, NICOLAVS SELNECCERVS, CHRISTOPHORVS HELVICVS, SALOMO GLASSIVS, MICHAEL WALTHERVS, AVG. VARENIVS, ANDREAS SENNERTVS, IOAN. MVLLERVS, AVG. PFEIFFERVS, DANIEL FESSELIVS, HENRICVS MVHLIVS, IO. IAC. SCHVDTIVS, GODFRIED OLEARIVS, &

ex

ex reformatis etiam THEODORVS BEZA, IOAN. BVXTORFIVS, IAC. CAPPELLVS, IO. HENR. HOTTINGERVS, aliique. Singularibus dissertationibus de hac voce egerunt LAVR. VVEGERVS. GE. FRID. RICHTER, IO. IOACH. LANGIVS, IO. VAN DER VVAYEN. De certaminibus, quae Socini, siue sectatores siue fautores de hoc vocabulo mouerunt, videatur ven. IO. FR. BVDDEVS in *instit. theol. dogm. lib. II. c. I. §. LV. p. 430.* & IO. CHRIST. VVOLFIVS, *biblioth. ebr. part. II. p. 1187.* Idem paraphrastae Messiam etiam non raro voce שכינה *Schechina* designare solent, qua plerumque filium DEI, rarius spiritum sanctum denotari, pluribus commonstrauit PETRVS ALLIX in *Ausspruch der alten iüdischen Kirche gegen die Vnitarios c. X. XI. XXI.* quo libro (a ven. CHRISTOPH. MATTHAEO SEIDELIO in linguam germanicam conuerso) doctus auctor erudite ostendit, quantum ex paraphrasibus chaldaicis praesidii ad adserendam antiquitatem & veritatem doctrinae christianae de *trinitate*, ac *deitate Messiae* exspectari possit.

§. XI.

Vsus versionis *graecae*, quae septuaginta senioribus tribuitur, potissimum hodie * versatur in stilo scriptorum noui testamenti explanando, ** quem ex illa nonnumquam longe rectius, quam ex profanis auctoribus graecis, illustrari, viri docti obseruauerunt. ***

* Olim sane, quum versio illa primum adornaretur, hunc potissimum vsum habuit, vt hoc velut instrumento & vehiculo diuina prouidentia gentes ad fidem inuitaret. Ita cel. CHRISTOPH. CELLARI-

LARIVS, *in diss. acad. p. 272. Vt solem orientem diluculum antecedit, seu tenuis lux & dubia, praenuntia maioris & fulgentissimae: sic euangelii claritati per orbem terrarum dispergendae praeluſit quasi caelestis prouidentia, qua factum fuit, vt inter densissimas tenebras diuina quaedam lux paganis hominibus, seu pluribus gentibus oriretur, sanctis Dei scripturis ex ebraeo sermone, qui paucorum erat, in graecam linguam, omnibus prope gentibus communem, vtilissime conuersis.* Iungatur clar. GOD. VOCKERODTI docta diss. *de notitia diuinarum scripturarum in gentes vulgata*, in *exercit. acad. p. 229.* Constat insuper, scriptores N. T. hac versione esse vsos in adlegationibus dictorum V. T. non tantum, quando illa textum ebraeorum adcurate exprimit, vt Matth. IV, 4. c. XXI, 42. c. XXII, 42. cet. sed. etiam vbi a fonte ebraeo dissentit, sensum magis vtcumque referens, quam verba, vt Act. VII, 44. c. VIII, 32. 33. c. XV, 17. Ebr. X, 5. cet. ne scilicet animos neophytorum, qui graecae versioni adsueti erant, diuersitate non necessaria turbarent, atque fidem illius redderent suspectam. Quamuis sua libertate vsi, non semper eius vestigia premant, vt Matth. II, 6. 15. c. VIII, 17. c. XI, 10. c. XII, 18. seqq. c. XXVI, 31. cetera. conf. CHRITIANI SCHOTANI diatriben, *de auctoritate versionis LXX. interpretum, cap. I. p. 56. seqq.* & HVMFR. HODY, de *bibliorum textibus originalibus, lib. III. part. I. c. II. p. 243. seqq.*

** Vsus scilicet huius versionis est α) *in parallelismis inuestigandis*, vbi scriptores N. T. sua dictione ad aliquem V. T. locum adludunt. Ita Christus vocabulo σιτομέτριον Luc. XII, 22. ad historiam Iosephi oculum intendere videtur, LXX. Gen. XLVII, 12. Ita cum phrasi ὠδῖνες θανάτου Act. II, 24. conf. LXX. Psal. XVIII, 5. β) *in enucleandis vocum ac phrasium*

N. T.

N. T. emphasibus; ita cum II. Tim. I, 6. ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα conf. Gen. XLV, 27. Cum ζενὸς Matth. VII, 13. conf. Num. XXII, 26. vid. supra *p. 349.* γ) *in typis ac antitypis clarius perspiciendis;* ita conf. Matth. XI, 29. ἀνάπαυσις, cum Gen. VIII, 9. it. Rom. VIII, 32. ἐκ ἐφείσατο, cum Gen. XXII, 12. it. Ioh. XIV, 3. παραλήψομαι, cum Gen. XLVII. 2. cetera. δ) *in peculiaribus N. T. loquendi formulis illustrandis;* vt ὑπάγειν vel πορεύεσθαι, *mori* Matth. XXVI, 24. coll. Gen. XV, 15. c. XXV, 32. θαυμάζειν πρόσωπον *personam acceptare* Iudae vers. 16. coll. II. Reg. V, 1. ἵλεώς σοι κύριε, *absit*, Matth. XVI, 22. coll. Gen. XLIII, 23. cetera. ε) *in dubiis rarioribusque vocibus N. T. rectius intelligendis;* vt σώματα pro *seruis*, siue *mancipiis*, Apoc. XVIII, 13. coll. Gen. XXXIV, 29. μογιλάλος pro *muto*, Marc. VII, 32. 37. coll. Esa. XXXV, 6. Plura dabit ven. IO. HENR. MICHAELIS, in diss. *de vsu LXX. interpretum in N. T.* qui nobis hic otia fecit. †

*** Scilicet in vtroque testamento, si summam rei spectes, eadem continetur disciplina, eadem doctrina salutis, nisi quod in nouo longe clarius, quam in veteri, contineatur. *Christiana* enim *religio est veluti religionis iudaicae surculus, ast ipso trunco maior & viridior,* vt IO. CLERICVS alicubi dicit. Conueniunt itaque voces phrasesque complures, huic disciplinae propriae, vbi res conueniunt, mutuamque sibi adfundunt lucem. Hinc clarissimus IO. ALB. FABRICIVS in *biblioth. graec. lib. IV. p 124.* stilo noui foederis nihil vsquam similius reperiri dicit, quam graecam LXX. interpretum versionum veteris testamenti, *hanc,* inquit, *qui diligunter euoluet, non*

† Addatur IO. GRAMMII, Professoris Hafniensis eruditissimi, *dissertationes* de *versionis V. T. graecae in N. T. allegatione.* & CL. CHRISTOPH. WOLLII diss. *de parall. N. T. verbali cum LXX. caute instituendo.*

non male tempus suum collocauerit, ad scripta apostolica familiarius intelligenda. Adde IO. HENR. BOECLERI diss. *de lingua N. T. originalis* §. *VI. seqq.* & IAC. RHENFERDII *syntagma de stilo N. T. p. 619. seqq.*

§. XII.

Versionis *syriacae*, *noui* praesertim *foederis*, vsus non contemnendus est in illustrandis plurimis locis, quae in graeco aut obscurius expressa sunt, aut alio modo linguae syriacae auxilia requirunt. *

* Quia nimirum versio haec N. T. antiquitate cum aliis certat, adeo vt eius auctores in rebus dubiis ab ipsis apostolorum discipulis genuinum sensum haurire potuerint; merito a viris doctis ad intelligentiam N. T. tamquam vtilissima commodissimaque est commendata; quorum testimonia AEG. GVTBIER *praefationi* suae *in N. T. Syriacum* larga manu subiunxit. Egregie autem in vsu huius versionis commonstrando laborauit IO. REINHARDVS RVSIVS, vir clarissimus, & in hoc rerum genere versatissimus, in diss. *de linguae Syriacae vsu in N. T.* Ienae. MDCCII. habita, quem conspici *p. 34.* obseruat α) *in explicandis vocibus, phrasibusque chaldaicis noui testamenti.* Sunt enim haec linguae adeo inter se adfines, vt merito pro eiusdem linguae diuersis tantum dialectis habendae esse videantur. Huc refer μαραν αθα I. Cor. XVI, 22. ταλιθα κουμι Marc. V, 41. cet. β) *in graecis obscurioribus per clariora reddendis*, vt quando Ioh. V, 39. verbum ἐρευνᾶτε quod ratione formae grammaticae & indicatiuus & imperatiuus esse poterat, aperte in *imperatiuum* transfert. γ) in verbis graecis *concise positis*, adiectis quandoque aliis, inlustrandis. δ) in verbis textus graeci, quae *transposita* sunt, in ordinem intellectu facilio-

rem

rem, magno cum lectoris fructu, redigendis. ε) in *suffixis* ac *praefixis* passim adiiciendis, quibus ambigua multa in clariori luce ponuntur. ϛ) in recte constituendis *versuum propositionumque interpunctionibus*. ζ) in diiudicandis multis *lectionibus variantibus*. Addatur AVG. PFEIFFERI *thes. hermen. p. 513* & GE. IOANN. HENCKII (vt fama fert) labor, in *Berlinischen Hebopffer, sect. VII. seqq.* quo *versio N. T. Syriaca & Neo-Graeca cum textu authentico comparatur*, multis passim vtilissimis observationibus philologicis interspersis. †

§. XIII.

Neque *vulgata latina* versio sine fructu nonnumquam inspicietur, quum sensum plerumque satis feliciter, nec sine elegantia, latinis auribus grata, exprimat; * quamuis non coeco vbique obsequio amplectenda. **

* LVD. DE DIEV in *notis ad euangelia*, *Si vulgatum*, inquit, *interpretem, quisquis id tandem fuerit, doctum, immo doctissimum virum fuisse adseram, non me peccasse iudicauero. Suos habet naeuos fateor, habet & suos barbarismos; sed quin passim eius fidem iudiciumque admirer, etiam vbi barbarus videtur, negare non possum.* Id inprimis in illo laudandum est, quod idiotismos linguae originalis latinismis exprimere studet, vt Dan. III, 8. chald. *comederunt exitia iudaeorum*, Vulg. *accusarunt iudaeos*. Neh. V, 5. *non est pro Deo manus nostra*. Vulg. *nec habemus, vnde possint redimi*. Ruth. I, 13. *Num propter illos sedebitis, donec magni fiant?* Vulg. *Num illos*

† Adde tamen etiam CL. MICH. HENR. REINHARDI diss. *de versione Syriaca N. T. a textu graeco recedente.*

illos exſpectabitis, vsque dum annos pubertatis impleant? cetera. Neque inutiliter haec verſio cum verſione B. LVTHERI conferri poteſt, qui in locis obſcurioribus, aliis ſubſidiis deſtitutus, ſaepe expreſſit ſenſum, a vulgato interprete ſuppeditatum; vt Mal. II, 16. Apoc. V, 11. cet.

** Obſeruarunt PAVLVS FAGIVS & alii viri docti, vulgatum, vbi a veritate ebraica diſſentiat, ſecutum eſſe vel *LXX. interpretes*, vel *paraphraſten chaldaeum*, vel *aliquem ex rabbinis*; quod poſtremum aliquot exemplis comprobat THEOD. HACKSPANIVS, *de vſu ſcriptorum rabb. c. III. p. 410. ſeqq.* Sic Eſa. XXII, 17. Iob. XXXVIII, 36. vbi in vulg. *galli gallinacei* mentio fit, reſpicitur ad narrationem talmudicam de *gallo*, quam IO. BVXTORFIVS in *lexico talmud. p. 2653.* exponit. It. Mal. II, 16. *quum odio habueris* vxorem, *dimitte, dicit dominus;* ſequutus eſt chaldaeum interpretem אם סניית לה פטרה *ſi odio habes eam, dimitte eam*, quo cum etiam graeci interpretes conſpirant, ἐὰν μισήσας, ἐξαποστείλῃς. Non eſt igitur, quod iudaei vulgatae verſionis auctorem vocent מפרש טועה interpretem errantem & מתרגם לתועים *interpretem errantium*; quum in illa non deſint, quae proxime ad placita magiſtrorum ſuorum accedant.

§. XIV.

De reliquarum verſionum, maxime *recentiorum* & *vernaculae* * vſu exegetico, non eſt, vt multa moneamus. Conferuntur illae cum textu authentico, & vbi cum illo conſentiunt, tamquam fideles genuinae ſententiae teſtes, cum voluptate audiuntur.

* Iudi-

* Iudicio critico de versione vernacula B. LVTHERI maxime N. T. non sine fructu substerni possunt sequentes canones, a cl. PET. ADOLPHO BOYSEN, in *diss. de codice N. T. graeco, & consilio, quo vsus est Lutherus in conficienda interpretatione germanica*, §. XI. *p.* 40. suppeditati I. MART. LVTHERVS codicem N. T. interpretari & germanice vertere quum vellet, *graecos* circumspexit *codices*, idque facere debebat bonus interpres: versionem enim ex versione conficere, mali res est exempli. II. Quum vero codices manuscriptos non in promtu haberet, *editis* contentus fuit, quos ERASMVS & ALDVS cum orbe christiano communicarant, † quorum fides iure meritoque eo exploratior LVTHERO esse poterat, quo pluribus ingenii doctrinaeque ornamentis fuerunt praediti. III. Nouerat vero, nulli mortalium donum infallibilitatis suppetere amplius: qua ex re magni quidem illos duumuiros fecit; sed quum sciret, quam facilis hic esset incuria, festinatione, mala lectione ex vitioso codice orta, lapsus; *vulgatum* interpretem in consilium adhibuit, & constanter inspexit, huiusque auctoritatem nonnumquam editis graecis antepositi. IV. Vbique *analogiam fidei*, ceu cynosuram sequutus est. Habuit beatus vir spiritum Christi, & ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας, quae est secundum pietatem. V. Vnde maiorem curam gessit συνεφείας textus, doctrinae diuinioris, *veritatis, pietatis* & *perspicuitatis*, quam *variarum lectionum*; in ea lectione libenter adquiescens, quae bonum facilemque sensum funderet, & cum analogia fidei & doctrinae apostolicae conueniret. VI. Neque silentio praetereundum est, medium tenuisse Lutherum inter *paraphrasin* & *metaphrasin*, i. e. nec verbum verbo voluisse reddere, nec verba insuper habuisse, sed *sensum*

† In versione V. T. eum vsum esse editione codicis ebraici *Brixiensi*, quam *Gerson ben Mose* an. 1494. in lucem emiserat, obseruat cel. WOLFIVS in *bibl. ebr. part. II. p.* 365.

spiritus sancti expressisse sermone, germanis cognito & familiari. (Addimus, quod vir beatus in re ipsa quoque exprimenda nonnumquam ad *popularium suorum mores* & conditionem sese innocenter adcommodauerit, vt Psal CXVIII, 26. Hos. XII, 11. cet. vti dudum obseruauit MICH. WALTHERVS, in *officina bibl.* §. 454. *p. m.* 381.) VII. Quia recentiores editiones, quae in praesenti omnium teruntur manibus, ad *Stephanianas*, Luthero iuniores, excusae sunt; aequitas iubet, vt, si qua in nostra versione diuersitas a graeco contextu occurrat, ea ex illis potius editionibus Luthero aequalibus, diiudicetur, quam his, quarum varias lectiones, in textum tandem receptas, praeuidere non potuit. VIII. Tandem sciunt omnes, *versionem* scripsisse Lutherum, qualis dignitate semper inferior est ipso fonte. Constat, integrum relinqui peritis tractatoribus, sensum spiritus sancti adcuratius exquirere, & cum modestia proponere. Ne tamen res publica christiana detrimentum capiat, putamus abstinendum ab acerbiori censura Lutheri, nec temere ab homine priuato nouam versionem euulgandam, tantumque abesse, vt deceat, vel ex malevolentia, vel ex *audacia hypercritica* dignitati receptae versionis detrahere, vt probi hominis sit, praepotentem Deum propter insigne hoc beneficium laudare, eidemque supplicare, velit idem in posteros conferre. Haec pleraque ita putamus esse comparata, vt boni omnes suo illa calculo adprobaturi sint. Addatur modestum eiusdem argumenti de versione Lutheri iudicium ven. AVG. HERM. FRANCKII, in *obseru. biblicis*, mense *Maio*, *p.* 454.

§. XV.

Vti vero non contemnendus est versionum vsus; ita earumdem *abusus* prudenter est *euitandus*, ne ex illis res sacra & exegetica detri-

detrimentum potius, quam emolumentum accipiat. *

* I. *Cauendum, ne quamcumque versionem ex omni parte beatam consummatamque existimemus, aut fontibus aequiparemus.* Nonnulli interpretum per *nequitiam* fallunt, sectae suae opinionem sequentes; vnde partes, quas interpres sectatus est, prius noscere iuuat, quam translationem eius consulamus. Alii *pia* quadam, vt aiunt, *fraude* aliquid mutant, suisque translationibus inserunt, a spiritu sancto non dictatum: cuiusmodi est, quod iesuita aliquis, in *psalterio* persice translato, verba psalmi I. *& in sede derisorum non sedit*, in hanc vertit sententiam: *& in sessione* ALBATORVM *non sedit*, quod Persae huic maxime ludi generi dediti sunt; vt refert WILH. ERN. TENZELIVS, in *bibliotheca curiosa, anni MDCCIV. p.* 709. Sed fraus haec est, neutiquam adprobanda. Conf. clar. CHRISTIANI GOTTLIEB SCHWARZII dissertat. *de piis fraudibus.* Alii ex *imbecillitate humana* impegerunt, rectius mentem sacri scriptoris expressuri, si eam rectius perspexissent. Inter complures istius imperfectionis causas, ANDR. IVL. DORNMEIERVS, in *philol. bibl. c. XI. p.* 82. merito refert *idiotismum, quem vix quisquam in opere bibliorum vbique expressit. Quod eo valet*, (ita vir doctus addit,) *vt non perinde versionibus fidas, quamuis auctorum eruditio sanctorque in publicum enotuerit. Nulla enim nec est scripturae versio, nec potest fere conscribi, quin aliquid imperfectionis habeat: adeo imperfecti sunt omnes mortalium circa virtutem conatus.* Vnde per se patet, quid habendum de eorum conatibus, qui versionem aliquam fontibus aequiparare, immo vero praeferre audent, quod pontificiorum plerosque circa versionem vulgatam, nec non ISAACVM VOSSIVM circa LXX. interpretes fecisse *supra §. V.* obseruauimus.

Bene etiam IO. COCCEIVS, in *praefat. lexici ebr. Quemadmodum apostoli, qui libenter recitarunt verba graecae versionis, nihilominus tamen nec dixerunt, versionem illam parem esse verbis prophetarum, vel auctoritate, vel pondere & sensu; neque illicitum putarunt; quae in fontibus sunt, in versione autem non sunt, aut aliter sunt, suis verbis explicare: ita oportet eum, qui versionem legit, vel audit, versionem non exaequare fontibus auctoritate, vel sensu. Quandoquidem enim versio est opus humanum, vix sperandum est, versionem carere defectu, aut naeuo.* Non minus bene & neruose HERM. VON DER HARDT, in *elem. exeg. c.* II. *p.* 22. *Vtitur exegeta versione, tamquam internuntio: sed consulit & audit fontes, indubitata oracula.*

II. *Cauendum, ne fontes, inuerso naturae ordine, ex versionum riuulis, admodum saepe turbidis & impuris, emendandos putemus.* Vix crederes, eiusmodi praeposterum studium potuisse viris doctis in mentem venire, nisi exstarent testimonia, pontificiorum maxime hominum, sole clariora. Ita GREGORIVS DE VALENTIA, *Graeci*, inquit, *& ebraici codices, sicubi a nostra editione vulgata latina dissident, per nostram corrigendi & emendandi sunt.* Similiter IO. EVSEBIVS NIEREMBERGIVS, *de origine scripturae lib.* VI. *c.* XXIII. *Latinus textus non est corrigendus per ebraicum, sed ebraicus per latinum* (hoc est, solis cursus per horologium!) Eodem modo IAC. GRETSERVS, in *sua defensione c. XI. Si fontes in dogmate aliquo fidei, vel morum a vulgata editione dissentiant, fontes, tamquam turbide fluentes, depurandi & expurgandi sunt ad latinam vulgatam editionem.* Quae testimonia collegit CHRISTIANVS KORTHOLTVS, de *variis scripturae sacrae editionibus c.* II. §. III. Eamdem vero viam ingressi sunt multi criticorum recentiorum filii, qui statim coniiciunt, veteres interpretes, THEODOTIONEM, SYMMACHVM, AQVILAM, HIERONY-

RONYMVM cet. aliter in suis codicibus ebraicis legisse, vbi a hodierna lectione, quam per contemtum *masorethicam* dicunt, discrepant. Hinc porro statuit LVD. CAPPELLVS, qui hac in parte audaciae exemplum reliquis † praeiuit, *hodiernum textum ebraeum non esse alia ratione, neque alia de caussa praeferendum vel samaritico, vel alii cuilibet, nisi quia & quatenus ostendi potest, sensum, qui oritur ex eius lectione, esse ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ meliorem & conuenientiorem eo, qui nascitur ex lectione aliorum codicum. Itaque, sicubi demonstrari possit, lectionem, quae est in codice samaritico, vel quam secuti sunt* LXX. *interpretes; aut chaldaeus paraphrastes, Aquila, Symmachus, Theodotion, vel Hieronymus, congruentiorem fundere sensum, neminem tam iniquum esse debere, vt istum non potius amplectatur, atque vna lectionem, quae sensum illum ex se fundit.* c. c. Psal. XLVII, 10. textus ebraeus habet: *Spontanei populorum collecti sunt* עם *am*, POPVLVS *Dei Abrahami.* At LXX. μετὰ τοῦ Θεοῦ Ἀβραάμ CVM *Deo Abrahami*, legentes *im* pro *am*, quod multo melius esse criticus ille audacter pronuntiat. Thren. I, 12. textus ebraeus habet אשר הוגה יהוה *die quo me moestam reddidit dominus.* At vulgatus: *sicut locutus est dominus.* Hinc CAPPELLVS legendum putat כאשר הגה יהוה vt alia plura taceamus, quae ordine recenset & confutat 10. BVXTORFIVS, in *anticritica part.* I. *c.* VIII. *& part.* II. *c.* VIII. Multo rectius saniusque AVGVSTINVS *de ciuitate Dei lib.* XV. *c.* XIII. *Quum diuersum aliquid in vtrisque codicibus inuenitur, ei linguae potius credatur, vnde est in aliam per interpretes facta translatio.*

III. *Cauendum, ne ex textu originali quocumque modo eum elicere sensum studeamus, quem*

† In eadem sententia est v. cl. LAMBERT BOS, in *proleg. ad LXX. c. I. fin.* & GVIL. VVHISTON, de quo conf. ven. CARPZOVII, crit. *sacra pag.* 976. *seqq.*

iam antea ex versione quadam hausimus. Saepe id bonis viris obtingit, qui LVTHERI versionem, egregiam illam quidem & magni faciendam, ab omni labe vindicare satagunt; vnde saepe necessitatem sibi impositam vident, ipsa etiam summi viri παροξύσματα cum fontibus conciliandi, quamuis id coactissime fiat: qualia passim in BALT. RAITHII *vindiciis versionis Lutheri*, & MICH. BECKII *disquisitionibus hermeneuticis* occurrunt.

IV. *Cauendum inprimis, ne in rebus magnî momenti, inque probandis fidei christianae doctrinis versionum testimoniis temere fidamus.* Saepe ea in re patres dormitasse, qui eorum scripta legerunt, non ignorant Ita ex Hos IX, 12. οὐαὶ γὰρ ἐξ αὐτῶν multi veterum doctorum *mysterium incarnationis* comprobauerunt, quum tamen haec verba ex praua versione verborum ebraicorum בשורי מהם vae illis, *quum recessero ab eis*, nata sint: conf SALOM. GLASSII *philol. sacra p.* 139. Idem contigit verbis Thren IV, 20. vbi Vulg. *Spiritus oris nostri, Christus, captus est in peccatis nostris;* quibus multi satisfactionem Christi probare instituerunt: de quibus videatur SIXTINI AMAMA *antibarbarus biblicus p.* 754.

V. *Quo antiquior scriptorumque sacrorum aeuo propinquior est versio quaedam, eo maiorem merito obtinet auctoritatem.* REVCHLINVM dixisse ferunt: *Ebraei fontes, graeci riuos, latini paludes bibunt.* Hinc *orientales* etiam versiones antiquae occidentalibus praeferendae sunt, quia res orientis, de quibus scriptura vbique loquitur, earum auctoribus, notiores, quam aliis, esse potuerunt.

LIBRI

LIBRI TERTII
CAPVT NONVM
DE
ADMINICVLIS COMMENTARIORVM.

Σύνοψις.

Commentarios in studio exegetico non spernendos esse docetur §. I. quorum traditur
I. *Diuisio* §. II.
II. *Designatio*, vbi recensentur *praecipui* interpretes.
1. Iudaei §. III. IV.
2. Christiani, & quidem
a) qui *integrum sacrum codicem* explanauerunt §. V.
b) qui speciatim *veteris testamenti* libros explicuerunt, §. VI.
c) qui libros *noui foederis* interpretati sunt, §. VII.
d) qui *paraphrases* biblicas condiderunt §. VIII.
e) qui alia ratione *multis scripturae partibus* lucem adfuderunt, §. IX.
III. *Requisita* atque *virtutes* §. X.
IV. *Naeui*, eorumque *fontes*, §. XI.
V. *Vsus* §. XII.
VI. *Cautelae*, circa commentarios adhibendae §. XIII.

§. I.

Aliorum in scripturam labores & *commentarios*, quamuis illi non absolutae sint necessitatis, * in studio tamen hermeneutico non esse negligendos: & scriptura significat,

cat, ** & ratio docet. Magni enim profecto esset supercilii, audiri ac legi velle ab aliis, nec tamen velle alios legere & audire.

* Ita IO. CONR. DANNHAVERVS, in *hermen. sacra p.* 384. *Commentariorum nulla est absoluta necessitas, sed, quam vocant, expedientiae. Defuerunt in proxima ab apostolico aeuo aetate commentarii: tamen ex sola fide scripturarum illuminati fuerunt primi christiani, vt* TERTVLLIANVS. *Neque enim sacrae litterae ita sunt confragosae, vt nemo adsequi sensum possit. Fuerit alioqui tristis ac misera conditio pauperum, si commentariorum absoluta foret necessitas. Quoti enim sunt e lautioribus studiosis, qui sacris litteris dant operam? Quoti e pauperioribus, qui commentarios (camelorum saepe onera) aere sibi comparare possunt? An solos diuites lumine hermeneutico dignatur Deus? Certe commentarii omnia sua subsidia habent ex superioribus hermeneuticis instrumentis, quibus si quis probe fuerit ante imbutus, reperiet in commentariis, quae iam ante sciuit, nec tam discet, quam repetet ea, quae pridem didicerat.*

** Vide 1 *Cor. XII*, 10. 11. vbi Deus aliis quidem *linguarum* notitiam, aliis peritiam, linguas alienas *interpretandi*, dedisse dicitur; vnde vnus alterius donis vti debet Similiter 1 *Thess V*, 20. *prophetiam*, siue donum, scripta sacra interpretandi, aliis concessum, *non contemnere*, sed magni facere, inque nostros vsus transferre, iubemur.

§. II.

Possunt vero litterarum sacrarum interpretes ac tractatores in duas classes distribui. Sunt enim, qui ex *iudaeorum* gente istud opus adgressi sunt; sunt, qui ex *christianorum* societate manum huic labori admouerunt.

§. III.

§. III.

Inter *iudaeos* ſtudium exegeticum non pari ſemper feruore, ac ſucceſſu excultum fuit. * Neque omnes, qui ſcripturam interpretari auſi ſunt, eadem methodo vſi; aliis litterae preſſius inhaerentibus, aliis allegoricas ſectantibus explicationes. **

* Vir clariſſimus, IAC. FRID. REIMMANNVS, in praefat. ad *ſynopſin hiſtoriae criticae Rich. Simonis pag.* 13. *ſeqq.* hiſtoriam theologiae exegeticae iudaeorum in tres periodos diſtinguit, *antiquam, mediam* & *nouam.*

Scilicet *antiqua* periodus inde a tempore, quod babylonicum exſilium inſequutum eſt, extenditur vsque ad quintum poſt partam ſalutem ſeculum, adeoque mille propemodum annos complectitur. In his exegeſis Iudaeorum *metaphraſtica* primum ac *paraphraſtica* fuit; deinde vero, quum iudaei linguam graecam excolere, & philoſophiae pythagoricae & platonicae operam dare inciperent, habitum *allegoricum cabbaliſticumque* induere coepit; vt liber *Iezirah*, *Sohar*, *Bahir*, *Baal hatturim*, ac multi *midraſchim* teſtantur, quos hoc tempore allegoricum iudaeorum ingenium parturiuit. Vide de libro *Iezirah* ven. IO. FRANC. BVDDEI *philoſoph. ebr. p.* 131. PETRI LAMBECII *prodromum hiſt. litterariae*, *lib.* I. *c.* VI. & reu. IO. CHR. WOLFII *biblioth. ebr. part. I. p.* 23. De libro *Sohar*, cuius partes aliquas CHRISTIANVS KNORRIVS A ROSENROTH in *cabbala denudata* rurſus edidit, confer ven. BVDDEVM, in *philoſophia ebr. §.* XXIX. p. 134. & reu. WOLFIVM, *bibl. ebr. tom.* I. *p.* 1139. De libro *Bahir*, ven. BVDDEVM, *loco cit. p.* 142. & reu. WOLFIVM, *loc. cit. p.* 906. *ſeqq.* Equidem IO. MORINVS, in *exercitationibus*

biblicis, *lib.* II. *exercit.* IX. *cap.* IV. *seqq.* recentiorem aetatem hisce libris tribuit, dum *Sohar*, in seculum a Christo nato *decimum*, & *Bahir* in seculum *decimum tertium* reiicit, cuius tamen rationibus satisfecit IO. MEYERVS, vir clarissimus, in diss. theol. *de mysterio sacrosanctae trinitatis, ex solius V. T. libris demonstrato, atque ex veterum & recentiorum rabbinorum, praesertim cabbalistarum, nouissimis monumentis illustrato*, quae Harderouici MDCCXII. prodiit, §. CXIII. CXIV. Specimen vtilitatis, ex his libris percipiendae, dedit IO. IVSTVS LOSIVS, in diss. *de veterum ebraeorum studio, Christum scripturae scopum quaerendi.*

Aetas *media* theologiae iudaicae exegeticae a seculo *sexto* ad *duodecimum* extenditur, vbi studium biblicum primum quidem *criticum* & *masorethicum* erat, inque versibus & litteris numerandis occupatum: tandem vero *prorsus silebat*, quum post talmudis compositionem subsequerentur apud iudaeos, per varias deinceps gentes dispersos, secula sterilia; & caligo barbariesque, quae tum orbi fere vniuerso incubuit, gentem quoque ebraeam opprimeret: donec seculo XI. arabum exemplo excitati, suam linguam, in grammaticas regulas redactam, excolere, eiusque studio philosophiam aristotelicam adiungere inciperent, R. NISSIM & R. CHANANEELE circa annum MXI. praeeuntibus.

Hinc igitur *tertia* ac *recentior aetas* incipit, quae a seculo *duodecimo* ad nostra vsque tempora excurrit. Hic vero RABBANITAE, qui traditiones maiorum magna cum veneratione amplectuntur, multis scriptis scripturae lucem accendere studuerunt, quorum methodus partim *allegorica*, *talmudica & cabbalistica*, partim *litteralis*, *& philologica* fuit. KARAITAE, qui traditiones acriter impugnant, atque in scriptura interpretanda, facessere iussis allegoriis ac mysticis explicationibus, *sensui litterali* stricte inhaerent, nec ipsi

ipsi suis partibus hic defuerunt, quamuis pauca ipsorum scripta exstent, pauciora ad manus eruditorum perueniant. Celebris in primis est R. AARONIS BEN IOSEPH פירוש על התורה *explanatio in pentateuchum Mosis*, מורה אהרון *doctor Aaron*, עץ חיים *lignum vitae*, & pauca alia. Sed de his pluribus videndus ven. IO. GODOFREDVS SCHVBARTVS, in *dissertationibus historico-philologicis de secta Karaeorum*, Ienae MDCCI. editis, nec non IO. CHRISTOPH. WOLFIVS, in *notitia Karaeorum*, cui & IAC. TEIGLANDII *diatribe de secta Karaeorum* adiecta est. Addantur IO. MORINI *exercit. bibl. lib. II. exerc. VII. p.* 305. vbi in *tempus & causas schismatis Karaitarum* inquiritur, nec non ven. IO. FRANCISCI BVDDEI *philos. ebr. §. XX. p.* 91. *seqq. & hist. eccles. vet. test. tom. II. p.* 1209. Neque SAMARITANI, Iudaeorum propago, studium exegeticum prorsus negligunt, de quibus EDMVNDVS CASTELLVS, *tom. VI. bibl. polyglott. anglic.* in *animaduers. Samarit. in Exod. I* *Ex his*, inquit, *satis liquet, Samaritanos sacras illas, quas admittunt, scripturas cum commentariis non habere tantum, sed & legere, eosque etiam litterali, simplici, atque concisa, absque vlla traditionum, vel quam rarissime quidem, & quae vt indubitatae ab omnibus habentur, commixtione, earum interpretatione vti.* †

** R. ABRAHAM BEN EZRA in *praefatione rhytmica*, quam commentario in *pentateuchum* praemisit, *quinque* enumerat *modos*, quibus populares sui in scriptura interpretanda vsi fuerint. *Primam* I. methodum vocat דרך אובה ורחבה *viam longam & latam*, qua iudaeos, arabas maxime, delectari dicit, qui prolixos commentarios ament. Ita R. ISAAC duos

† Adde de conditione & eruditione Samaritanorum hodierna ven. CARPZOVII *crit. sacr. p.* 593.

duos libros in caput primum geneseos composuit, vbi occasione *lucis vers.* 3. totam *opticam*, occasione *plantarum* v. 12. totam *rem herbariam*, & occasione *animalium vers.* 24. totam *physicam* pertractauit. *Secunda* II. methodus est superiori plana contraria, *soli quippe textui inhaerens, reiectis traditionibus oralibus*, quae ad legem diuinam non pertinent. Huc Abr. Ben Ezra refert *Sadducaeos* (quos cum Karaeis commiscere videtur) & *Christianos*. Methodus *tertia* III. est *allegorica*, quando litterali sensu seposito, pleraque, quae in scripturis occurrunt, in allegorias transformantur; quem commentandi modum ipse Abr. ben Ezra reiicit & auersatur. Commentarii hac lege scripti מדרשים *midraschim*, adpellantur, ex quibus R. SIMEON, concionator Francofurtensis synagogae, congessit ילקוט *ialkut*, siue *peram rabbinicam*, vbi ex variis antiquissimis libris, Siphra, Rabbos, Tanchuma, ipsoque Talmude, sententias darschanim, seu concionatorum in scripturas collegit, easque sensu allegorico, perpetua velut catena, duobus voluminibus exposuit; de quo libro conf. IVLII BARTOLOCCII *biblioth rabb. part. IV. pag.* 409. Methodus IV. *quarta* est *cabbalistarum*, qui variis modis per litterarum mutationem, transpositionem, earumdemue in numeros resolutionem, aliisque modis, arcanos sensus ex scripturis eliciunt. Vt, quando vox בראשית per *gematriam* transformatur in בתורה יצר indeque probatur, quod Deus mundum *per legem creauerit*; aut quando illa per *notarikon* in duas voces dirimitur, ברא שית *creauit sex*, vt vel sex dies creationis, vel sex extrema mundi, summum, imum & quatuor latera denotentur; aut quando per *tsiruph*, seu *combinationem*, ex eius consonantibus transpositis, aliterque combinatis, inde emergit א בתשרי *primo* die *septembris*, scil. mundus est creatus, vt alios lusus otiosorum ingeniorum taceamus.

Hunc

Hunc modum scripturas interpretandi non plane reiicit Abr. ben Ezra; sed limites tamen ei ponendos iudicat, repudiatisque nouorum cabbalistarum nugis, antiquam cabbalam sectandam putat. Plura de cabbalisticis scripturam interpretandi modis, & scriptis cabbalisticis dabit SAL. GLASSIVS in *philol. sacr. pag.* 425. *seqq.* IO. HENR. HOTTINGERVS, in *thesauro philol. lib. I. c. III. sect. V. pag.* 434. IOAN. LEVSDENIVS, in *philologo ebraeo, exercit. XXVI. p.* 267. ven. IO. FRANC. BVDDEVS, in *philosoph. ebr. §. XXXVIII. p.* 321. *seqq.* inprimis IO. CHRIST. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. II. lib. VII. p.* 1191. qui & *p.* 1236. *seqq.* certamina de vsu cabbalae hermeneutico, nostra aetate mota, recenset. Denique *quinta* V. methodus apud Abr. ben Ezram est eorum, qui scripturam philologice explicant, & hinc inde doctrinas nonnullas eliciunt; quam se obseruaturum promittit, quamque plurimi etiam commentatores iudaeorum textuales tenent. Conf. GVIL. SCHICKARDI *bechinat happeruschim, disp. VII.*

§. IV.

Missis igitur commentariis allegoricis, qui *midraschim* * adpellari solent; de auctoribus *peruschim* ** siue commentariorum textualium pauca dicamus; inter quos R. SALOMO, ABRAHAM BEN EZRA, DAVID KIMCHI, LEVI BEN GERSOM, ISAAC ABARBANEL, SALOMO BEN MELECH, prae ceteris excellunt. ***

* Pluribus de hisce midraschim disputat IOAN. MORINVS, in *exercit. bibl. lib. II. exerc. IX. p.* 347. *seqq.* eosque *fabularum & anilium sermunculorum in sacram scripturam collectiones* vocat. Exstant eiusmodi commentarii, vt IO. BVXTORFIVS, in *biblioth. rabb.*

rabb. p. 114. & reu. IO. CHR. WOLFIVS, *biblioth. ebr. part. II. p.* 1328. obſeruat, in varios ſcripturae libros, in *legem*, in libros *Samuelis*, in quinque *megilloth*, in *pſalmos* & *prouerbia*, quos omnes MORINVS ſeculo *quinto* (quo miſchnam quoque confectam eſſe, perperam ſibi perſuadet) poſteriores eſſe ſtatuit. Sunt vero illi non vnius generis. R. ASARIAS in *meor enaiim* triplices conſtituit allegorias. Quasdam ait eſſe *hyperbolas*; alias adpellat *hiſtorias miraculoſas*; alias denique, quarum intentio ſit, *explicare ſcripturam omnibus modis*, quibus explicari vmquam poteſt. Differentiam inter *medraſchim* & *peruſchim* GVIL. SCHICKARDVS *loc. cit. p.* 114. hanc conſtituit: Midraſchim *longius euagantur*, *lectores fabuloſis narrationibus demulcent*, *vt ſcilicet taedium tam diuturni exilii leuius ferant*; *immo crebro quoque in noſtram religionem inuehuntur*. Peruſchim *textum preſſius ſequuntur*, *ſingula verba excutiunt*, *linguae idiotismos explicant*, cet. Huc pertinent etiam רבות *Rabboth* hoc eſt, *magnae* ſcil. *expoſitiones* in pentateuchum (vt *Bereſchith Rabba*, *Schemot Rabba*, cet.) & *Megilloth*, quarum collectores venditantur HOSCHAIA RABBA, & RABBA BAR NACHMANI, quaeque in magna ſunt apud iudaeos auctoritate, qui & ſingularem illis antiquitatem adſignant, de cuius tamen faſtigio eas deturbare conatur IOAN. MORINVS, *exercit. bibl. lib. II. exerc. IX. cap. II. p.* 350. *ſeqq.* vbi obſeruat, fieri in illis mentionem *miſchnae* & *gemarae*, occurrere dictiones *Gothicas* & *Longobardicas*, narrationes item de *Diocletiano*, *Iuliano*, multis ineptiis commixtas, nomina regionum recentia, vt *Cartagena*, ingentemque farraginem variarum fabellarum, quarum nonnullae talmudicis ſimillimae, aliae ex ipſo talmude, eiusque gemara, depromtae ſint. Faciem tñ *Rabboth* hanc exhibet

MORI-

MORINVS *p.* 350. *Modus interpretandi, quem adfectant, est allegoricus & anagogicus, aliquando moralis, vix vmquam litteralis. Si quando litteralis, tum saepe fabellarum monstra & portenta enarrat, ad quae scripturae sacrae verba vult referri. Vniuersim vero tota narratio & sermocinatio fabellis & dictis de rabbinis suis, & eorum gestis, velut luminibus & margaritis ornatur.* Sed obseruauit reu. IOAN. CHR. WOLFIVS *biblioth. ebr. part.* II. *p.* 1425. Morinum nimis abiecte de his scriptis sentire, ex praeposterο studio, res iudaeorum omnes, ipsumque ebraeum codicem, deprimendi, quum & multa veteris synagogae de Messia testimonia, ibi occurrant. *Varia sacra*, vir doctus inquit, *forte appellaueris, si phrasi, nostra aetate recepta, vti placuerit:* putatque, totam illam collectionem diuersis auctoribus esse acceptam ferendam, qui diuersis temporibus vixerint, quorum alii mischnicis, alii gemaricis scriptoribus propiores, aut ab iisdem remotiores fuerunt. Horum deinde obseruata in vnam farraginem congesta esse iudicat, vel saltem sensim magis magisque amplificata; suffragante ipsa dictionis varietate, quae in his commentationibus obseruatur. Varias illarum *editiones ibid. p.* 1426. vir diligentissimus recenset.

** Isti *peruschim* non omnes eadem methodo eodemque stilo scripti sunt. *Quidam* sublimiori dicendi genere delectantur, & subtilitatem in commentando amant, traditionesque talmudicas larga manu adiiciunt, vnde alios interpretes desiderarunt, quorum declarationes ביאורים *biurim* vocantur. *Alii* sensui litterali pressius insistunt, grammaticas obseruationes adspergunt, geniumque linguae & idiotismos exponunt, vt obseruat IOAN. HENR. HOTTINGERVS, in *thes. philol. p.* 242.

***Rab-

*** Rabbi SALOMO יצחקי *Isaacides* (ita enim rectius, quam ירחי *Iarchi* dicitur) contracte רשי *Raschi*, patria Campanus, Gallus, anno Christi circiter MXXX. natus & MCV. mortuus est. Aliquamdiu Wormatiae in Germania habitauit, vbi Iudaei adhuc in synagoga quaedam vestigia praesentiae illius ostendunt. Commentariis *in omnes veteris testamenti libros* & maximam *talmudis* partem tantam nactus est apud suos nominis celebritatem, vt communiter פרשנרתה *parschandatha*, siue *interpres legis*, dicatur. Talmudicis tamen traditionibus nimium addictus, conciscoque & perobscuro stilo horridus, aenigmata saepius, quam illustrationes in medium profert; vnde & fuerunt, qui ביאורים *elucidationes* in eius commentarios scripserunt. Quum natione Gallus esset, saepe voces ebraicas בלעז *barbare*, h. e. *gallice*, explicat. Auctoritas eius inter iudaeos maxima est, tum propter scripta quam plurima, tum propter eximiam, qua floruisse dicitur, probitatem & scientiam, qua futuros etiam euentus praedixisse fertur. In latinum sermonem eius commentarios biblicos transtulit, doctissimisque notis illustrauit IO. FRIDER. BREITHAVPT, vir celeberrimus, Gothae MDCCXIII. qui & in praefatione vitam & fata huius iudaei pluribus exponit.

R. ABRAH. BEN EZRA vel integro nomine רבי אברהם בר מאיר אבן עזרה *R. Abraham filius Meier, nepos Ezrae*; patrem habuit *Meierum*, auum maternum *Ezram*, a quo tamen libentius voluit denominari, forte, vt se *lapidem auxilii*, ad iuuandos omnes paratum, ostenderet. Natione fuit Hispanus, ac post varia itinera in insula *Rhodo* habitauit, ibique mortuus est. Scripsit commentarios in *totum vetus testamentum*, quibus חכם *sapientis* nomen apud suos sibi comparauit. Stilus est elegans, sed ad

ad philosophicum dicendi genus attemperatus, & hinc inde obscurus, vnde & ביאורים opus habuit. Sensum grammaticum & litteralem vbique indagat, explosis passim, non sine sale, aliorum allegoriis, vocesque difficiliores ex arabismo saepius illustrat. Floruit paullo post R. Salomonem, seculo XII. Commentarios enim in duodecim prophetas anno MCLVII. absoluit.

R. DAVID. KIMCHI, (contracte רדק *Radak*) filius *Iosephi*, & frater *Mosis Kimchii*, quorum in scriptis suis frequenter meminit. Floruit ille circa finem seculi XII. in Hispania, vbi Kimchiorum familia per multos annos scholis publicis & synagogis praefuit. Commentarios dedit in omnes scripturae libros, (praeter legem,) planos, perspicuos, & stilo biblico plerumque exaratos. Quandoquidem vero principia grammatica linguae ebraeae diligentius, quam alii, excusserat; frequentius, quam par erat, artem suam in commentariis suis ostentat, *qui* proinde, iudice RICHARDO SIMONE, in *histor. crit. veteris testam. lib. III. cap. VI. gratiores forent, si tot minutiis grammaticis carerent.* Interim tantam apud suos famam consequutus est, vt in illum quadrare dicant, quod in *pirke abboth, cap. III. §. XVII.* exstat, אם אין קמח אין תורה *si non est farina, neque est lex:* vnde porro iactant אין קטח בלי קמחי *non esset farina sine* Kimchio, siue *molitore.*

R. LEVIBEN GERSOM (contracte רלבג *Ralbag*) Hispanus, arte medicus, circa finem seculi XIII. clarus, scripsit commentarium in *legem*, vbi passim peripateticae philosophiae decreta, scholasticorum more, scripturae sacrae adspergit, miracula pleraque ex causis naturalibus explicat, ad somnia & visiones omnia reducit, variisque erroribus scatet, vt pluribus ostendit IVL. BARTOLOCCIVS, in *biblioth. rabb. part. IV. p. 409. seqq.*

R. ISAAC ABARBANEL, siue, vt alii legere malunt, ABRAVANEL, Lusitanus, A. C. MCCCC XXXVII. natus, copiosos in *pentateuchum*, *prophetas priores* & *posteriores*, in *Danielem*, & *alios* scripturae libros commentarios dedit, in quibus stilo perspicuo & eleganti multas difficultates perite solvit, multasque quaestiones curiosas, ex textus sacri visceribus natas, docte decidit, *quarum* tamen *multitudine saepe lectorem obruit, magis interdum rhetoris, quam interpretis morem sectatus*, vt iudicat RICH. SIMON, *histor. crit. vet. test. lib. III. cap. VI.* Insigni eum elogio ornat AVG. PFEIFFERVS, in *praefat.* ad Abarbanelis commentarium in *prophetas priores*, Lipsiae MDCLXXXVI. recusum, vbi *inter commentatores ebraeorum*, inquit, *si subtilitatem ingenii, dexteritatem iudicii, εὐμεθοδίαν, πολυμάθειαν & ῥαδιομάθειαν spectes, facile eminet* DON ISAAC ABARBANEL, *Hispanus, qui ante duo secula floruit, & anno Christi* MDIX. *mortuus est. Immo quod alias de Maimonide Scaliger olim dixit, idem nos in alio scriptionis genere de Abarbanele adseuerare nulli dubitamus, quod scilicet inter interpretes diffusiores ferme vnus nugari desierit.* Paullo aliter tamen de illo iudicat IVLIVS BARTOLOCCIVS, *biblioth. rabb. part. IV. pag. 875. Fuit vir perspicui sed pessimi ingenii: in labore studiorum infatigabilis, ieiunii patientissimus, vigiliis adsuetus, ita vt insomnes noctes studii gratia traheret: scripturarum vero sacrarum diligens, sed plerumque mendax explanator;* vbi nimirum odio religionis Christianae abripitur. HIERONYMVM ab eo lectum fuisse, multa scriptorum ipsius loca produnt. Videatur IO. HENRICI MAII dissert. *de vita & scriptis Abrabbanelis.* Eius in prophetiam *Haggai* commentarium, speciminis caussa, latinitate donauit IO. ADAMVS SCHERZER, in *trifolio orientali.*

R. SA-

R. SALOMO BEN MELECH, Hiſpanus, ſeculo XVI. clarus, vniuerſum codicem ebraeum breuibus ſcholiis illuſtrauit, quibus ex Pſal. L, 2. nomen מכלל יפי *michlal iophi* impoſuit, optimasque obſeruationes grammaticas ex *Kimchii* ſcriptis adſperſit. † R. IACOB ABENDANA *ſpicilegium* adiecit, ſed admodum ſterile ac ieiunum. Profeſſores Leidenſes, ABRAHAMVS HEIDANVS, IAC. GOLIVS, IOAN. COCCEIVS, & ALLARDVS VCHTMANNVS in epiſtola, editioni Amſtelodamenſi praefixa, honorifice admodum de iſthoc opere ſentiunt, teſtanturque, *auctorem in eo egregia ὑπομνήματα in difficiliora ſelectaque ſcripturae veteris teſtamenti loca & verba congeſſiſſe, eaque diuerſorum optimis interpretationibus illuſtraſſe.*

Sunt & alii iudaeae gentis doctores, qui ſuis ſcriptis aliquam ſcripturae lucem foenerari ſtuduerunt, vt R. MARDOCHAI NATHAN, qui ſeculo XV. primus *concordantias ebraeas* concinnauit. R. MOSES BEN NACHMAN, ſeu Nachmanides, ſeculo XIII. qui ביאור על התורה *elucidationem in legem* ſcripſit, in qua tamen allegoricis & cabbaliſticis interpretandi legibus nimis indulget. R. MOSES ALSCHECH, circa finem ſeculi XVI. clarus, qui, teſte *Buxtorfio*, commentarios in vniuerſum V. T. ſcripſit, quos ſpecioſis ſubinde titulis, vt *multitudo margaritarum*, *ſpecula militantium*, cet. exornauit. R. BECHAI, qui circa annum MCCXCI. floruit, commentariumque in *legem* ſcripſit intellectu ſaepe, ob interſperſas ſubtilitates cabbaliſticas, difficilem, & nonnumquam in Chriſtianos acerbiorem.

† Titonibus ſtudii rabbinici ſufficere poteſt hic liber, cum *bibliis rabbinicis Buxtorfianis* coniunctis; de quibus videatur reuer. WOLFII *bibliotb. ebr. part. II. pag.* 375. & 10. FABRICII *hiſtor. biblioth. ſuae, part. I. pag.* 1.

Neque MOSES MAIMONIDES (*Rambam*) silentio praetereundus est, qui suo *more nebochim*, siue *doctore perplexorum*, quem IOANNES BVXTORFIVS in latinam linguam conuertit, magnam famam adquisiuit, in quo multas non contemnendas obseruationes hermeneuticas tradit, & ea, quae in scripturis difficiliora, ambigua & aequiuoca, sunt, enodare studet. Patriam habuit Cordubam Hispaniae vrbem, vbi post annum MCXXIX. natus creditur. Ingenium philosophicum nactus, variorum librorum lectione illud excoluit, cumque plurimum linguarum, arabicae praesertim, studio artem medicam coniunxit. Laudatur in eius scriptis singularis perspicuitas, genusque orationis cohaerens, fusum, ornateque fluens. In definiendis tamen vocum significationibus nimium metaphysicis subtilitatibus indulget, patrumque traditiones mediocri reuerentia prosequitur, atque, iudice RICHARDO SIMONE, *nescio quid ex Aristotele & scriptura compositum miscet, quod non omnibus sapit;* in *histor. crit. veter. testam. lib. III. cap. XVIII.* Addatur vener. IOAN. FRANC. BVDDEI *philos. ebr. §. XXXI. p. 154. seqq.* & reu. IO. CHRIST. WOLFII *biblioth. ebr. part. I. pag. 834. seqq.* & quae *supra* diximus *cap. VI. §. VIII. pag. 550.*

Vberiorem notitiam commentatorum ebraeorum suppeditabit SCHABTAI BEN IOSEPH, in *bibliotheca rabinica*, quam *siphte ieschenim*, seu *labia dormientium* inscripsit; & Amstelodami MDCLXXXI. publicauit. Vbi *part. I. cap. II.* recenset litterales & cabbalisticos commentatores in omnes libros V. T. IO. HENR. HOTTINGERVS in *biblioth. orientali cap. I.* NIC. ANTONIVS, in *bibliotheca hispanica*, vbi iudaeorum hispanorum, qui seculo XIII. XIV. XV. floruerunt, vitam & scripta diligenter narrat. RICH. SIMONIVS in *hist. crit. vet. test.* in adpendice

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0694
DFG

dice ad librum III. *p.* 144. ed. lat. neque clar. IOAN. GOTTLOB CARPZOVIVS, in *introduct. ad libros canonicos V. T.* iudaeos singulorum librorum interpretes recensere neglexit; vt de *bibliothecarum ebraearum* conditoribus, IO. BVXTORFIO, IVL. BARTOLOCCIO, CAROLO IOSEPHO IMBONATO, IO. CHRISTOPH. WOLFIO nunc nihil dicamus, vid. supra *pag.* 533. Adde IOAN. FRID. MAYERI *biblioth. biblicam diss. II.*

§. V.

Longe vberior est inter *Christianos* interpretes commentariorum seges, ex quibus primo nobis loco recensendi sunt, qui *integrum sacrum codicem*, saltem maximam eius partem, illustrauerunt. *

* Inter PATRES primae ecclesiae nullus exstitit, qui integram scripturam commentariis explanauerit; interim non pauci fuerunt, qui de multis libris bene meriti sunt, in quibus principem locum tenent ORIGENES, HIERONYMVS, AVGVSTINVS, CHRYSOSTOMVS.

Et ORIGENES quidem diligenti studio in sacras litteras incubuit, propriam magis meditationem, quam alios duces sequutus. Ex eius commentariis summa vbique tum in sacris, tum in profanis eruditio elucet, summa ingenii vi & amplitudine suffulta. Platonica philosophia imbutus, allegoriis plus, quam par erat, indulgebat, hac scilicet arte scripturam, quae gentilibus simplex & humilis nimium videbatur, quodammodo commendaturus. Non tamen prorsus litteralem sensum repudiabat, ad quem indagandum non deerat diligentissimo viro aliqua linguae ebraeae peritia, quamuis graece multo doctiori. Opera eius exegetica iunctim edidit, doctissimoque adparatu instruxit PETRVS DANIEL

HVETIVS, qui & de Origenis methodo exegetica pluribus agit.

HIERONYMVS, latinae ecclesiae Origenes, ebraicae linguae peritia Origene superior; subtilitate tamen & ingenii acumine inferior erat. Sensum ille litteralem studiosius sectatur, quamuis nec ab allegoriis abhorreat, quae tamen Origenianis praestantia plerumque cedunt. Erat ille ebraice, graece, syriace, latine satis doctus, in profanis auctoribus multum versatus, & non omni gustu critico destitutus, quem in diiudicandis variorum versionibus frequenter adhibebat. Optandum esset, doctissimum patrem diutius sua meditatum fuisse: nimis enim festinanter, quae vel apud alios legerat, vel a iudaeis acceperat, dictando rursus effundebat, vnde & magna in sentiendo inconstantia in eius scriptis animaduertitur. Commentarii in *prophetas* reliquis eius laboribus exegeticis praeferuntur.

AVGVSTINVS, vigore ingenii ac iudicii soliditate excellens, non solum in suis de *doctrina Christiana* libris egregias scripturam interpretandi regulas dedit; sed etiam ipse ad scripturae explicationem animum adplicuit, quamuis, quae eius erat modestia fatetur, necessarias sibi dotes ad hoc negotium deesse. In graecis enim litteris parum, in ebraicis nihil praestiterat. Hinc opus in genesin, a manichaeorum criminationibus vindicandam, ipsius vires excedebat; vnde non erubuit damnare, quae nimis festinanter scripserat, atque *lib. I. retractationum c. XVIII. In iis*, inquit, *scripturis exponendis tirocinium meum sub tantae sarcinae mole succubuit.* Quae erat ingenii ipsius sagacitas, difficultates in scripturis facilius inueniebat (immo nonnumquam fingebat) quam soluebat. Commentarii eius in *psalmos*, allegoriis, argutiis, paronomasiis, aliisque ingenii lusibus, pleni sunt, quos linguae originalis ignorantia plerumque pariebat. Magis saepe scripturam ad

suas

suas ideas, quam suas ideas ad scripturam adcommodat, atque in numeris praesertim mira mysteria quaerit.

CHRYSOSTOMI commentarii, seu homiliae, admiranda eloquentia insignes, moribus potissimum formandis inseruiunt, quamuis litteralem sensum, vbi ita expedire censet, non prosus negligat. Ita igitur ORIGENES doctrina, HIERONYMVS linguarum peritia, AVGVSTINVS ingenii acumine, CHRYSOSTOMVS facundia & elegantia in dicendo excellunt.

Plerique patres post Origenem eius commentationes exscripserunt & in suos vsus conuerterunt; inter quos HILARIVS, BASILIVS, AMBROSIVS, CYRILLVS Alexandrinus, THEODORETVS (qui prae ceteris sensum *litteralem* sectatur) EVSEBIVS CAESARIENSIS, GREGORIVS NYSSENVS, ac NAZIANZENVS, THEOPHYLACTVS, CASSIODORVS, PROCOPIVS, aliique in scripturis interpretandis, dissimili tamen studio ac fructu, laborauerunt, de quibus omnibus sigillatim dicere, instituti nostri leges non permittunt. In examinanda ac diiudicanda patrum methodo curiose versatur RICHARD SIMON, in *historia critica commentatorum praecipuorum vet. ac noui testamenti*, quam LEONH. CHRISTOPHORVS KÜHLIVS, lingua vernacula, in compendium redegit, quod etiam, quamuis strictius, facit MART. CHEMNITIVS, in orat. *de lectione patrum*, quae ven. RECHENBERGII *historiae eccles.* subiuncta est. Adde SIXTI SENENSIS *bibliothecae sanctae librum IV.* & IO. GOTTLOB CARPZOVII *introduct. ad libros canonicos V. T.* vbi singulis libris biblicis etiam commentatores ex *patrum* numero subiungit. Iungantur, qui de *catenis* & *bibliothecis patrum* ex instituto egerunt THOM. ITTIGIVS, & IO. CHRIST. WOLFIVS. Ceterum de

patrum commentariis recte iudicat MART. LVTHERVS, *comm. in geneſ. II. p. 27. Labores patrum venerari decet; fuerunt magni viri, ſed tamen homines, qui labi potuerunt, & lapſi ſunt.* Adde ven. CHRIST. MATTH. PFAFFII *introd. ad hiſtoriam theol. litterariam lib. I. §. XII. p. 66.* & quae *ſupra* diximus *p. 56. 79. 101.*

Inter PONTIFICIOS multi vniuerſam ſcripturam explicare adgreſſi ſunt. Nota eſt *gloſſa ordinaria* ex variis antiquis doctoribus collecta, quae a nonnullis WALAFRIDO STRABONI, monacho Fuldenſi, Rabani Mauri diſcipulo, ſeculo IX. ſub Ludovico pio inclareſcenti, adſcribitur: a qua gloſſa interlinearis diſcernenda, quae ANSELMVM, *Laudunenſem*, circa ſeculi XI. & XII. confinia viuentem, auctorem habuiſſe dicitur. NICOLAVS DE LYRA, ex Lyra, Normanniae vico, oriundus, e Iudaeo Chriſtianus, & odinis minor. S. Franciſci frater, anno Chriſti MCCCXL. defunctus, in vniuerſam ſcripturam *poſtillas perpetuas* ſcripſit, in quibus ſenſum litteralem, adhibitis ſaepe rabbinorum obſeruationibus, pro conditione illorum temporum, diligenter indagat, quo nomine etiam LVTHERO, *comm. in Gen. IX.* laudatur, qui & *tom. VI. altenb. germ. p. 1073. eum eximie* dicit *interpretari vetus teſtamentum, quum ſe opponat iudaeis, & ductum noui teſtamenti ſequatur; non item, quum ſuum R. Salomonem exſcribat:* huius enim veſtigiis ita vbique fere inſiſtit, vt eius *ſimiae* a nonnullis adpelletur. Iactatur vulgo proverbium; *ſi Lyra non liraſſet, Lutherus non ſaltaſſet;* quod tamen parum vero conſentaneum eſſe ABR. CALOVIVS, *bibl. illuſtr. tom. I. praeloqu. p. 9.* iudicat: qui *Conferant*, inquit, *obſecro pontificii ea, quae* LVTHERVS *in libros biblicos & ſententias ſcripturae edidit, cum his, quae in poſtillis* LYRANI *occurrunt, & monſtrent, vbi ſaltet Lutherus ad liram Lyrae. Id certe num-*

numquam docebunt, quod dicterio probroso indicant, nimirum Lutherum inuenire sine Lyra haud potuisse scripturae sensum. Id autem verius inuenient, LYRANVM *saepe saepius delirare; vbi contra* LVTHERVS *concentum prophetarum & apostolorum, & harmoniam totius scripturae perennem, sapienter obseruauit.* Aduersarium ille ac censorem nactus est PAVLVM BVRGENSEM, ex conuerso iudaeo episcopum, qui plurima Lyrani loca saepe non infeliciter sub censuram vocauit; vti contra MATTHAEVS DORING, Saxo, Lyranum sodalem, defendere suscepit, qui tamen, litterarum ebraicarum expers, totum in nugis scholasticis versatur. Strictiores notas in difficiliora praesertim vniuersae scripturae loca dederunt GVIL. ESTIVS, Batauus, Duacensis academiae cancellarius, & professor theol. primarius, MDCXIII. mortuus, qui litterales patrum expositiones potissimum exhibet; de quibus honorifice sentit, virique candorem laudat beatus SPENERVS, in praef. *der Glaubens-Gerechtigkeit, contra Breuingium.* Porro EMANVEL SAA, Lusitanus, societatis Iesu theologus, MDXCVI. mortuus, *Ant. Possevino* iudice, *gaudens breuitate, adcurate autem seligens, & suo loco disponens e patribus, atque e glossa ordinaria, quae ad institutum faciebant;* item IO. STEPH. MENOCHIVS, Italus, & eiusdem ordinis socius, IO. TIRINVS, Belga, cui *Sam. Maresius* in locis controuersis, *Anti-Tirinum* opposuit. Horum labores in vnam collectionem coniecit IO. DE LA HAYE, Parisiensis lector, concionator regius, & in Gallia minorum procurator generalis, quae anno MDCXLIII. Lutetiae quinque tomis prodiit, sub titulo *biblia magna*, cui anno LX. *biblia maxima* successerunt, nouendecim voluminibus constantia, vbi omisso textu authentio singulis vulgatae versionis commatibus *versiones orientales* & multae *occidentales*, in latinum idioma translatae, tan-

demque notae *Lyrani*, *Eſtii*, *Menochii*, *Tirini* & *Io. Gagnaei* (cancellarii academiae pariſienſis, qui in epiſtolas tantum apoſtolicas apocalypſin animaduerſiones ſcripſit) ſubiiciuntur, de quo tamen ingenti opere, parum praeclare, nec prorſus immerito, iudicat *Rich. Simon.* Inter reliquos commentatores pontificios eminet THOMAS DE VIO, Italus, a patria *Caietanus*, Lutheri σύγχρονος, vir candidus, qui miſſis praeiudiciis & patrum explicationibus, audacter & libere cenſuit, nouum ſenſum, textui conſonum, nec a ſcriptura, nec ab eccleſiae doctrina diſſonum, torrenti doctorum eſſe praeferendum. Eius commentarii in vniuerſam ſcripturam (exceptis cantico, prophetis min. & apocalypſi) quinque tomis Lugduni MDXCIII. iunctim prodierunt. ISIDORVS CLARIVS *Munſterum* exſcribere ſolet. Neque labores IAC. GORDONI, ANTONII de ESCOBAR & MENDOZA, IO. BAPT. DVHAMEL (qui Biblia vulgatae verſionis ſelectis adnotationibus, ex optimis quibusque interpretibus exceptis, illuſtrata, II. tomis, MDCCVI. Pariſiis edidit) incogniti ſunt: quos tamen omnes mole ſuperant CORNELII A LAPIDE, Belgae, in romano ſocietatis Ieſu collegio ſacrarum litterarum profeſſoris, commentarii, quos in omnes ſcripturae libros (exceptis *Iobo* & *pſalmis*, quibus MDCXXXVII. aetatis anno LXXI. immortuus) copioſiſſimos dedit, qui duodecim tomis ſaepius Antverpiae, Coloniae, Pariſiis ac Lugduni recuſi ſunt; ex quibus *inter multa, a re aliena, non pauca, doctrina atque acumine ſingulari conſcripta*, ſe reperiſſe & decerpſiſſe, *Matthaeus Polus*, teſtatur. Videatur de illo ven. IO. FABRICII *hiſtoria bibliothecae Fabricianae, part. I. p. 262.* & quae ſingulari diſſertatione GE. HENR. GOEZIVS de illis collegit. Neque ſpernenda ſunt, quae *Meſſieurs du Port. Royal.* & AVGVSTINVS CALMET in libros ſacri codicis concinnauerunt, cuius *commentarii* gallici

lici *litterales in omnes vtriusque testamenti libros* primo seorsim, deinde iunctim, pluribus voluminibus prodierunt Parisiis MDCCXX. Plura de hisce, aliisque commentatoribus, interposito passim iudicio, dabit RICH. SIMON, in *hist. crit. vet. test. lib. III. c. XI. XII.* IO. HENR. MAIVS, in *introd. ad. stud. philol. c. XII. p. 94. seqq.* nec non in *praefatione isagogica* ad POLI *synopsin.* & IO. FRID. MAYERVS in *biblioth. bibl. disp. IV. & V.*

Inter REFORMATOS ipse IO. CALVINVS plerosque sacrae scripturae libros interpretatus est, cuius commentarii & homiliae in nitidissima operum eius *editione Amstelodami MDCLXVII. tomos VII.* priores conficiunt. Post hunc FRANCISCI IVNII, theologiae & ebraeae linguae professoris, primum Heidelbergensis, deinde Lugdunensis, & IO. PISCATORIS, philosophiae sacrarumque litterarum in schola Herbornensi professoris, *scholia* & ad vniuersam scripturam *adnotationes*, ab his laudantur, ab illis culpantur. LVDOVICI DE DIEV, Leidensis theologiae professoris, ac LVD. CAPPELLI ebr. linguae ac theol. professoris, in academia Salmurienſi; fratrisque germani IACOBI CAPPELLI, pastoris ac professoris Sedanensis *animaduersiones & obseruationes criticae* multa eruditione orientali refertae sunt. IO. COCCEII *commentarii*, qui V. priores tomos operum eius conficiunt, ob loca de Christo agentia, religiose vindicata, laudandi sunt. Neque contemnendae sunt BELGARVM ad nouam versionem belgicam *adnotationes*, a praestantissimis Belgii reformati theologis, ex synodi Dordracenae decreto, elaboratae, quarum auctores, censores ac fata recenset cl. HENR. LVDOLFVS BENTHEM, in *hollændischen Kirchen- und Schulen-Staat, part. I. c. VII.* & IO. LEVSDENIVS, in *philologo ebraeo-mixto, p. 70.* Illas Belgarum notas SAM. MARESIVS, theologus Groningensis, versioni bibliorum Gallicae Geneuensi,

si, & PAVLVS TOSSANVS, theologus Heidelbergensis, versioni germanicae Lutheri adiecit, quibus & *suas* & *Io. Diodati*, professoris theol. Geneuensis, obseruationis adsperſit; cuius operis postrema & optima editio *Mindae*, MDCCXVII. prodiit. CRITICI SACRI anglicani, exhibent collectionem praestantiorum scripturae interpretum criticorum, quos recenset IO. HENR. HOTTINGERVS, in *bibliothecario quadripartito, c. III. p. 59.* Prodiit illud opus nouem tomis, secundum editionem *Londinensem*, in *Francofurtensi* in septem tomos redactum, quos vir quidam doctus cum septem macilentis Aegypti vaccis lepide comparauit. Insecuta deinde est editio Belgica, cum accessione duorum tomorum, quos etiam Francofurtenses recuderunt. Multa ibi egregia, multa superflua; multa magis necessaria praeterita. Vtilius adhiberi potest MATTHAEI POLI, theologi Londinensis, *synopsis criticorum, aliorumque sacrae scripturae interpretum*, V. volumnibus comprehensa, vbi variae variorum de eodem loco sententiae in compendium, satis nonnumquam mutilum, missae, conspiciuntur, quibus vero nusquam suum iudicium diligens auctor interposuit; qui tamen etiam *adnotationes in biblia sacra*, idiomate anglicano, duobus ingentibus voluminibus, conscripsit, vbi suam de cuiusque loci sensu mentem exponit. Vide quid de *synopsi* iudicet ABR. CALOVIVS, *praeloqu. gen. ad bibl. illustr. p. 10.* & THOMAS CRENIVS in *animaduers. philolog. part. I. p. 46. seqq.* Ceterum de commentatoribus reformatis rursus videatur RICHARD. SIMON, *hist. crit. vet. test. lib. III. c. XIV. XV.* IO. HENR. MAIVS, in *introd. ad studium philol. c. XII. sect. IV. p. 117. seqq.* & IO. FRID. MAYERI *biblioth. bibl. disp. VI-X.*

Neque inter *nostrae eccleſiae* doctores defuerunt, qui sacri codicis libris vniuersis lucem accendere studuerunt; inter quos ipsi MARTINO LVTHERO prin-

princeps locus omni iure concedendus, qui *geneſin, exodum* vsque ad c. XX. *deuteronomiom*, *pſalmorum* plurimos, *coheleth*, *Eſaiam*, *duodecim prophetas minores*, *euangelium Ioannis*, *epiſtolam ad Galatas*, *vtramque Petri*, *& Iudae* integris vereque aureis commentariis illuſtrauit; aliis quoque inſuper ſcripturae capitibus ac dictis largam lucem adfudit, vt ad ductum *indicis Sagittariani*, facile perpetuus in vniuerſam ſcripturam commentarius ex eius ſcriptis confici poſſit, qualem beatum SPENERVM aliquando confeciſſe accepimus. Equidem labores exegetici LVTHERI parum placent RICH. SIMONI, qui *hiſt. crit. V. T. lib. III. c. XIV. p. 61. Nihil*, inquit, *ſublime, nihil excelſum in ipſius commentariis, omnia humilia. Quia theologiae operam nauauerat, rhapſodos quaeſtionum theologicarum potius, quam legitimos commentarios ſcripſit.* Sed totum iſtud iudicium, & quae alia addit maleuoli animi iudicia, ex odio perſonae profecta eſſe oſtendit clar. IO. GOTTL. CARPZOVIVS, in *introd. ad libr. can. V. T. part. I. p. 15.* & ven. PAVLVS ANTONIVS, in *ſpecilegio ad praef. Lutheri in V. T. p. 44.* IO. BRENTII in plerosque libros biblicos *commentarii* exſtant, in quibus ſimplicitas cum ἀκριβεία certat. LVCAS OSIANDER, Tubingenſis theologus, verſionem vulgatam e fontibus emendauit & perpetua paraphraſi ſenſum litteralem neruoſe ac perſpicue reddidit, ac locos communes inſperſit; quod opus, tribus voluminibus conſtans, ſuaſu & auctoritate IAC. VVELLERI, in vernaculam etiam linguam transfudit DAV. FORTNERVS, Luneburgi, MDCLIV. Neque laude ſua defraudanda ſunt *biblia*, ab auſpice ERNESTINA; a ſede principum, qui auſpicem Erneſtum pium attingebant; VINARIENSIA; a loco, vbi typis exſcripta ſunt, NORIMBERGENSIA adpellata, & a theologis ea aetate principibus elaborata, quae primum MDCXL. Norimbergae prodierunt. Hiſtoriam operis & auctо-

auctores notarum, singulis libris adiectarum, adcuratissime recenset EL. MART. EYRINGIVS, in *vita Erneſti pii*, ex qua illorum nomina IO. CHRISTOPH. DORN, in *biblioth. theologica critica*, *lib. V. c. II. p. 26.* ordine recenset. Notae doctorum Ienensium, IO. GERHARDI, in *geneſin*, *Danielem & apocalypſin*, IO. HIMMELII in *aliquos libros hiſtoricos*, SAL. GLASSII in *pſalmos* & *libros Salomonis*, IO. MICH. DILHERRI, in *Iobum*, & PAVLI SLEVOGTI in *Ezram*, *Nehemiam & Eſtheram* reliquis suo merito praeferuntur. VITI EBERMANNI, hominis pontificii, maculas, quas huic operi adſperſerat, singulari apologia IO. MVSAEVS in *vindiciis bibliorum Lutheri* abſterſit; vti BARTHOLDO NIHVSIO os obſtruxit SAL. GLASSIVS, operis poſt Gerhardum director, in *mantiſſa ad philol. ſacr. p. 2078.* Iungatur ven. IO. FABRICII *hiſtoria bibliothecae ſuae*, *part. I. p. 30.* Magni ABR. CALOVII induſtriae res publica chriſtiana duo opera biblica debet. Primum enim verſionem vernaculam ſcholis interlinearibus, ex LVTHERI ſcriptis maximam partem depromtis, locisque parallelis & obſeruationibus textualibus illuſtrauit, quod opus tribus tomis maioribus Witebergae MDC LXXXI. lingua germanica prodiit. In *bibliis* vero *illuſtratis* HVGONEM GROTIVM, cuius integras operi ſuo notas inſeruit (quod *callide* factum putat *Io. Clericus*, Grotii admirator) ſicubi monſtri quid alit, ſub cenſuram vocauit; vbi vero Grotius nihil notarum adiecit, textus difficiliores ſubnataque dubia ſolide ſoluit; atque inprimis loca claſſica, de Chriſto agentia, & a Grotio male detorta, ſuae integritati reſtituit. Satis honorifice de hoc labore iudicat, qui neminem fere ſine cenſura dimittit, RICH. SIMON, *hiſt. crit. comment. V. & N. T. lib. II. c. XLVIII. verſ. germ.* Quid multorum annorum labore in notis perpetuis ad *biblia ebraica Hallenſia*, ſub directione ven. IO.

IO. HENR. MICHAELIS edita, praestitum sit, praefatio, ipsaque libri inspectio, quemlibet docere potest. Sensui grammatico & litterali omnis illa opera impensa, atque ex probatissimis exegetis nucleus & medulla exhibita fuit. Imperfectionis humanae vestigia, si quae occurrunt, qui se hominem esse meminerit, facile excusabit. Plura huc pertinentia dabit ven. IOACH. LANGIVS, in *instit. theol. litter. p. 400. seqq.*

§. VI.

Qui singulos *veteris testamenti* libros interpretati sunt, plurimi inueniuntur; in quibus tamen recensendis non exscribemus amplos commentariorum biblicorum catalogos, a viris doctis adornatos; * sed paucis contenti, selectum vbique instituemus. **

* Ita exstat PETRI BESODNERI *bibliotheca theologica*, seu *index bibliorum praecipuorum, eorundemque interpretum ebraeorum, graecorum, latinorum, tam veterum, quam recentiorum, in certas classes digestorum*, Francofurti MDCVIII. PAVLI BOLDVANI, Stolpensis, *bibliotheca theologica*, seu *elenchus scriptorum ecclesiasticorum illustrium, rabbinorum, patrum, protestantium, qui in sacros libros biblicos V. & N. V. vsque ad annum 1614. commentati sunt*, Ienae MDCXIV. GVIL. GROWAEI, angli, *elenchus scriptorum in scripturam, tam graecorum, quam latinorum, in quo exhibentur eorum genus, patria, professio, religio, librorum tituli, volumina, editiones variae*, Londini MDCLXXII. de quo THOM. CRENIVS, in *animaduers. philol. part. II. p. 110. Guil. Growaei elencho scriptorum in sacram scripturam parum cedere possumus; pauciſſimos enim quia vidit ipse, scatet falsis adlegationibus*: qualem sententiam etiam de illo tulit cl. CAROLVS ARNDIVS, in *bibliotheca Mayeri biblica continuata, p. 6.* Idem praestitit SIXTVS SENENSIS, in

in *bibliotheca ſancta lib. IV.* vbi omnes *catholici* diuinorum voluminum expoſitores ordine alphabetico enarrantur. Item IO. HENR. HOTTINGERVS, in *bibliothecario quadripartito, lib. I. c. VI. p. 180.* GISBERTVS VOETIVS, in *bibliotheca ſtudioſi theologiae, lib. II.* IO. WILKINS, in *eccleſiaſte ſect. III. p. 131.* ex editione germanica HENR. ITTERSHAGENII, qui iſtum catalogum paſſim auxit. RICH. SIMON, in *hiſtoria critica vet. & noui teſtamenti;* nec non in *hiſtor. crit. commentatorum V. & N. T.* vt de GE. DRAVDII *bibliotheca claſſica,* MART. LIPPENII *bibliotheca theologica,* ANT. POSSEVINI *bibliotheca ſelecta,* EPHRAIMI PRAETORII *bibliotheca homiletica,* GE. IAC. SCHWINDELII *compendieuſen Prieſter-Bibliothec,* & *realen Prieſter-Bibliothec,* ſimilibusque ſcriptis, nihil dicamus. Ex recentioribus laudandus cel. IO. ALB. FABRICIVS, in *bibliotheca graeca lib. IV. c. V. p. 203.* cl. IO. GOTTLOB. CARPZOVIVS, in *introd. ad libros canon. V. T.* IO. CHR. DORN, in *biblioth. theol. critica lib. VII. c. I. ſeqq.* & IAC. LELONG *part. II. bibliothecae ſacrae, p. 1087. ſeqq.* vbi tamen in ſcriptis Germanorum recenſendis minus adcuratus, correctricem venerandi BOERNERI diligentiam exſpectat, nec non ven. IOACH. LANGIVS in *inſtitutionibus ſtudii theologici litterariis, ſect. V. p. 381. ſeqq.* Addatur IO. FRID. MAYERI *biblioth. biblica,* a CAR. ARNDIO continuata, & reu. IO. CHR. WOLFII *biblioth. ebr. part. II. p. 275.* vbi adcurata legitur *deſignatio alphabethica ſcriptorum, qui interpretes ſcripturae ſacrae recenſuerunt,* it. ven. PFAFFII *introd. tom. I. p. 140.*

** In libros *Moſaicos* ex noſtratibus poſt IO. BRENTIVM, DAVIDEM CHYTRAEVM, & CHRISTOPHORVM PELARGVM, IO. AD. OSIANDER, theologus Tubingenſis, vberrimum *commentarium* dedit,

dit V. tomis maioribus Tubingae impressum, MDCXXVI. & ven. IOACH. LANGIVS, in *Mosaischen Licht und Recht*. Ex *Reformatis* FRANC. IVNIVS, HENR. AINSWORTH, anglus, & FRANC. BVRMANNVS laudandi sunt; † quibus ex coetu *remonstrantium* additur IO. CLERICI *commentarius philologicus*, noua versione, paraphrasi perpetua, & notis criticis instructus, cuius secunda editio MDCCX. prodiit, (de qua vide IO. FABRICII *historiam bibliothecae* suae, *part. I. p. 356.* & THEOPH. ALETHAEI *Bericht von alten und neuen commentatoribus, part. II. p. 1.*) *Ex pontificiis* CONR. a LAPIDE, HIERONYMI ab OLEASTRO, IACOBI BONFRERII, & CORNELII IANSENII labores commendantur. Speciatim in *genesin*, post IO. CHRYSOSTOMI LXVII. homilias, beati LVTHERI commentarius succi & eruditionis theologicae plenissimus, nec non IO. GERHARDI & SEB. SCHMIDII *adnotationes* legendae sunt, quarum illae post eius obitum MDCLIV. istae MDCXCVII prodierunt. Ex *reformatis* IO. MERCERI commentarium *Theod. Beza* edidit Geneuae, MDXCVIII. cui iungatur AVGVSTINI MARLORATI *expositio geneseos ecclesiastica*, & ANDR. RIVETI CXC. *exercitationes in genesin*, quae *tom I. operum* exstant. Neque IO. LIGHTFOOTI obseruationes in genesin, a CL. SIGISMVNDO HOSMANNO in germanicum idioma cum adnotationibus translatae, & operibus IEAN D'ESPAGNE subiunctae, vulgaria continent. Multum etiam lucis IO. HENR. HEIDEGGERVS in doctissima *historia patriarcharum* huic libro adfundit; †† quod argumentum etiam rev. CONRAD. MEL CXXXVIII. *concionibus* pertractauit. Ex *pontificiis* BENED. PERERIVS, Hispanus, e soc. Iesu, edito

† IACOBVS SAVRIN difficiliora pentateuchi loca in *LXX. discursibus* illustrauit.

†† In nostra ecclesia POLYC. LYSERVS, senior, iusto commentario genesin illustrauit editis *vitis patriarcharum*, Lipsiae 1604. & seqq.

IV. tomorum commentario, instar omnium esse potest. In *exodum* exstat IO. BRENTII duplex commentarius, cuius viri scripta exegetica, dudum a Luthero nostro summo opere commendata, succi pleniſſima sunt; (vid. ven. AVG. HERM. FRANCKII *monita pastoralia* §. *XLIII. seqq.*) Addatur IO. FOERSTERI *diexodus exodi.* Ex *reformatis* IOS. SIMLERVS & ANDREAS RIVETVS; ex *romanistis* IO. LORINVS, vir diffusae lectionis, sed mediocris iudicii, huc referendus. In *leuiticum* WOLFG. FRANZII tum *commentarius*, Wittebergae MDCXV. vulgatus, tum *schola sacrificiorum*, legi potest. IO. SPENCERI opus, † *de legibus ebraeorum ritualibus* & *earum rationibus*, magna eruditione instructum, caute tractandum est. Ex *pontificiis* IO. LORINI ampliſſimus in *leuiticum* commentarius, Antverpiae MDCXX, fol. recusus, habetur. In *numeros* CHRISTOPHORVS PELARGVS; ex *anglis* GVIL. ATTERSOL, cuius comm. in belgicum etiam idioma, MDCLXVII. traductus est; ex *pontificiis* rursus IO. LORINVS commentatus est. *Deuteronomion* post MART. LVTHERVM, *tom. III. ienens. lat.* WOLFG. FRANZIVS in *XV. disputationibus ad deuteronomion*, & IO. GERHARDVS opere posthumo vsque ad caput XXVII. perducto explicauit; quibus ex *reformatis* IO. WOLPHIVS, Tigurinus, IAC. ALTINGIVS, & in postrema capita IO. COCCEIVS; ex *pontificiis* IO. LORINVS iungi possunt.

Libros historicos vniuersos *commentario critico & philologico* illustrauit IOANNES CLERICVS, qui MDCCVIII. prodiit, (vid. THEOPH. ALETHAEI *Bericht von den vornehmsten commentatoribus, part. II. p.* 40.) cui FRANC. BVRMANNI *opera biblica* iungi possunt. In *Iosuam* IO. ADAM OSIANDER, ex *refor-*

† Cuius noua & auctior editio prodiit Cantabrigiae, MDCCXXVII, fol. curante LEONH. CHAPPELOW, Tubingae nuper recusa, cum praef. *Pfaffiana.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0708
DFG

formatis LVD. LAVATERVS, LXXIII. *homiliis* in hunc librum editis, & ANT. KLINGLER; ex *pontificiis* ANDR. MASIVS & IAC. BONFRERIVS reliquis palmam praeripiunt. De libro *iudicum* SEB. SCHMIDIVS, edito MDCLXXXIV. erudito commentario bene meritus est; cui ex *reformatis* PETRVS MARTYR, ex *pontificiis* ALPHONSVS TOSTATVS, & EMANVEL de NAXERA, III. tom. fol. addi possunt. In librum *Ruth* ex nostris SEB. SCHMIDIVS, anno MDCXCVI. & IO. BENED. CARPZOVIVS, in *collegio rabbinico - biblico in libellum Ruth*, Lipsiae MDCCIII. edito; ex *reformatis* IO. DRVSIVS & GERH. OVTHOVIVS, in commentario belgico, Amstelodami MDCCXI. excuso; ex *pontificiis* NICOLAVS SERARIVS & CASPAR SANCTIVS commentati sunt. In libros *Samuelis* exstat commentarius HIERONYMI WELLERI, & SEB. SCHMIDII, anno praeteriti seculi LXXXVII. & LXXXIX. Argentorati luci expositus; ex *reformatis* PETRI MARTYRIS & IO DRVSII; ex *pontificiis* FRANCISCI DE MENDOZA & CASPARIS SANCTII, qui in *IV. libros regum* amplos commentarios dedit. Libros *regum* praeter BALTH. BIEDEMBACHIVM, HIERON. WELLERVS & SEB. SCHMIDIVS illustrarunt, quorum ille moribus formandis, hic philologiae potissimum intentus fuit; quibus PETRVM MARTYREM, IO. WOLPHIVM & IACOBVM BONFRERIVM adiungere licet. Libri *chronicorum* paucos admodum habuerunt interpretes; quod plerique fortassis sibi persuaderent, omnia iam in libris Samuelis & regum occupata esse, quae hic occurrunt. Inter iudaeos ISAAC ABARBANEL *praef. in libros Sam. fol. 74. col. 4.* fatetur, se nullum reperire potuisse in hos libros commentarium, nisi *pauca verba* KIMCHII, *quae profundum non petant*; immo ipsemet suum peccatum confitetur, quod in hunc diem istos libros non

legerit, nec meditatus sit. Interim vicem commentarii supplere potest *chaldaica paraphrasis*, A M A T T H. FRID. BECKIO cum versione & eruditis notis primum edita Augustae Vindelicorum, MDCLXXX. cui ex *nostris* ER. SARCERII commentarius, & in priorem librum ven. IO. HENR MICHAELIS, in posteriorem *nostrae* adnotationes iungi possunt. Adde ex *reformatis* LVD. LAVATERI commentarium Heidelbergae MDXCIX. recusum. In *Ezrae, Nehemiae* & *Estheris* libros ex *nostris* videatur IO. BRENTIVS, iusto tamen hic breuior, & quae in *Ezram* ven. IO. HENR. MICHAELIS, *nos* in *Nehemiam* & *Estherem* commentati sumus, in *adnotationibus vberioribus in hagiographa vol. II. & III.* Ex *reformatis* IO. WOLPHIVS ac LVD. LAVATERVS, & in *Estherem* IO. DRVSIVS ac IO. CLERICVS; ex *romanistis* CASP. SANCTIVS, DIONYSIVS CARTHVSIANVS, NICOL. LOMBARDVS, aliique conferantur.

Pergimus ad libros *dogmaticos* & *poeticos*. Atque *Iobum* quidem, librum difficillimum, interpretatus est SEB. SCHMIDIVS, anno MDCXC. ven. IO. HENR. MICHAELIS, in *adnot. vberioribus ad hagiographa, vol. II.* & vernaculo sermone PAVLVS EGARDVS, ad aedificationem maxime intentus. Ex *reformatis* praeferendi sunt reliquis IO. MERCERVS IO. COCCEIVS & THEODORVS ANTONIDES; neque FRID. SPANHEMII *historia Iobi*, & AIB. SCHVLTENS *animaduersiones philologicae in Iobum* contemnendam lucem huic libro adfundunt; de quo inter *pontificios* CASP. SANCTIVS & IO. DE PINEDA bene mereri studuerunt. *Psalmorum* liber plurimorum interpretum studium exercuit, inter quos ex iudaeis eminet DAV. KIMCHI, ex *nostris*, post IO. BVGENHAGIVM, IO. ARNDIVS, MARTINVS GEIERVS & ven. IO. HENR. MICHAELIS, in

in *adnot. vber. vol. I.* ex *reformatis* AVGVSTINVS MARLORATVS, HENR. AINSWORTH, HENR. HAMMONDVS, Angli, & in primis SALOMO VAN TILL, cuius commentarius ex belgico in germanicum idioma, quamuis parum apte, translatus est; ex *pontificiis* IO. LORINVS, cuius commentarius III. voluminibus formae maioris constat, SIMEON DE MVIS, Gallus & THOMAS LE BLANC, cuius commentarius *VI. tomis* Lugduni MDCLXV. seq. prodiisse dicitur. Ad *prouerbia* illustranda animum adiecit MART. GEIERVS, & CL. CHRISTIANVS BENEDICTVS MICHAELIS, in *adnot. vber. ad hagiographa*, *vol. I. ex reformatis* THOMAS CARTWRIGHTIVS, LVD. LAVATERVS, IO. MERCERVS; ex pontificiis RVDOLPHVS BAYNVS, cuius commentarius Parisiis MDLV. editus, etiam *criticis sacris* insertus est. In librum *Coheleth* siue ecclesiasten Salomonis, post MART. LVTHERVM, *tom. III. ien. lat.* legendus MART. GEIERVS & SEB. SCHMIDIVS, MDCXCI. quibus *nostrae* adnotationes, si placet, iungi possunt, *in adnot. vber. ad hagiogr. vol. II.* † Ex *reformatis* IO. MERCERVS, THOMAS CARTWRIGHTIVS & CONR. MEL; ex *romanensibus* IO. DE PINEDA & CORN. IANSENIVS huc pertinent. In *cantico* exponendo laborauerunt ex *nostris* pauci, memoratu digni, praeter CASP. HEVNISCHIVM, qui *commentarium apocalypticum in canticum* scripsit, Lipsiae MDCLXXXVIII. Ex *reformatis* plures, inter quos reliquis praestant THOMAS BRIGHTMANNVS, HENRIC. AINSWORTH, anglus, cuius commentarius breuis, sed elegans & lectu dignus, germanico habitu indutus prodiit. item IO. MARCKIVS, NIC. LYDIVS, & ABR. HELLENBROECK, cuius *belgica* explicatio

† Add. IO. FRANCKII *systema ethices diuinae, s. commentarius acroamaticus in librum Cobeleth* MDCCXXIV. editus.

cantici prodiit Roterodami MDCCXVIII. Ex *pontificiis* IO. MALDONATVS, IO. DE PINEDA, CORN. IANSENIVS & IAC. BENIGNVS BOSSVET laudantur, vt alios plurimos taceamus, qui hic plerumque in laudes Mariae, Deiparae, luxuriante calamo exspatiantur.

Sequuntur *prophetarum* vaticinia, inter quos *Esaias* interpretes prae ceteris nactus est IO. BRENTIVM, IO. FORSTERVM, AVG. VARENIVM, THEOD. SCHNEPFIVM, SEB. SCHMIDIVM, cuius tamen commentarius, anno MDCXCV. a SANDHAGENIO editus, pari cum aliis cura non elaboratus esse iudicatur. Ex *reformatae* ecclesiae doctoribus solus sufficit CAMP. VITRINGA, inter nostri seculi ornamenta referendus, cui ABR. HELLENBROECK, iungi potest. Ex *pontificiis* CASP. SANCTIVS, LEO DE CASRTO, FRANC. FORERIVS & HECTOR PINTVS Commemorandi sunt. In *Ieremiae* vaticinium IO. HÜLSEMANNVS, cuius commentarius, *Calovio* curante, Rudolstadii prodiit, Lipsiae MDCXCV. recusus, & SEB. SCHMIDIVS, anno MDCLXXXV. commentatus est; ex *reformatis* HENR. BVLLINGERVS, & ELBERTVS NOORDBEECK, Belga, Franequerae MDCCII. ex *pontificiis* CHRISTOPH. A CASTRO & MICH. GHISLERIVS, qui *catenam patrum* in hunc prophetam III. voluminibus edidit. Ieremiae *threnos* IO. HVLSEMANNVS, IO. TARNOVIVS, CHRISTIAN. BENED. MICHAELIS, in *adnot. vber. ad hag. vol. II.* HVGO BROVGTHONVS, anglus, & IO. MALDONATVS, pontificius, illustrauerunt. Nouissime WILH. LOWTH anglica *prophetiae* & *threnorum Ieremiae* expositio prodiit Londini, MDCCXVIII. Prophetiae *Ezechielis*, ab HIERONYMO olim commentario inlustratae, *tom. III.* ed. Benedictin. *p. 698.* admodum adhuc incultae & neglectae iacent. Quae enim ex nostris MATTH. HAFENREFFERVS Tubingae MDCXIII,

MDCXIII, fol. dedit, tantum ad *nouem* postrema *capita*, siue *templum Ezechielis* pertinent, cui argumento etiam peculiari scripto belgico CAMP. VITRINGA, & LEONH. CHRISTOPH. STVRMIVS, lucem adfundere studuit. vide tamen IO. FRID. STARCKII *commentarium in Ezechielem* integrum, nuper Francofurti editum. Ex pontificiis HIERON. PRADVS & IO. BAPTISTA VILLALPANDVS, socii Iesu, amplissimos in Ezechielem commentarios condiderunt, ita vt *Pradus* priora XXV. capita, reliqua *Villalpandus*, aequali filo & communicatis consiliis enarraret, quod splendidum opus Romae MDXCVI & MDCV tribus tomis prodiit. Interim in *tres* illos *prophetas maiores* videri possunt, quae satis copiose in *bibliis ebraicis Hallensibus* adnotata sunt. *Danielem* exposuit MART. GEIERVS, in praelectionibus academicis in Danielem, IO. SVANINGIVS, Danus theologus, & CHRISTIAN. BENED. MICHAELIS, in *adnot. ad hag. vol. III.* Inter reformatos IVSTVS HENR. IVNGMANNVS, qui *Danielem modo nouo adque hactenus inaudito* (vt titulus promittit) *historice ac theologice referatum* edidit Cassellis, MDCLXXXI. cui ex anglis THOM. BRIGHTMANNVS, HVGO BROVGTHONVS, ANDR. WILLETVS, EDW. WELLS iungendi sunt. † Ex *pontificiis* BENED. PERERIVS & CASPAR SANCTIVS, qui in omnes prophetas commentatus est, sufficere possunt.

Prophetas *minores* omnes, post MART. LVTHERVM, POLYC. LYSERVS, IO. TARNOVIVS, Rostochiensis theologus, & IO. SCHMIDIVS; ex *reformatis* IO. COCCEIVS & IO. DRVSIVS, criticae rei intentus; ex *pontificiis* FRANC. RIBERA & CASP. SANTIVS commentariis illustrauerunt; quibus addantur, quae in *bibliis ebr. Hallensibus* copiose adnotata sunt. Speciatim *Hoseam* exposuit SEB. SCHMIDIVS, MDCLXXXVII. EDVARDVS POCOKIVS, anglus, cuius doctissimum commentarium *acta eruditorum* recensent ad *ann. LXXXVI. p. 576. seqq.*

† Ic. SAM. CHANDLER, qui auctoritatem antiquitatemque vaticiniorum *Danielis* aduersus Collinum vindicauit, 1728.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0713
DFG

necnon ANDR. RIVETVS, IO. MARCKIVS & FRANC. VAVASSORIVS, in operibus, anno MDCCIX. Amstelodami editis. *Ioelem* explanauit IO. HENR. VRSINVS, IO. MARCKIVS, EDVARDVS POCOKIVS, commentario anglice scripto, sed in latinum sermonem Lipsiae MDCXCV traducto, IO. IAC. SCHVVRMANN, cuius in Ioelem commentarius belgico idiomate prodiit Vesaliae, MDCCIII. *Amosum* illustrauit IO. BRENTIVS, cuius comm. cum praefatione Lutheri Wittebergae MDXXX. & deinde saepius prodiit; post hunc IO. MERCERVS, IO. MARCKIVS, THEOD. VAN TOLL, *reformati*, quorum postremus Belgicam dedit Amosi expositionem, Traiecti ad Rhenum, MDCCV. quae in *actis Lipsiensibus* ad hunc annum, *p. 487.* valde commendatur. *Obadiam* explicauit MICH. LEIGH, Hafniae MDCXCVII. AVG. PFEIFFERVS, qui in criticis & philologicis versatur, & IO. WILH. ZIEROLDVS: quibus ex *reformatorum* numero iungi potest IO. RAYNOLDVS, anglus, & maxime GERHARD. OVTHOVIVS, Belga, cuius commentarius Groningae MDCC prodiit. *Ionae* librum commentario illustrauit IANVS BIRCHERODIVS, theologus Hafniensis, MDCLXXXVI. adde AVG. PFEIFFERI *praelectiones in prophetam Ionam*, Wittebergae, MDCLXXI. & BALTH. SCHEIDIVS in *comm. philologico-historico.* Argentorati, MDCLIX. *Michae* oraculis lucem adfundere studuit THOMAS BANGIVS, cuius exstat *fontium Israelis trias, Ionas, Micha, Ruth*, Hafniae MDCXXXI. & ALB. GRAVERVS, Ienae MDCXIX. & THEOD. VAN TOLL, verbi diuini minister Woudenbergensis, Traiecti MDCCIX. *Nahumi* vaticinia CONR. DIETERICVS, MATTHIAS HAFENREFFERVS, IO. HENR. VRSINVS, AD. WILDIVS ac PETRVS VAN HOECK, quibus ex *Romanensibus* HECTOR PINTVS, Lusitanus, & AVGVSTINVS de QVIROS, iungi possunt. In *Habakukum* commentatus est MATTH. HAFENREFFERVS, & SAL. VAN TILL, qui in *phosphoro prophetico* Mosis & Habakuki vaticinia illustrauit, qui liber Lugduni MDCC. lucem

lucem adspexit. *Zephaniam* BRANDAN. HENR. GEBHARDI variis disputationibus, maximam partem antiiudaicis, illustrauit, cui PETR. VAN HOECKE iungendus est. In *Haggaeum* scripsit AVG. VARENIVS, & FRANC. WOCKENIVS, Lipsiae MDCCXIX. *Zacharias*, vates insignis & intellectu difficilis, multorum virorum doctorum ingenia prouocauit. Ex *nostris*, post FRID. BALDVINVM, SAM. BOHLIVS, commemorandus, cuius *analysin & exegesin Zachariae*, vsque ad cap. VIII, perductam, ZACH. GRAPIVS absoluit & edidit MDCCXI. Addatur cum AVG. VARENIO, FRID. ERN. MEISII vernacula prophetiae Zacharianae elucidatio, Lipsiae MDCCVI. Maiori adparatu ex *reformatis* rem adgressus est IO. BIERMANN, HENR. BOEKHOLT, cuius Zacharias, belgice explicatus, prodiit Amstelodami MDCCXVIII. & SAM. SZATHM. NEMETHI, theologiae in collegio reformato Claudiopolitano professor, cuius commentarius cum praefatione ALEX. ROELII *de praestantia, necessitate & vtilitate studii prophetici*, Vltraiecti MDCCXIV. vulgatus est. *Malachiae* explanando intenti fuerunt AVG. VARENIVS, in *collegio canonico quatuor nouissimorum V. T. prophetharum*, & SAM. BOHLIVS; quibus ex *reformatis* IO. MARCKIVS, ac SAL. VAN TILL in *Malachia illustrato*, nec non ELBERTVS NOORDBEECK † iungi potest. Addatur ABR. GVLICHIVS, qui dedit omnium *librorum propheticorum V. & N. T. compendium & analysin*.

De libris *apocryphis* vet. testamenti non est, quod multa moneamus, quos *pontificii* praesertim, qui eos in canonem sacrum intrudunt, curae cordique habuerunt, ex quibus maxime NIC. SERARIVS, & SCIPIO SGAMBATVS, in *archiuis V. T.* conferri possunt. Quibus ex nostris IO. ALB. FABRICIVS, vir clarissimus, & ex anglis IO. RAYNOLDVS, in *censura librorum apocryphorum*, adiici possunt. Qui in singulos commentati sunt, videri possunt in GE. IAC. SCHWINDELII *com-*

† Cuius commentarium in linguam germanicam transfudit, & adnotationibus illustrauit LAVR. HAGEMANN, anno MDCCXXVII.

pendieusen Prieſter-Bibliothec p. 95. ſeqq. & eiusd. *vollſtændigen Prieſter-Bibl. p. 389.*

§. VII.

Neque defuerunt, qui *noui foederis* libros, ſiue in vniuerſum omnes *, ſiue ſingulos, ** interpretari, locisque obſcurioribus integris commentariis lucem aliquam infundere, quamuis non pari omnes ſucceſſu, ſtuduerunt; ex quorum numero rurſus dabimus potiores.

* Inter *patres* IO. CHRYSOSTOMVS heic nominandus eſt, cuius explanationes in N. T. graece ac latine prodierunt cum commentario ANDREAE CAESARIENSIS in *apocalypſin:* de quibus videndus RICH. SIMON, in *hiſtoria critica commentatorum N. T. lib. II. c. XI. ſeqq.* verſ. germ. Ex *noſtris* MATTHIAE FLACII *gloſſa in N. T.* multa bonae frugis continet, quocum ERASMI SCHMIDII, viri graece doctiſſimi, *notae* poſthumae in *N. T.* conferendae ſunt, nec non IO. REINHARDI HEDINGERI piae ac perſpicuae *adnotationes ad N. T.* Ex Zwinglii & Caluini aſſeclis HENR. BVLLINGERVS & THEODORVS BEZA praeferendi ſunt, quorum hic ad philologica, ille ad practica intentior fuit: neque BENED. ARETII, Bernenſis, meditationes, & AVG. MARLORATI *expoſitio N. T. catholica*, e probatiſſimis theologis collecta, ſpernendae ſunt. HENR. HAMMONDI *paraphraſin & adnotationes ad N. T.* IO. CLERICVS ex anglico in latinum ſermonem transtulit, paſſimque auxit & caſtigauit. Ex *pontificiorum* ſchola, poſt BENED. ARIAM, Montanum, ALPHONSVS SALMERON, Toledanus, in N. T. commentatus eſt. LAVRENTII VALIAE & DESIDERII ERASMI, Roterodami, *adnotationes* nimis ſteriles & criticis ſubtilitatibus refertae ſunt. Praeter hos vero *criticas* & philologicas obſeruationes nouo teſtamento adſperſe-

runt

runt IOACH. CAMERARIVS, DAN. HEINSIVS, in *exercitationibus sacris*, BALD. WALAEVS, IO. DRVSIVS, IO. PRICAEVS, LVDOVICVS & IACOBVS CAPELLVS, LVD. DE DIEV, NORTONVS KNATCHBVL, anglus & alii, qui in *criticis sacris anglicanis* comparent. Neque contemnendas notas, sed cum iudicio theologico legendas, nouo testamento, in linguam *gallicam* translato, AMELOT, DAV. MARTIN, IO. CLERICVS, BEAVSOBRE & LENFANT, viri clarissimi, adiecerunt. Plures dabit cl. IO CHRISTOPH. DORN, in *biblioth. theologico-critica lib. VII. c. III.*

** Inter libros noui foederis primum locum occupant *historici*; vbi in *quatuor euangelistas* loco omnium esse potest *harmonia IV. euangelistarum*, a MART. CHEMNITIO inchoata, a POLYC. LYSERO continuata, & IO. GERHARDO absoluta; nec non illustris, litterarumque sacrarum, dum viueret, amantissimi viri CAROLI HILDEBRANDI DE CANSTEIN opus harmonicum elaboratissimum, ex *Speneri* aliorumque scriptis exegeticis maturo iudicio collectum. Reliquos harmoniarum conditores † ordine chronologico IOAN. MICH. LANGIVS, & ordine alphabetico IAC. LE LONG in *biblioth. sacra part. II. c. VIV.* recenset. Speciatim *Matthaeo* facem accendit IO. BRENTIVS, GOD. OLEARIVS, in *observationibus sacris in Matthaeum*, multa eruditione refertis & GE. MICH. LAVRENTIVS; †† ex *reformatis* ABR. SCVLTETVS, SAL. VAN TILL, & IO. HVYSINGA nominandi. In *Marcum* aliquid commentatus est IO. WINCKELMANNVS, GE. FRID. HEVPELIVS & GE. MICH. LAVRENTIVS. In *Lucam* IO. BRENTIVS, FRANC. GOMARVS, & quae IO. LIGHTFOOT in *horis ebraicis & talmudicis* ex iudaeorum monumentis ad illum illustrandum depromsit. *Ioanni* explicando operam de-

† Quibus se nuper adiunxit V. CL. IO. REINH. RVSIVS, cum industria in hoc campo versatus.

†† Adde reu. IO. CHR. WOLFII *curas philol. in 4. evang. & acta.*

dederunt IO. BRENTIVS, GE. MYLIVS, PAVL. TARNOVIVS, & SEB. SCHMIDIVS, in *paraphrasi evangelii Ioannis*, quae in germanicum etiam idioma traducta, prodiit Halae MDCCXVI. Ex *reformatis* huc pertinet DAN. HEINSII *aristarchus sacer ad* NONNI *in Ioannem metaphrasin*, & HERO SIBERSMA, concionator, Amstelodamensis, qui dedit *euangelium Ioannis ex Mose & prophetis explicatum*, quod ex belgico in vernaculam linguam translatum Basileae prodiit MDCCXVIII. † *Acta* apostolorum IO. BRENTIVS *CXXII. homiliis* explanauit, quae & linguam germanicam versae, ac Noribergae MDII. excusae sunt. Triumuirorum IO. GERHARDI, DAN. ARCVLARII & IO. CANVTI LENAEI in acta adnotationes iunctim edidit IO. FECHTIVS Hamburgi, MDCCXIII. His IO. LVD. LINDHAMMERI commentarius germanicus, studiosissime elaboratus, addendus est. Ex *reformatis* conferri meretur HENR. BVLLINGERVS, CASP. STRESO, & inprimis GERBRANDVS VAN LEEVWEN, qui paraphrasi & notis eruditis hunc librum belgico sermone explicuit, Amstelodami MDCCIV. in linguam germanicam etiam transfusis. Addatur PHIL. A LIMBORCH eruditus commentarius. Ex *pontificiis* IO. LORINVS, CASP. SANCTIVS & IO. STEPH. MENOCHIVS reliquis praeferuntur. Add. ARNALDI & SACY *expositio exegetica & moralis*, ex gallico sermone in germ. transfusa.

Interpretes *epistolarum Paulinarum* ex instituto critice recensuit IO. CHRISTOPH. WENDLERVS, in *prodromo bibliothecae biblicae*. In *omnes* PAVLI *epistolas* commentati sunt ex *patribus* CHRYSOSTOMVS, THEOPHYLACTVS, OECVMENIVS & alii; ex nostris FRID. BALDVINVS, AEGIDIVS HVNNIVS, & GE. MICH. LAVRENTIVS, cuius commentarii, methodo analytica scripti, Halae prodie-

† Addendus est FRID. ADOLPH. LAMPII *comment. analytico-exegeticus in Euangelium secundum Ioannem*, qui & in *proleg. tom. I. p.* 247. exhibet historiam criticam commentatorum in Ioannem, per omnia secula deductam. Germanica etiam lingua ille comm. prostat.

prodierunt. † Neque GE. CALIXTI & IVSTI CHRISTOPH. SCHOMERI ſuccinctae adnotationes ſpernendae ſunt. Ex *reformatis* ANDR. GERH. HYPERIVS, IO. COCCEIVS, DANIEL WHITBY & EDVARD. WELIS, angli, quorum vterque commentarium & paraphraſin in omnes Pauli epiſtolas, ille Londini MDCC, hic ibidem MDCCXIV. vulgauit. Ex *romanenſibus* IACOBVS FABER, Stapulenſis, GVIL. ESTIVS, NATALIS ALEXANDER & CONR. A LAPIDE inſpici poſſunt. Sed ad ſingula deſcendendum eſt. Epiſtolam ad *Romanos* ex noſtris, poſt PHIL. MELANCHTHONEM, & IO. BRENTIVM, IAC. WELLERVS MDCLV. expoſuit, quem commentarium, cui pro more illorum temporum multa polemica admixta ſunt, *Thomas Crenius* omnibus docti illius theologi lucubrationibus praefert, in *animaduerſ. hiſtorico-philol. part. I. p. 51.* & in exerc. *de libris ſcriptorum optimis.* SEB. SCHMIDIVS tantum in 6. *priora capita* prolixe & ſolide commentatus eſt, neque AVG. VARENII *analyſis* ac PHIL. IAC. SPENERI paraphraſis contemnenda. Ex *reformatae* eccleſiae doctoribus GERBRANDVS VAN LEEVWEN, MARCVS VAN PEENE, eccleſiae Lugduno-Batauae miniſter, SERVATIVS HAZEVOET, & qui ceteris anteferendus IAC. ALTINGIVS, quin & IO. LOCKIVS & PHIL. A LIMBORCH hic diligentiam ſuam exercuerunt. Ex *pontificiis* IAC. SADOLETI, Carpentoratenſis epiſcopi, commentarius ſtilo puriſſimo & magno candore confectus dicitur. Neque *Sociniani*, FAVSTVS SOCINVS, IO. CRELLIVS, IONAS SCHLICHTINGIVS hanc epiſtolam intactam reliquerunt. In vtramque ad *Corinthios* exſtat PHIL. IAC. SPENERI *paraphraſis*, ex germanico in latinum verſa ab ill. SECKENDORFIO, MDCXCI. Priorem ex *reformatis* THEODORVS ACKERSLOOT; poſteriorem SIMON VAN ALPHEN, vtramque IO. BIERMANN & MARTINVS KONING, bellico omnes

† Adde ven. IOACH. LANGII *apoſtoliſches Licht und Recht* ſiue comment. germ. in omnes epiſtolas apoſtolicas.

omnes commentario illustrauerunt. Idem tentauit HENR. BARILLON, episcopus Luconensis, cuius minori forma prodiit, *conference ecclesiastique sur l' epitre aux Corinthiens*, Parisiis, MDCCIV. Epistolam ad *Galatas* scriptam AVGVSTINVS, & Augustini discipulus, MART. LVTHERVS, expositit, qui ter in illam est commentatus, anno seculi decimi sexti XIX. & XXIV. & XXXV. Prior ille commentarius tanto adplausu fuit exceptus, vt in hispanicum etiam & gallicum idioma transferretur. Huic SEB. SCHMIDII, & PHIL. IAC. SPENERI adcuratissimi in hanc epistolam labores, quibus ne verbulum quidem intactum relinquitur, iungantur: nec non IO. GVIL. BAIERI & FRIDER. WEISII adnotationes. Inter reformatos THEOD. ACKERSLOOT, IO. *van der* WAYEN, STEENGRACHT & SERVATIVS HAZEVOET cum laude nominandi sunt. IO. LOCKIVS maxime occupatus est in nexu ratiocinationum Pauli detegendo, quamuis, exigua linguarum originalium notitia instructus, nonnumquam cespitet, vt ipse fatetur IO. CLERICVS, Lockii admirator, in *biblioth. selecta*, *tom. XIII. p. 174. 176.* Epistola, ad *Ephesios* data, commentatores nacta est IO. TARNOVIVM, THEOPH. GROSGEBAVER, PHIL. IAC. SPENERVM, IO. ANDR. GLEICHIVM, ex *reformatis* prae ceteris DAV. KNIBBE, GARBADE, PETR. DINANT & SERVATIVM HAZEVOET, cuius commentarius belgicus doctissimus Lugduni MDCCXIV. prodiit. ALEXANDER ROELLIVS tantum 14. *priora capitis primi commata* amplissimo commentario collustrauit. † Epistolae ad *Philippenses* lucem praesertim accendit IO. TARNOVIVS & IO. ANDR. GLEICHIVS, XXXV. homiliis, Dresdae MDCCV. editis; ex *reformatis* PETRVS VAN DER HAGEN (in vernaculam quoque linguam MDCCX. tra-

† SAL. van TILL. commentarium posthumum in *I. Cor. Ephes. Phil. et Col.* DAN. BEDBER edidit, Amst. 1726.

traductus) & SERVATIVS HAZEVOET. Commentarios in epistolam ad *Colossenses* dederunt PHIL. MELANCHTON, qui a B. FRANCKIO laudatur in *monitis pastor. §. XLVII.* it. SEBAST. SCHMIDIVS (anno MDCXCI.) PHIL. IAC. SPENERVS & FRANC. IVLIVS LÜTKENS; ex *reformatis* IOAN. DAVENANTIVS, IOAN. DALLAEVS, DAV. KNIBBE & IO. D' OVTREIN. Litteras, ad *Thessalonicenses* exaratas, explanauit IOAN. GE. WEINRICHIVS, Lipsiae MDCXV. SEBAST. SCHMIDIVS breues *paraphrases* scripsit, commentario in ep. ad Colossenses iunctas; ex *reformatis* praestat ABR. SCVLTETVS, GVIL. SCLATERVS, anglus & ARNOLDVS LANDREBEN. In vtramque ad *Thimotheum*, post FRID. BALDVINVM, IOAN. GERHARDVS aliquid commentatus est, & IO. QVISTORPIVS; ex *reformatis* ABR. SCVLTETVS, ANDR. GERH. HYPERIVS; & MATT. GARGON; *ex pontificiis* CLAVDIVS ESPENCAEVS, celebris seculo XVI. ecclesiae gallicanae theologus, THVANO iudice, *cordatus* (abusus enim ecclesiae romanae, eiusque pastorum, grauiter reprehendit) *sed propterea a cardinalitia dignitate exclusus*. Idem etiam in ep. ad *Titum* commentatus est, vti ex nostris ven. IOACH. IVSTVS BREITHAVPT in exercitatione exegetica, FRANC. IVL. LÜTKENS, IOAN. FECHTIVS in *idea veri ecclesiae ministri*, & IO. IOACH. ZENTGRAVIVS; ex anglis IO. WALLISIVS, vir mathematum & theologiae peritus. Epistolam ad *Philemonem* explicauit SCIPIO GENTILIS, iurium consultus graece doctissimus, cuius commentarius MDCXVIII. Norimbergae excusus est, IO. FECHTIVS item & IO. HENR. HAEVECKERVS. Diuina ad *ebraeos* epistola, illud Socinianorum flagellum, & Christianorum cabbala denudata, multorum diligentiam in se conuertit. Ex nostris maxime commemorandus IO. GE. DORSCHAEVS cuius

ius prostat *commentarius apodictico-analytico-exegeticus*, a IO. CHRIST. PFAFFIO ad finem perductus, & anno MDCCXVII. editus & SEB. SCHMIDIVS, qui hoc commentario palmam reportauit; neque CONR. HORNEII expositio litteralis, CASP. ERASMI BROCHMANNI commentarius posthumus, & IO. HENR. MAII *paraphrasis* contemnendam lucem huic scripto apostolico adferunt. Ex *reformatis* laudari meretur IO. BRAVNIVS, qui antiquitatum iudaicarum notitiam copiose adspergit, & Socinianorum detorsiones refellit: THEOD. ACKERSLOOT, ex belgica in germanicam linguam translatus, Bremae MDCCXIV. IO. D' OVTREIN commentarius, etiam germanice versus, concionatoribus inseruire potest. Neque CHRISTOPH. WITTICHII, PET. VAN HOECKE, CLEM. STRESONIS, IO. CREYGHTONI, GVIL. VERMATEN commentationes spernendae sunt. Adde ex *Arminianis* PHIL. A LIMBORCH, & ex *pontificiis* FRANC. RIBERAM, quem RICH. SIMON reliquorum fratrum commentariis praefert.

Neque reliquae *epistolae catholicae* neglectae iacent, quas EILHARDVS LVBINVS, CONR. HORNEIVS & IO. ANDR. GRAMMLICH ad vsum & praxin adcommodare studuerunt. Speciatim in epistolas *Petrinas* instar omnium sunt IO. GERHARDI & IOACH. LANGII commentarii, omni laude maiores, quibus ex *reformatis* CLEM. STRESO, DOMINIC. GOLZIVS, & THEOD. ANTONIDES iungi possunt. *Iohanneas* epistolas, SEB. SCHMIDIVS, PHIL. IAC. SPENERVS, ven. MICH. CHRISTIAN RVSMEIER, Gryphiswaldensium theologus doctissimus, & ven. IOAH. LANGIVS illustrauit in *exegesi epistolarum Ioannis, qua superuacuis omissis, praeter ostensam singulorum membrorum συνάφειαν & analysin, cuiuslibet loci vocisque ac locutionis genuinus sensus, nec non emphasis ac parallelismus secundum fontem graecum solide ac perspicue eruuntur, omniaque ad christianismi praxin, cum vberiori sapientiae ac prudentiae studio con-*

coniungendam, sincere adplicantur, Halae, MDCCXIII. Ex *reformatis* IO. CREYGHTON & IOH. VAN STAVERN. In epistolam *Iacobi* scripsit CASP. ERASM. BROCHMANNVS, CHRISTOPH. SAM. MARTINI, THEOD. ANTONIDES & CREYGHTON, Eranequerae, MDCCXIV. quibus SEB. SCHMIDII *analysis & paraphrasis* huius epistolae iungi potest. Epistolam *Iudae* iuuare studuerunt IO. GE. DORSCHAEVS, HERM. WITSIVS in *meletematibus Leidensibus, p. 451. seqq.* & IO. CREYGHTON. Exstant etiam ABR. CALOVII & IO. FECHTII exegeticae in hanc epistolam *dissertationes*. † *Apocalypsis*, liber difficillimus & aenigmaticus, multorum ingenia exercuit. Inter *nostrates* praecipui sunt MATTHIAS HOE, cuius comment. cum praef. MART. GEIERI recusus est. HIERON. KROMEYERVS, PEGANIVS, hoc est, CHRISTIAN KNORR A ROSENROTH, CASP. HEVNISCHIVS, IO. GVIL. PETERSEN, ven. IO. GVSTAV. REINBECK, im *Hebopfer sect. XVI. XVII. XVIII.* & ven. IOACH. LANGIVS, in *apocalyptischen Licht und Recht*. Inter *reformatos* HENR. A DIEST, IOSEPHVS MEDVS, PATRICIVS FORBESIVS, IO. MARCKIVS, *van* WESEL, IO. CASP. SVICERVS, in *fatis orbis & ecclesiae*, IO. FRITSCH, RVARDVS ANDALA, & qui iudicii integritate & historicae eruditionis adparatu reliquos omnes vincit CAMP. VITRINGA, cuius *anacrysis apocalypseos*, post duas editiones Batauas, etiam Leucopetrae recusa est; quae vtinam a pontificiis omnibus diligenter legeretur. Inter hos ipsos vero pontificios inprimis FRANC. RIBERA ac LVD. AB ALCASSAR hunc librum adgressi sunt, quem postremum, iudice *Rich. Simone*, BOSSVETVS in commentario gallico passim, sed infeliciter, sequitur, vt *Vitringa* hinc inde demonstrat. Fieri enim non potest, vt genuinus ciuis ecclesiae Romanae hunc librum recte exponat.

† Addc CL. HENR. ANDR. WALTHERI commentar. 1727. editum.

Haec de praecipuis & selectis in omnes libros biblicos commentariis. Crisin singulis addere euitandae prolixitatis studium haud permittit. Peti illa ex parte potest ex RICH. SIMONIS *hist. crit. commentatorum V. & N. T.* IO. CHR. DORNII *biblioth. theol.* & IO. CHRIST. WENDLERI *prodromo bibliothecae biblicae.* Sed recordandum est lectori, aliorum iudiciis, maxime de libris nondum inspectis, non semper esse tuto fidendum.

§. VIII.

Fuerunt alii, qui non commentarios, sed *paraphrases* * in integros libros biblicos, siue ligata, ** siue soluta oratione, *** adornauerunt, ex quibus genuinus dicti alicuius sensus sine negotio hauriri, & vno veluti conspectu menti exhiberi commode potest.

* Paraphrasin FAB. QVINTILIANVS *instit. orat. lib. X. c. V.* ita describit: *Neque ego παράφρασιν esse interpretationem tantum volo, sed circa eosdem sensus certamen atque aemulationem.* Est nimirum *paraphrasis* illud interpretandi genus, quo verba scriptoris sacri singula, totamque adeo orationem, aliis verbis exprimimus, & quae aut breuius, aut obscurius ab eo dicta sunt, per circumscriptionem quamdam clariore sermone illustramus, idque orationis serie continua & numquam interrupta. Licet igitur paraphrastae, vt THEMISTIVS adserit in *praefatione ad paraphrasin posteriorum analyticorum Aristotelis*, seruata semper eiusdem sensus integritate, prolixa substringere, pressa & concisa libere dilatare, omissa supplere, hiantia explere, inuoluta & obscura apertis & conspicuis verbis illustrare, & decora sermonis elegantia exornare, atque ea, quae longe inter se dissita & nullo ordine disposita videntur, connectere, & in ordinatam seriem disponere. Qua tamen libertate in oraculorum diuinorum para-

paraphrasi parcius cautiusque vtendum est. Solet quidem a paraphrasi alias *periphrasis*, *ecphrasis*, *metaphrasis* distingui, vt *metaphrasis* vocetur illud interpretandi genus, quo, prout se dederit occasio, fontibus vel adduntur aliqua venuste, vel detrahuntur, ac oratio soluta in ligatam formam transfertur: sed dudum viri docti obseruarunt, haec nomina saepissime inter se commiscri ac permutari. Est vero paraphrasis alia historica, alia textualis. *Historica* dicitur, quae historice persequitur argumentum libri, vel capitis, simulque mentem auctoris perspicuis verbis exhibere adnititur: quales paraphrases singulis fere paginis occurrunt in b. IO. HENR. MAII *oeconomia temporum V. ac N. T.* *Textualis* est, quum quis, adsumta quasi scriptoris sacri persona, filum totius orationis presse sequitur, vocesque ac phrases omnes, paululum circumscriptas, clarius exprimere studet. Estque rursus α) *adstrictior*, quae nihil aliud est, quam liberior quaedam *translatio*, qualis est ONKELOSI in pentateuchum. β) *diffusior*, quae & *exegetica* dici possit, vbi quidquid in propositionibus obscurum, ambiguum, emphaticum est, in verba clariora & propria conuertitur, emphasis enucleatur, apte omnia connectuntur, & scopi adfectuumque ratio dilingenter habetur. Addimus exemplum, quo media via inter adstrictiorem fusioremque methodum obseruatur. Apoc. II, 8. *Praefecto ecclesiae Smyrnensis, eiusque in labore sociis, haec scribito. Ista dicit* IESVS CHRISVS, *qui ante res creatas ab aeterno exstitit, rebusque omnibus superstes erit, mortuus olim propter peccata mundi, nunc vitae redditus glorioſae.* v. 9. *Noui optime & adprobo tua opera, adflictiones tuas, paupertatem externam, licet bona gratiae satis abundanter possideas: noui denique conuitia, quibus proscinderis ab iis, qui se Iudaeos, & veros fidei confessores iactitant, quamuis nihil minus sint, quam quod volunt videri, sed potius coetus, cui ipse diabolus, calumniarum auctor, praesidet.* v. 10.

At enim plures tibi exantlandae sunt calamitates, quas tamen extimescere noli. Futurum enim est meo permissu, vt satanas aliquos ex vestro numero per suos satellites, in carceres compingat, vt vestra in fide constantia exploretur: quamuis facturus sim, vt tempus adflictionis illius grauioris ad breue spatium restringatur. In illo igitur certamine fac, vt mihi fidus ad ipsam vsque mortem permaneas, praemio caelestis gloriae a me donandus. v. 11. *Quisquis praeditus est spirituali virtute, spiritualia recte percipiendi, is audiat, quid spiritus Dei omnibus etiam reliquis ecclesiis dicat. Qui enim perseuerauerit, neque succubuerit malis, is eximetur a terroribus & calamitatibus aeterni exitii, meaeque vitae compos reddetur.* Possunt etiam ipsis sacri scriptoris verbis, quae integra retinentur, elucidationis verba commode & artificiose *intertexi*, vt nisi characteribus, forma disparibus, vtraque distincta fuerint, haud facile haec ab illis possint discerni. SIXT. SENENSIS *biblioth. sanct. lib. III. methodo VIII. p. 198.* vocat *paraphrasin intertextam*, & monet KAYNERIVM SNOY, *Goudanum, paraphrasin in omnes psalmos*, hoc modo adornatam, dedisse. Sic Psalmum CXVII. ita παραφράζει: Laudate Dominum *Deum* omnes *totius mundi* gentes. Laudate eum, *atque magnificate beneficia eius, gratis praestita*, omnes populi *Iudaeorum, ad fidem conuertendi.* Quoniam confirmata est *per effectum incarnationis Christi* super nos *fideles* misericordia eius, *& reparatio nostra, misericorditer promissa*, & veritas Domini, *quae Christus est*, manet *nobiscum* in aeternum, *vsque ad consummationem seculi.* Vtilissimam esse paraphrasin adcuratam & perspicuam, nemo dubitabit, inprimis si neque nimis breuis & concisa, neque nimis verbosa fuerit. *Magnae* tamen *artis* magnique laboris est, eam condere, neque quisquam illud cum laude praestiterit, qui non vniuersum adparatum exegeticum illius loci, quem paraphrasi exprimere cupit, in promtu habuerit.

** Non

** Non defuerunt post seculum ecclesiae Christianae quartum (antea enim duriſſimae vexationes id prohibebant) elegantia inter Christianos ingenia, qui ligata oratione res sacras, ac libros biblicos exprimere studebant. Primus fuit APOLLINARIVS, qui sub Constantinis vixit, Laodiceae in Syria lector, & postea episcopus, qui carmine heroico scripsit *psalmorum metaphrasin* luculentam doctisſimamque, quae ex officina Comelini graeco-latine MDXCVI. prodiit. GREGORIVS NAZIANZENVS, Hieronymi praeceptor, de variis argumentis V. & N. T. *libros IX. metaphrasium* reliquit, quae in collectione carminum eius, quae graeco-latine Venetiis MDIV. prodiit, inueniuntur. EVDOCIA, Theodosii iunioris vxor, Leontii, sophistae athenienſis, filia, *Photio* teste, scripsit inter alia *metaphrasin metricam Zachariae & Danielis prophetarum*, quam tamen iniuria temporis nobis eripuit. NONNVS PANOPOLITANVS, Aegyptius, circa Theodosii aeuum, scripsit *metaphrasin metricam in Ioannis euangelium*, quam *Melanchthon* in praefatione ad Nonnum, MDXXVII. editum, *vice prolixi commentarii esse posse* iudicat. Quamuis enim leges metaphraseos non adeo religiose seruet, mira tamen felicitate plerasque sententias illustrauit. *Dan. Heinsius* commentario illam illustrauit, *Aristarchi* nomine insignito, quo philologiae suae supellectilem lectoribus ostentare studuit. Vt nihil dicamus de PETRO EDESSENSI, qui *psalmos* in metrum redegit; de MICHAELE PSELLO, qui *canticum Salomonis* metaphrasi illustrauit, aliisque: quibus ex recentioribus LAVR. RHODOMANNVS, & IO. POSSELIVS, Hesiodi in *metaphrasi euangeliorum* imitator, iungi possunt; nec non IAC. DVPORTI Σωλομῶν ἕμμετρος, Cantabrigiae, MDCXLVI. Sed pluribus post GYRALDVM, VOSSIVM, BORRICHIVM, aliosque, qui historiam poetarum condiderunt, de hoc argumento agit IOAN.

GE. NEVMANN, in diss. *de metaphrastis, qui N. T. graeco carmine expressérunt*, quae exstat in eius *primitiis diss. academ. p. 239.* Neque inter *latinos* poetas tum veteres, tum recentiores, librorum biblicorum metaphrastae defuerunt. Veterum monumenta videantur in *systemate poetarum Christianorum*, quos GEORG. FABRICIVS edidit Basileae MDLXIV. Ista exstant IVVENCI presbyteri *IV. evangelia*, carmine reddita; ARATORIS paraphrasis *actuum* apostolicorum, *quam apostolicam historiam* inscripsit, & alia. Ex recentioribus e. g. FRANC. BONADVS, Augeriae presbyter, dedit *metaphrasin elegiacam epistolarum Paulinarum*, Basileae, MDXXXVII. CASP. BARLAEVS *canticum Salomonis* carmine heroico expressit, quod iunctum est HERM. HVGONIS *piis desideriis*, cum praef. clar. GOD. VOCKERODTI editis. EOBANI HESSI & GE. BVCHANANI *paraphrasis psalmorum* notissima est. † Vener. IOACH. IVSTVS BREITHAVPTVS *prouerbia Salomonis & ecclesiasten*, *metaphrasi epica explanatam*, dedit, qua sensum, *Geiero* ac *Schmidio* duce, feliciter reddit; vt alios nunc taceamus. Exstant etiam paraphrases *germanicis* rhythmis adornatae. De veteribus scripturae sacrae metaphrasibus, circa & post *Ludouici pii* tempora concinnatis, videndus est celeb. DAN. GE. MORHOF, im *Unterricht von der deutschen Sprache und Poesie*, *c. VII. p. 313. seqq.* Recentior aetas plures tulit. Ita ERNESTI LANGII, senatoris Dantiscani, poetica paraphrasis *psalmorum*, illustr. WENCESLAI LVDOVICI, Comitis HENCKEL paraphrasis *cantici Salomonis*, & alia cum iucunditate leguntur. Subiungimus tamen ANDR. IVL. DORNMEIERI, in *philologia bibl. c. XI. p. 92.* non spernendum monitum: *Minus poetis paraphrastis, quam prosaicis, fidendum puto, quoniam fieri vix potest, quin,*

† De poeticis *psalmorum* paraphrasibus vid. SPENERI *kleine schriften, part. II. pag. 36.*

quin, quod ad rem non pertinet, metri (& rhythmi) *occasione accedat.*

*** Inter eos, qui paraphrasibus adornandis calamum adplicuerunt, omnibus fere palmam dubiam reddit ERASM. ROTERODAMVS, cuius *in nouum testamentum* (excepta apocalypsi) *paraphrases* elegantissimae communi orbis christiani adplausu exceptae fuerunt. Proximus huic nitore & perspicuitate IOAN. CLERICVS, qui suo in *pentateuchum* commentario paraphrasin perpetuam inseruit: neque illi, quam *harmoniae euangelicae* adiunxit, nitor & elegantia deest; quamuis aliis naeuis non destituatur, quorum *supra* specimina dedimus, *p. 156.* Idem vir eruditus HENR. HAMMONDI *paraphrasin N. T.* ex anglicano in latinum sermonem transfudit, quae tamen minus impedite fluit, quam, quae elegans Clerici calamus ipse adornauit. Neque sua laude defraudandae sunt LVCAE OSIANDRI in vniuersum codicem sacrum paraphrases: MOSIS AMYRALDI & SAM. BOHLII *paraphrases psalmorum:* IO. HENRICI MAII paraphrasis *epistolae ad ebraeos:* FRANC. VAVASSORIS *metaphrasis Iobi:* SEB. SCMIDII paraphrases in euang. *Ioannis* & aliquot *epistolas*, vt Pauli ad *Thessalonicenses*, 1. ad *Corinthios*, 1. ad *Temotheum*, aliasque, nec non in *pericopas euangelicas & epistolicas*, vernacula lingua adornatas: GE. MICH. LAVRENTII paraphrases, commentario analytico in *omnes epistolas apostolicas* insertae. PHIL. IAC. SPENERI paraphrases in ep. ad *Romanos* & *Corinthios*. REN. ANDR. KORTVMII paraphrases *Iobi* & *Esaiae*. Nec non MARTINI BVCERI, IOAN. FELLI, Oxonienſis episcopi, & DAN. WHITBY paraphrases in *omnes*; ac IO. LOCKII & EDVARD WELLS in *plerasque Pauli epistolas.*

§. IX.

Praeter illos, qui iustis commentariis, aut

succinctis paraphrasibus de libris sacris bene mereri studuerunt, isti etiam obseruandi sunt, qui dictis tantum *obscurioribus* facem accendere, aliisue modis multa sacrarum paginarum loca illustrare sategerunt. *

* Huc pertinent

I. *Qui loca tantum difficiliora ex sacro codice sibi explicanda sumserunt.* vt IOAN. DRVSIVS (al. *von der Driesche*) Flander, primus Oxonii, deinde Franequerae linguae ebraeae professor celeberrimus pauperrimusque, cuius *quaestionum, animaduersionum, responsionum libri tres*, commentarius, *in loca difficiliora pentateuchi*, aliaque (quae recenset ven. MAIVS, in *introduct. ad stud. philol. p. 121.*) inserta sunt *bibliis criticis anglicanis*, quae RICH. SIMON omnium reliquorum criticorum obseruationibus anteponenda statuit. LVD. DE DIEV, Batauus, *Dilhero* sacrae philologiae phoenix dictus, cuius exstant *animaduersiones in loca quaedam difficiliora V. & N. T.* in quibus praecipuum laborem in conferendo textu ebraeo cum aliarum linguarum orientalium versionibus posuit. HVGO GROTIVS (portentosi ingenii iuuenis *Iac. Gilotto*, & portentosae religionis senex *Io. Meursio* dictus) in *adnotationibus ad V. & N. T.* eruditis omnino, si philologiam & antiquitates spectes; quae vero iudaeis saepius, socinianis haud raro, & nonnumquam etiam pontificiis, nimium fauent, vt ABR. CALOVIVS, qui rigido cuncta examini subiecit, puribus demonstrat. THEODORIC. HACKSPANIVS, theologiae & linguae ebraeae professor altorfinus, qui *notis philologico-theologicis* varia difficiliora scripturae loca secundum seriem librorum biblicorum ad euangelium vsque *Ioannis* discussit, quas post auctoris obitum tribus partibus Norimbergae MDCLXVI. *Ge. Koenig*, itidem theologus altorfinus, euulgauit.

SIXTI-

SIXTINVS AMAMA, literarum ebraicarum in academia Franequerana professor, in *antibarbaro biblico*, quo, dum aliquot centurias crassissimorum errorum circa singularium scripturae locorum interpretationem sub censuram vocat, vulgatamque inprimis castigat, plurimam subinde lucem multis scripturae dictis adfundit. ALBERTVS SCHVLTENS, in animaduersionibus ad difficiliora scripturae dicta, multa ex *arabismo* non infeliciter illustrat. AVG. PFEIFFERI *dubia vexata V. T.* notissima sunt, multoque studio ac labore adornata, quamuis difficillima saepe dubia alto silentio praeterierit. Pariter HENR. BENED. STARCKIVS dedit *notas selectas, criticas, philologicas, exegeticas in loca dubia ac difficiliora V. ac. N. T.* vbi vir doctus *ex consilio fontium & interpunctionis authenticae*, multis scripturae locis facem accendit, quod & olim AVG. VARENIVS variis scriptis facere studuit. Ad loca difficiliora N. T. conferantur IAC. CAPPELLI *obseruationes in N. T.* cum LVD. CAPPELLI *spicilegio*, NORTONI KNATCHBVL *animaduersiones*, ALEX. MORI *notae*, PETRI KEVCHENII *adnotata*, IO. FRID. SPANHEMII *dubia evangelica*, IAC. LAVRENTII *Paulus δυσνόητος* cet. Quibus iungendi, qui in *criticis sacris* conspiciuntur SEBAST. MVNSTERVS, PAVL. FAGIVS, ANDR. MASIVS, FRANC. FORERIVS, EDVARDVS LIVELAEIVS, DAVID HOESCHELIVS, IOS. IVSTVS SCALIGER, LAVR. VALLA, IS. CASAVBONVS, alii.

II. *Qui obseruationes sacras, selecta sacra, variae sacra, miscellanea sacra, exercitationes, animaduersiones, cogitationes sacras, & id genus scripta alia dederunt*, in quibus multa scripturae loca ex philologia & antiquitatibus in clariori luce ponuntur. Dabimus, vti se calamo offerunt, potiores. Exstant STEPH. LE MOINE, (siue MONACHI) *obs. ad varia sacra.* NIC. FVLLERI *miscellaneorum librorum libri sex.* IO. BVXTOR-

TOREII, *filii*, *anticritica sacra* & abnepotis *catalecta philologico-theologica*. THOM. GATTAKERI *cinnus*, & *animaduersiones miscellanae*. ARNOLD. BOOTII, *animaduersiones sacrae*. GVIL. SALDENI *otia theologica*. IO. OWENI Θεολογούμενα. ALB. VOGTII *miscellanea biblica*. IO. HENR. VRSINI *analecta*, *miscellanea sacra*, & *paralipomena miscellaneorum*. IOAN. MARCKII *exercitationes textuales scripturariae*, & *biblicae*. IEAN. D' ESPANGE *opera ab* HOSMANNO *lingua vernacula edita*, cuius viri obseruationes multo acumine, sed non pari semper iudicio, pollent. DAN. FESSELII *aduersaria sacra*. SAM. BOCHARTI *hierozoicon*, quo innumeris fere scripturae locis indice teste, lux adfunditur. IO. CLOPPENBVRGII *collationes critic. sacrae per epistolas cum Lud. de Dieu*. IO. HENR. HOTTINGERI *miscellanea analecta cet*. IO. HOORNBECKII *miscellanea sacra*. REIN. VOGELSANGII & HENR. KIPPINGII *exercitationes sacrae*. IOAN. BRAVNII *selecta sacra*. HERM. WITSII *miscellanea sacra*, *meletemata Leidensia*, ac reliqua scripta. LAM. BOS *obseruationes miscellaneae*; item *exercitationes philologicae in N. T.* LAVRENTII RAMIRESII DE PRADO *pentecontarchus*, & PETRI POSSINI *spicilegium euangelicum*; quae duo scripta, *Alex. Mori* in N. T. notis iuncta, recudenda curauit cel. *Io. Alb. Fabricius*. IO. SAVBERTI *palaestra philologico-theologica* & *opera posthuma*. IO. TARNOVII, & IO. HENR. HEIDEGGERI *exercitationes biblicae*. ABR. SCVLTETI *exercitationes euangelicae*. IO. CAMERONIS *myrothecium euangelicum*. BONAVENTVRAE CORNELII BERTRAMI *lucubrationes Franckenthalenses*, a *Theod. Hackspanio* rursus editae WOLFG. FRANZII tract. *de interpretatione*. HENR. SCHARBAV *parerga theologico-philologica*. CAMPEG. VITRINGA, PAVLI COLOMESII, IO. CROII, IO. CASP. SVICERI, AVG. HERM. FRANCKII, IO. HENR. MAII, filii,

GE-

GE. LVD. OEDERI, IO. GREGORII, SAL. DEYLINGII, IAC. ELSNERI, HENR. IAC. VAN BASHVYSEN *obseruationes sacrae.* IO. HENR. MAII, *patris, exercitationum selectarum philologic. & exeg. volumina duo.* IO. D' OVTREIN *specimen obseruationum miscellanearum.* FRANC. WOCKENII *meditationes priuatae.* CORNELII ADAMI *exercitationes exegeticae;* item *obseruationes theologico-philologiae.* SAM. WERENFELSII *opuscula theologico-philologica. Dissertations critiques sur les endroits les plus difficiles de l' Ecriture sainte*, Paris, MDCCXV. IO. VLMANNI *obseruationum philologicarum in difficiliora V. T. loca specimen breuissimum.* THEOPHILI AMELII (h. e. PETRI ZORNII) *Erœrterung der dunckelsten Schrifft-Stellen.* THEOPH. ALETHAEI (h. e. LAVRENTII MVLLERI & IER. FRIDERICI) *gründliche Erleuterung der dunckelsten Oerter des alten und neuen Testaments*, cet. In *bibliotheca* etiam *theologico-philologico-historica*, quae *Bremae* & *Lübecae* prodit, nec non in *miscellanaeis Lipsiensibus & Berlinischen Heb-Opffer* multa scripturae loca illustrari, indices quemlibet docere possunt. †

III. *Qui prolegomena & introductiones historicas ad libros biblicos scripserunt*, ac de singulorum auctoribus, occasione, argumento, stilo cet. scitu necessaria exposuerunt, vt SIXTVS SENENSIS in *bibliotheca sancta.* LVD. ELLIES DV PIN, in *prolegomenis super biblia.* MICH. WALTHERVS, in *officina biblica.* IO. HENR. HEIDEGGERVS, in *enchiridio biblico hieromne-*

† Addi possunt IO. FABRICII *obseru. philol. in* N. T. IO. GODFR. LACKEMACHERI *obseru. philol.* IO. LAVR. MOSHEMII *cogitationes in selecta N. T. loca.* IO. ALBAE *selectae annotationes in varia vtriusque test. loca.* RVARD. ANDALA *exegesis illustrium locorum.* ISAAC SARRAV *pensees.* IO. ESKVCHE *miscellan. sacra.* IO. VAN DER WAYEN *varia sacra.* IO. WESSELII *dissert. sacrae Leidenses ad selecta V. & N. T. loca.* IO. CONR. SCHWARTZII *miscell. philol. & theol.* IO. CHRIST. BLVMII *animaduersiones sacrae*, cet. HENR. SCHARBAV *obseru.* S. CHRIST. LVD. SCHLICHTERI *decimae sacrae.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0733
DFG

romnemonico, qui saepius *Waltheri* vitulo, dissimulato quamuis nomine, arauit, & in recensendis singulorum librorum commentatoribus humani aliquid hinc inde passus est, vt exemplis comprobat clar. THOM. CRENIVS, in *animaduers. historico-philol. part. II. c. IV. §. I.* Coniungendum vero cum illo est SAL. TILLII *opus analyticum*, posthumum, quod commentarii vicem in Heideggeri enchiridion praestare debuit. IAC. FRID. REIMMANNI *bibliſche Fragen über das alte und neue Testament.* CHRISTOPH. ZELLERI, past. Maulbrunnensis, *historia scripturae sacrae* MDCCI. edita. IO. ARNOLDI ZEITFVCHS *bibliſcher Wegweiſer*, altera vice multo auctior editus. Omnes vero industria vicit IO. GOTTLOB CARPZOVIVS, in *introductione ad libros canonicos bibliorum V. T. omnes*; cui vt mox introductio ad libros N. T. succedat, boni omnes exoptant. Plura de huius generis scriptis monet idem vir clarissimus in *praefatione*, quam introductioni praemisit; nec non reu. IO. CHR WOLFIVS in *biblioth. ebr. part. II. p. 257.* qui & ipse *p. 62. seqq.* de singulis ebraei codicis libris eruditissime agit. Addantur prolegomena & praefationes, quae in *bibliis ebr. Hallens. prophetis* maioribus ac minoribus, atque singulis *hagiographorum* libris praefixae sunt.

IV. *Qui dicta classica vel dogmatice pertractauerunt; vel ab aliorum detorsionibus vindicauerunt*, quo pertinet SEB. SCHMIDII *collegium biblicum prius & posterius.* FRANC. IVLII LVTKENS *collegium biblic.* lingua vernacula scriptum. IO. MELCHIORIS *Erklaerung der vornehmſten Sprüche des N. T.* IO. GVIL. BAIERI, altorfini theologi, *analysis illustrium scripturae dictorum.* AMANDI POLANI *exegesis illustrium aliquot vaticiniorum vet. test. de Christo.* IO. HENR. MAII *theologia prophetica & christiana.* PHIL. IAC. SPENERI *vom Mißbrauch gerettete Sprüche heiliger Schrift.* ven. IOACH. LANGII *antibarbarus*, & *cauſſa*

causa Dei tom. II. & III. ANDR. PRVCKNERI *vindiciae biblic.* duobus tomis comprehensae. CHRISTOPH. HELVICI *vindicatio locorum potissimorum vet. test.* GE. KOENIGII *centuria vindiciarum sacrarum.* IO. GROSSII *theatrum biblicum locorum, a falsis interpretationibus vindicatorum.* IAC. MARTINI tract. *de tribus elohim.* ABR. CALOVII *biblia illustrata*, & *socinismus profligatus.* MICH. WALTHERI *spongia Mosaica.* NICOL. ARNOLDI *lux in tenebris.* CASP. CALVOERII *gloria Mosis.* ven. MICH. CHRISTIANI RVSMEIERI *Lehre von der hochheiligen Dreyeinigkeit und ewigen Gottheit Christi*, vbi quam plurima scripturae dicta a socinianorum strophis solide vindicantur & explicantur, cet.

V. *Qui lexica biblica realia scripserunt*, vt sunt MATTIAE FLACII *clauis scripturae.* edit. *Musaei.* PETRI RAVANELLI *bibliotheca sacra*, de qua tamen IO. HVLSEMANNVS in *oratore eccles. p. 66.* RAVANELLI *bibliotheca*, inquit, *caute legenda est; sternit enim viam vniuersae pseudhermeniae testimoniorum biblicorum.* EDVARDI LEIGH *critica sacra*, ab *Henr. a Middoch* ex anglico in latinum sermonem versa, Amstelodami MD CLXXIIX. ac deinde *Gothae* cum additamentis recusa; in qua nonnullas *locutiones suspectas* singulari dissertatione notauit ZACH. GRAPIVS: cum qua iungendae MART. CASP. WOLFBVRGI *obseruationes sacrae in N. T. ad supplendam Leighii criticam sacram*, Flensburgi, MDCCXVII. Porro AD. RECHENBERGII *hierolexicon reale, biblico-theologicum, & historico-ecclesiasticum*, Lipsiae MD CCXIV. *Bibliſches Real-Lexicon*, quod tribus tomis mediae formae *Chemnitii* prodiit, MD CCXV. XIX. XXI. AVGVSTINI CALMET *dictionaire historique, critique, chronologique, geographique & litterale de la bible*, Parisiis MD CCXXII. DAN. SCHNEIDERI *allgemeines bibliſches Lexicon.* Adde, quae *supra* commemorauimus, *p. 375. & 521.*

VI. *Qui*

VI. *Qui certa scripturae loca, in primis difficiliora, peculiaribus dissertationibus philologicis & exegeticis explanauerunt*, vbi maxime commendandae sunt dissertationes IO. BVXTORFII, IO. HENRICI HOTTINGERI, IO. MICH. DILHERI, IO. FRISCHMVTHI, BALT. STOLBERGII, ANDR. SENNERTI, AVG. VARENII, IO. BENED. CARPZOVII, IO. SAVBERTI, SEB. SCHMIDII, THEODORI DASSOVII, aliorumque, quarum breuem catalogum exhibet AVG. PFEIFFERVS, in *crit. sacra c. V. p. 135.* fusiorem vero, secundum seriem librorum biblicorum dispositum, IAC. FRID. WILDESHAVSEN, in *bibliotheca disputationum theologico-philologicarum in Vet. & N. T.* & GE. IAC. SCHWINDELIVS in *der vollständigen und realen Priester-Bibliothec.* Collectio rariorum eiusmodi dissertationum Amstelodami MDCCI. duobus voluminibus formae maioris ptodiit, sub titulo *thesauri theologico - philologici*, collectore GOD. MENTHENO.

§. X.

Quum vero in tanto commentariorum numero non omnes, qui hoc nomen in fronte inscriptum gerunt, probi ac laudandi sint: opus est, certas tenere leges criticas, ad quas cuiuslibet commentarii bonitatem exigere liceat. *

* Requisita ac *virtutes egregii commentarii* sunt:

I. *Studium ordinis*, quem adcurata ac non contorta *analysis* logica, non integri tantum libri, singulorumque capitum, sed & singulorum commatum insigniter iuuat ac regit. Procul dubio ille interpres rectius adcuratiusque incedit, qui ordinem naturae, vt se ideae inuicem excipiunt, vtque vna ab altera pendet; quam qui ordinem verborum rhetoricum sequitur,

quitur, vt vir magnus, SEB. SCHMIDIVS, in suis commentariis facere solet. conf. *supra p. 245.*

II. *Studium soliditatis*, si sensus textus authentici ita eruitur ex visceribus verborum, & in apricum producitur, vt lector de eius veritate conuinci possit. Hinc, *allegoriis illatis* procul facere iussis, opera danda est, vt sensus litteralis, a spiritu sancto intentus, sagacissime indagetur. ERASMI enim ROTERODAMI monitum, in *enchiridio mil. christ. Ex interpretibus diuinae scripturae eos potissimum dilige, qui a littera quam maxime recedunt:* merito a THOM. CRENIO, in *adnimadu. philol. part. VII. p. 189.* & prudentioribus omnibus reiicitur. Hinc porro ab incertis *coniecturis*, maxime in locis intricatioribus, abstinendum, quippe quae nullam vim coniunctionis secum ferunt. Omnia, quantum pote, ex ipsis verbis desumantur, ideae euoluantur, describantur, combinentur, institutaque ex scopo, antecedentibus, consequentibus & paralleliſmo, rationabili apodixi, cuncta confirmentur.

III. *Studium sinceritatis*, vt ne interpres sensum dictorum inflectat ad istius coetus principia, cui adhaeret, sed, proscripto partium studio, veritatem supremam legem esse putet. Non dignus est commentarius, qui inspiciatur, vbi omnia obtorto collo trahuntur ac detorquentur ad sectae praeiudicia; sensusque non effertur, sed infertur: quod in *socinianorum* maxime commentariis luculenter conspicitur.

IV. *Studium breuitatis*, vt neruose omnia, simul tamen sufficienter atque perspicue (ne nouis ביאורים opus sit) proponantur, resectis illis, quae superuacua sunt, & nihil prorsus faciunt ad sensum rectius certiusque perspiciendum. Sunt enim, qui in commentariis *litteraturam rabinicam ac profanam* ostentant: sunt, qui in *locos communes* exspatiantur: sunt, qui, sensu tantisper exspectare iusso, *secus sentientes* alieno prorsus

prorsus loco infectantur, dumque pontificiorum, arminianorum, socinianorum aliorumque errores in suis passim latibulis perueſtigant, a via nimium quantum recedunt: sunt denique, qui *orientalium litterarum* peritiam vbique crepant; de quibus cel. SAM. WERENFELSIVS, in diſſ. *de ſcopo interpretis*, in *opuſculis* iunctim editis *p. 374. Vnde eſt*, inquit, *quod ſaepe ex doctiſſimorum hominum explicationibus tam parum in intelligenda ſcriptura proficis? Scholas reperis theologicas & philoſophicas: dicta inuenis auctorum omnis generis: graeca, ebraica, chaldaica, ſyriaca, arabica. Cernis in his commentariis opus phrygionicum, omnium paene linguarum characteribus variegatum. Vnicum tantum non reperis, ſenſum loci, quem intelligere cupis: plane vt poſt multa nequiquam lecta, tandem iratus comicum illud vſurpes:* Feciſtis probe, incertior ſum multo, quam dudum. *Vnde vero hoc eſt? Inde, quoniam ſaepe his doctis interpretibus magis cordi eſt, cauere, ne qua ſibi ſcientiam oſtentandi occaſio praeterlabatur, quam vt genuinum cuiusque loci ſenſum & reperiant ipſi, & aliis oſtendant.*

V. *Studium aedificationis*, ne ſteriles tantum criſes, & de minutiis grammaticis, aut variis lectionibus altercationes lector inueniat, ſed tum in ipſa rerum euolutione, tum in ſaluberrimis poriſmatibus, inde deductis, animi pabulum deprehendat. Raros eſſe commentarios, his virtutibus ornatos, quis eſt, qui non doleat? CAMPEGII VITRINGA, SEBASTIANI SCHMIDII, MARTINI GEIERI, IOACHIMI LANGII aliorumque paucorum exegeſes in hunc cenſum venire, qui recte iudicant, omnes fatebuntur.

§. XI.

Neque parum vtilitatis exegeſeos ſacrae candi-

candidatus percipiet, si praecipuos *naeuos* commentariorum*, ac *fontes falsarum interpretationum***, quibus multi commentarii scatent, in numerato habuerit, vt illos euitare, rectiusque omnia diiudicare possit.

* *Naevi* & *vitia* commentariorum facile quidem ex oppositis virtutibus §. X. colligi possunt; non tamen superuacaneum erit, illa breuiter indicare. Exhibuit potiora ven. CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS in *notis exegeticis ad euangelium Matthaei, pag.* 48. *seqq.* vbi ad *naeuos interpretum N. T.* ab eo refertur. *I. Eruditionis profanae & rabbinicae adfectatio*, quam in HVG. GROTII aliorumque commentariis conspici monet. *II. Detorsio dictorum ad illius sectae principia, cui quisque adhaeret*, vbi & eos tangit, qui neglecto sensu litterali, promte ex verbis fluente, *digressionibus polemicis* indulgent, & *argutiis scholasticis* suam interpretationem replent, a quibus vtique scriptoris sacri mens plane aliena fuit. *III. Adfectata solutio omnium δυσνοήτων*, vnde emergunt tot interpretationes contortae, quibus nullum sal inest, quum numquam interpretes suam ignorantiam fateri velint. *IV. Excessus in premenda vocum emphasi & proprietate locutionis, vbi vrgenda non erat*, qua ratione saepe difficultates creantur, facile euitandae, si phrasium vim haud pressisses. *V. Nimia superstitio in analysi grammatica, rhetorica, logica*, qua saepe fit, vt sensus fontium ad ideas nostras perperam deflectatur. *VI. Neglectus textus originalis*, quum versionibus aliorumque interpretamentis coeca fiducia adhibetur. Addi his multo plures possent, vt *confusio, farrago variarum sententiarum*, sine *epicrisi* coacernata, *prolixitas* superuacanea, *sterilitas* cet. Iungatur etiam cel. SAM. WE-

WERENFELSII *oratio, de scopo, quem sibi scripturae interpres proponere debet*, in *opusculis p.* 370. & IO. FRID. OSTERWALDI *fontes corruptionis & impietatis publicae part.* II. *c.* VII. *p.* 590. ex verſ. germ. *Ad. Berndii.*

** *Cauſſas* ac *fontes falſarum interpretationum*, ac diuaricationum a textu & mente ſpiritus ſancti, erudite perſequitur ABR. CALOVIVS, in *tom.* I. *bibl. illuſtr. p.* 14. Sunt vero ſequentes: I. *Ignorantia linguarum originalium.* II. *Auctoritas verſionis graecae LXX. interpretum.* III. *Vulgatae verſionis latinae errores multiplices.* IV. *Defectus concordantiarum, quo veteres interpretes laborabant.* V. *Hypotheſis de vario & multiplici ſenſu ſcripturae* allegorico, anagogico, tropologica. cet. VI. *Methodi variae interpretandi ſcripturam*, quarum SIXTVS SENENSIS, in *biblioth. ſacr. lib.* III. vltra LX recenſet, vt *ſtigmaticam, ſyllabicam, lecturalem, pandecſiacam*, cet. iactitans, a nemine ante ſe hanc artem eſſe perſcriptam. VII. *Aberratio a vero ſcopo & obiecto ſcripturae*, CHRISTO. VIII. *Ebraeorum nimia veneratio.* IX. *Ethnicorum ſcriptorum intempeſtiua collatio.* X. *Praeconcepti errores.* XI. *Cacoëthes multiplicandarum queſtionum ex inſana curioſitate.* XII. *Patriſticae & ſcholaſticae theologiae amor nimius.* XIII. *Myſteriorum diuinorum in ſcriptura vel neglectus*, quum occurrunt *vel*, vbi nulla habentur, *ſuperuacanea indagatio.* XIV. *Diſceſſus a proprietate litterae ad figuratas interpretationes.* XV. *Contextus ſcripturae minus adcurata obſeruatio.* XVI. *Verborum & phraſium e diuerſiſſimis locis collatio.* XVII. *Scepticiſmus in ſcripturae interpretatione*, quum non quis hoc vel illo loco verborum ſenſus eſſe *debeat*, ſed quis eſſe *poſſit*, explicatur. Addatur THEODORICI HACKSPANII *interpres errabundus*, IO. CONR. DAN-

DANHAVERI *hermeneuticae sacr. sectio III de parhermenia, p. 467.* & quae de virtutibus ac vitiis exegeseos disserit ven. VAL. ERN. LOESCHERVS, in *breuiario theol. exeg. p. 18. seqq.* nec non quae de βδελύγμασι exegeticis in *relat. innoc.* anni MDCCII. *p. 316.* adferuntur.

§. XII.

Qua in re positus sit commentariorum *vsus*, quisque intelligit. Discimus inde, quem conceptum de huius vel illius loci sensu doctus auctor habuerit: qui si recte ponderetur, & cum aliorum sententiis iudicioſe confe atur, comm dam saepe occasionem praebere potest, altius in veritatem penetrandi. *

* CAMP. VITRINGA, in *typo doctr proph. part. III. c. III. p. 212. Si quis haereat in obscurioribus oraculis; excutiendae & discutiendae atque sub modestum vocandae sunt examen praestantiorum interpretum hypotheses, & rationes, quas pro iis adstruendis adducunt inspiciendae ac χωρὶς πρόκλισεως pensitandae sunt, vt ex earum comparatione eliciatur verum, cuius generis exempla dedi in* anacrisibus; *quas maioribus* apocalypsios & Elaiae) *partibus praemisi. Id qui negligunt, si faueat occasio, manifeste rei sunt superbiae, aut pigritiae, quorum vitiorum neutrum hic est excusabile. - Immo vero in omni disciplina rite tractanda id obtinere debet, vt aliorum profectum commetiamur cum nostro, ne forte deteriora melioribus supponamus.* Adde IO. CONR. DANHAVERI *hermen. sacr. p. 384.* & quae de *vsu commentar. rabb. supra* diximus *c. VI. §. V. p. 541.* quibus iungatur IO. LE CLERICI *philologus ebraeo-mixtus, dissp. XVI. XVII.*

§. XIII.

Denique hic etiam *caute* ac prudenter n cedendum eſt, ne, dum vtilitatem ex aliorum laboribus exegeticis captamus, damnum potius reportemus. *

* I. *Cauendum, ne per commentariorum vſum ab ipſius ſcripturae ſacrae lectione ac meditatione abſtrahamur.* Bene IO. IAC. SCHVDT, in *deliciis ebraeo philol. p. 212. Quod ſi quis linguis originalibus, adeoque textu authentico & ſtudio biblico neglecto commentariis (quae* commenta *quandoque verius, quam* commentaria *ſunt) tantum inhaerere velit, is valde erraret, nec ſcopum commentariorum, qui eſt, lectionem ſcripturae ſacrae faciliorem reddere, obſeruaret.* Vnde modeſte & pie LVTHERVS, *comm. lat. in Geneſ. c. XIX. f 143. Ego ipſe*, ſcribit, *eam ob cauſſam odi meos libros, & ſaepe opto, eos interire, quod metuo, ne morentur lectores, & abducant a lectione ipſius ſcripturae, quae ſola omnis ſapientiae fons eſt.* Adde SIXT. AB AMAMA *antibarb. bibl. lib. I. p. 137.*

II. *Nulli interpretum caecum & ſeruile obſequium addicendum eſt.* Teſtes illi ſunt, non arbitri. Relinquendum eſt iudaeis dignum ſeruili illorum ingenio poſtulatum, credendum eſſe magiſtris, licet dicant, *dextram eſſe ſiniſtram:* qua de re exſtat IO. FRISCHMVTHI diſſ. *an ebraei ſtatuant, idem ſimul eſſe poſſe, & non eſſe?* Auctoritas commentariorum humana eſt, nec ſphaeram humanae fidei ſupergreditur; attamen *poſt ſcripturam magna eſt, & bonae fiduciae confirmatrix, ſi priſca, ſi frequens, ſi adcurata*, vt IO. CONR. DANHAVERVS ait, *herm ſacr p 386.* Idemtidem recordandum eſt verborum apoſtoli I Theſſ. V, 21. πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε.

III. *Ab eorum commentariis, qui ſcripturam ſacram*

sacram ad noxios suos & exitiabiles errores detorquent, vel prorsus abstinendum est, vel magna vis iudicii ad eorum lectionem adferenda. Sociniani interpretes multo saepe tectius & occultius in commentariis virus suum insinuare lectoribus solent, quam in aliis scriptis polemicis, aut dogmaticis fieri potest, vt IONAE SCHLICHTINGII exemplum docet, cuius pseudhermenias IO. BRAVNIVS, & IOAN. GE. DORSCHAEVS in suis in *epistolam ad ebraeos commentariis* diligenter perstrinxerunt. Iudaeorum etiam commentarios caute legendos esse, supra iam obseruauimus. Absonum est caecas illas talpas pro oraculis habere. *Neque desunt inter iudaeos exegetae, atheismo & naturalismo adfecti, sed vt plurimum tecte venenum istud propagantes, inter quos excellit* ABR. BEN EZRA (*&* LEVI BEN GERSON); *a quibus praesertim cauendum*, monente ven. LOESCHERO, in *breuiario theol. exeg. p. 25.* Generatim vero *christianus interpres iudaeo praeferendus est*, vt ait DANHAVERVS, *loc. citat p. 387.* Caussas errorum in commentatoribus iudaeis recenset GVIL. SCHICKARDVS, in *beginath happeruschim, diss VII.*

IV. *Vti magno se beneficio a patre luminum in communem vtilitatem concesso, temere priuant, qui aliorum labores exegeticos inspicere prorsus dedignantur, suo duntaxat sensu abundaturi: ita non minus peccant, qui sine commentariis nihil audent.* Vnde *media* inter vtrumque scopulum *via* tenenda est. Recte STEPH. GAVSSENVS, in diss. *de ratione studii theologici p. 25. 26. Atque illud est, quod ego soleo studiosis vsque ad fastidium inculcare, vt ad commentarios non adeant, quin prius illis aqua haereat, neque vltra possint in loci examine proprio remigio pergere. Ad eos enim ex ea re varia & multiplex vtilitas redibit. I. quod meditationi adsuesceat animus,*

mus, absque qua si sit, non modo ad summam, sed ne ad mediocrem quidem eruditionem peruenire sperandum est: II. quod memoriae multo facilius imprimentur, quae tacita cogitatione ruminata quasi & mansa, animo commendabuntur: III quod se ea via multo facilius proficere sentient, quam si quae sunt aliena cogitatione concocta, vt fucus ignauus in alueario, deuorent & hauriant; atque ex eo sensu alacritas, ex alacritate pertinax discendi & proficiendi studium. Addatur B. PHIL. IAC. SPENERI *praef. in tabulas hodosophicas Danhaueri, lit. g. 3.* vbi & alia monita saluberrima, ad studium exegeticum pertinentia, a viro iudiciosissimo suppeditantur: nec non ven. AVG HERM. FRANCKII *monita pastoralia, §. XXXVIII. XXXVII.* Deus vero, optimus maximus, plures indies excitet pios & eruditos viros, qui quas ab ipso acceperunt dotes, in verbum ipsius ornandum condecorandumque, ringentibus licet circumquaque scripturae hostibus, refundant.

LIBRI

LIBRI QVARTI

CAPVT PRIMVM

DE

SENSVS INVENTI CVM ALIIS COMMVNICATIONE.

Σύνοψις.

Connexio cum libris superioribus indicatur §. I. Nimirum sensus, praeuia *praeparatione* rite *inuestigatus* §. II. cum aliis etiam *communicandus* est; quod, quo ordine, quaue methodo fieri debeat, ostenditur

I. GENERATIM §. III.

II. SPECIATIM §. IV. & quidem in textibus

1. *historicis*, §. V.
2. *dogmaticis*, §. VI.
3. *moralibus*, §. VII.
4. *emblematicis*, vt sunt textus metaphorici, aenigmatici, parabolici, typici, §. VIII.
5. *propheticis*, §. IX.

§. I.

EXposuimus libris superioribus subsidia & adminicula hermeneutica, tum quae ex ipsis quasi scripturae sacrae visceribus nascuntur; tum quae aliunde ex humanarum scientiarum adparatu accedunt. Supereſt denique, vt ostendamus, qua ratione sensus, istis subsidiis inuentus ac detectus, cum aliis etiam *communicare*, solide *demonstrari*, & salutariter *adplicari* debeat.

§. II.

Nimirum si praenia legitima *praeparatione* *, in sensu *inuestigando* ** rite versemur: non potest non fieri, vt quid spiritus sanctus nobis insinuare voluerit, intelligamus.

* PRAEPARATIO animi, meditationem verbi diuini praecedere debet. Et vero fundamenti loco substernenda sunt, quae supra, *lib. I. cap. I.* de *legitima interpretis sacri dispositione*, praesertim quae §. *XIV. seqq.* de *dotibus spiritualibus* diximus. *Quisquis enim*, vt prudenter monet ven. AVG. HERM. FRANCKIVS, in *methodo studii theol. cap. III. § XXIII. p.* 132. *acroamaticum hoc sacrae exegeseos studium capessit, ante omnia is exsistere debet, quem consentaneum sit, Deum velle intra interiora velaminis sacrarii sui admittere. Talis autem est omnis is, qui ad DEVM serio atque ex toto animo se conuertit; vtpote cui velamen, quo obtectus erat animus, spiritus sanctus detrahit, vt detecta facie gloriam Domini quasi in speculo intueatur*, II. *Cor.* III, 13. 18. *Vbi hic spiritus dominatur vt regnat, ibi demum etiam est sincera pietas, eximia Dei ac verbi Dei veneratio, animi submisso vera, ac modestia ex intimo Dei sensu enata, preces flagrantes fragrantesque, oculus simplex ac purus, in genuinum scopum omni acie sua intentus, amor inexplebilis, & insatiabile veritatis caelestis desiderium, cet.* Iste igitur animi habitus vbi viget ac floret, subinde, quoties scripturae meditationi accingimur, redintegrandus atque denuo excuendus est; ad exemplum Mosis, qui, licet profanus minime esset, tamen, antequam ad rubum igne ardentem accederet, praesentis edicto numinis, calceos sibi de pedibus detraxit. Inprimis

mis neceſſe eſt I. *vt animus ad tranquillitatem attentionemque componatur.* Vti enim vel peritiſſimus aſtronomus, optimis tubis inſtructus, nullas inſtituere obſeruationes poteſt, vbi aer craſſioribus nebulis nubibusque obſeptus eſt, quae aſtrorum conſpectum intercipiunt; ita etiam interpres lucidiſſima illa veritatum caeleſtium ſidera in ſacris ſcripturis minime obſeruabit, niſi animum ſerenum, tranquillum, & a diſtractionibus turbulentisque affectibus † liberum attulerit, quamuis ceterum ingenti eruditionis adparatu inſtructus. Proximum huic eſt II. *vt* α) *ſpurios fines ex animo proſcribat*, ne ſcilicet ad ingenii titillationem, aut ſolius ſcientiae incrementum ſcripturae tractationem referat, neue aliorum laudem, admirationem atque adplauſum doctis & ingenioſis explicationibus aucupetur; β) *vt genuinum ac legitimum finem animo recte praefigat*, vt ſcilicet in viua agnitione DEI ac filii ipſius, IESV CHRISTI eiusdemque ſincero amore, maiora indies incrementa capiat, atque ſic Dei gloriam, aliorumque vtilitatem promouere poſſit. vid SAM. WERENFELSII oratio ſaepius laudata, *de ſcopo interpretis*, & ven. AVG. HERM. FRANCKII *methodus ſtudii theol. c. II. p.* 29. Accedant denique III. *feriae preces*, vt Deus illum ſuum bonum ſpiritum, quo acti viri ſancti ſcripſerunt & qui νοῦν κυρίου optime nouit, nobis largiatur; ne pelagianizantium more noſtris viribus quidquam tribuamus. Videatur rurſus ven. FRANCKII *methodus ſtudii theol. c. III. p.* 53.

** INVESTIGATI veri ſenſus hoc ordine ac modo inſtitui poteſt, vt I. *locus exponendus in ipſis fontibus attente perlegatur*, inſpecta, ſi aqua haereat, probata verſione, ad ſenſum veluti praelibandum II. *vt ſecundum ordinem capitum libri ſecundi* (quamquam ei ſu-

† Conf. IO. ALPHONSI TVRRETINI orat. *de affectibus, a vera ſtudio abducentibus, tom. 1. opuſc. p. 472.*

perſtitioſe inhaerere haud opus eſt) *locus examinetur*, vt nimirum poſt cognitas *circumſtantias* & loquentis *adfectum*, genuina eius *intentio* indagetur, *contextus* inſpiciatur, *analyſis logica* inſtituatur, tum ad ſingularum *vocum ac phraſium conſiderationem* pergatur, *emphaſis*, ſicubi latet, eruatur, quidque lucis ex ſcripturae *parallelismo* verbis pariter ac rebus accedere poſſit, circumſpiciatur. Quae inter hanc meditationem animo ſuccurrunt III. *in chartam coniiciantur*, ne qua bonae frugis obſeruatio memoria rurſus excidat pereatque.

§. III.

Quo facto, opera danda eſt, vt ſenſum, hoc modo inuentum, cum aliis quoque recto ordine * *communicemus*, vt & illi laboris noſtri fructum percipiant, & de ſententia ſcripturae ſolide inſtruantur.

* Iſta ſenſus communicatio, ſiue ore fiat, ſiue calamo, hoc ordine, niſi melior ſuppetat, inſtitui poteſt, vt I. *connexio* dicti & cohaerentia cum antecedentibus & conſequentibus, eiusque *ſcopus* breuiter indicetur. II. vt illud per *analyſin* logicam in membra ſua reſoluatur, quo deinde in tota loci exegeſi filum habeamus, quod ordinis ſeruandi gratia ſequamur; quo facto III. *ſingula membra ordine excutiantur*, ita vt non *verba* tantum ponderentur, ſed *res* etiam, quae ſub verbis latet, eruatur; *emphaſes* enucleentur, ac ſcripturae *parallelismo* omnia confirmentur. IV. Si qui occurrunt *nodi*, aut ſi quae ſunt in ea, quam tractamus, pericopa, quae aliis ſcripturae locis contradicere videntur; ea, quantum poteſt, tollantur & explanentur. Cuncta denique V. deriuatis ex vero ſenſu *porismatibus*, ad vſum animique excitationem transferantur; vt *cap. tertio* pluribus oſtendetur.

§. IV.

§. IV.

Sed ad ſpecialiora deueniendum eſt, quumque dicta ſcripturae ſacrae, in quibus exegetae labor verſari poſſit, ſint potiſſimum vel argumenti *hiſtorici*, vel *dogmatici*, vel *moralis*, vel *emblematici*, vel *prophetici*; agedum paucis commonſtremus, quid in ſingulorum explicatione quam maxime veniat obſeruandum.

§. V.

Textus argumenti *hiſtorici* res geſtas complectuntur, ſiue laude, ſiue vituperio dignas. Illae quum plerumque deſcribantur verbis & phraſibus, vulgari vſu tritis, non longam requirunt operam, enucleandis ſingulis vocibus impendendam; * ſed ad facta potius ipſa, eorumque naturam & circumſtantias, attendendum eſt. **

* Ex. gr. ſi hiſtoria *Matth. VIII, 14. 15.* explicanda eſſet: *Ingreſſus Ieſus domum Petri, videns eius ſocrum iacentem ac febricitantem, eius manum tetigit, atque eam reliquit febris: illa vero ſurrexit & eis miniſtrauit.* Abſurdum eſſet, hic operoſe oſtendere velle, quid per *domum* intelligatur, quid ſit *ſocrus*, quid *lectus*, quid *in lecto decumbere*, quid *manus* nomine ſignificetur cet. Quis enim eſt, qui haec non ſine interprete intelligat?

** Hiſtoriae, quae in ſcripturis narrantur, complectuntur *facta* vel *creatoris*, vel *creaturarum*.

II. *Creatoris*, hoc eſt, ipſius Dei, aut Chriſti facta conſiderantur vel 1) vt *benedictiones*, quatenus aliquid commodi ſecum ferunt; vbi beneficiorum vtilitas detegenda, commodorumque illorum natura &

ra & indoles euoluenda est, vide 1 Reg. III, 5. seqq. vel 2) vt *maledictiones*, aut saltem *castigationes*; vbi ostendendum, quibus bonis homines priuati, quibusque malis expositi fuerint, vt 2 Chron. XXVI, 19. 20. 21. quibus nonnumquam 3) *miracula* innectuntur, in quorum phaenomena diligenter inquirendum, commonstrandumque, quod omnes caussarum secundarum vires longe excedant, vt Ioan. V, 1. seqq. vide *lib. III. c. IV. §. VIII. IX. p. 478. 484.*

** *Creaturarum* facta & res gestae requirunt explicationem 1) *personarum*, siue agentium, siue actiones recipientium, siue quocumque modo adsistentium; quarum, vbi necessitas requirit, danda est prosopographia, in qua illi praecipue characteres designandi, qui spectant ad illud officium, quo in praesenti scena funguntur, vide Matth. XXVI, 3. 2) *facti*, quod consideratur vel vt turpe, aut honestum; vel vt vtile, aut noxium. 3) *modi agendi*, qui aliquando ex ritibus antiquis illustrandus est, vt Luc. IV, 16. 17. 4) *temporis* & opportunitatis, qua res gesta est, vt Ioan. VII, 37. 5) *locorum*, quorum notitia ex geographia haurienda, quorumque commoditas & congruentia ostendenda, vt Ioan. I, 28. 6) *rationum*, quare dicta, aut facta in istis circumstantiis euenerint, vbi omnia ad scopum, diuinitus intentum, & ex vltimo scenae actu diiudicandum, sunt referenda, vt Ioan. II, 11. conf. pluribus haec deducentem SALOM. VAN TILL, in *methodo concionandi*, *part. II. c. I. p. 268. seqq.* Si historia praeter sensum litteralem, *mysticum* etiam & typicum habeat, vt Gen. XXI, 9. seqq. coll. Gal. IV, 24. tum ille etiam, post ipsam historiam explicatam, in clara luce ponendus est; de quo plura *§. VIII.* Specialiores obseruationes de historiis biblicis suppeditat MATTH. FLACIVS, in *clauc script. part. II. sect. I. p. 84. seqq.*

§. VI.

§. VI.

In pericopis argumenti *dogmatici* maior diligentia singulorum vocabulorum notionibus euoluendis impendenda est: vt, qui audit, vel legit, adcuratos sibi conceptus, menti spiritus sancti attemperatos, de singulis formare queat. *

* In textibus scilicet dogmaticis 1) explicandae sunt *notiones simplices*, non omnes tamen sine discrimine, sed *in quas cadit vis & emphasis sententiae*, vt ex. gr. in verbis Matth. XVIII, 11. *Filius hominis venit seruatum perdita*, ostendatur quis sit ille *filius hominis*, quid *veniendi* verbo designetur, quaenam sint *perdita*, quidque sibi velit, *perdita seruare*; vt hoc modo lectores in penitiorem & adcuratiorem rerum notitiam deducantur. 2) *tota enuntiatio* attentius considerauda, & quomodo subiectum ac praedicatum cohaereat, non frigide & perfunctorie ostendendum. 3) *Sententia ipsius dicti* ex analogis scripturae testimoniis illustranda & confirmanda est. Ita cum dicto illo laudato conferri potest Luc. IX, 56. c. XIX. 10. Ioan. XII, 47. Matth. I, 21. 1 Petr. II, 24. cet. Denique 4) etiam sensus dicti, vbi id veritatis momentum postulat, *vindicari* & ab aduersariorum detorsionibus liberari potest. Sed vide, quae de his prolixius supra tractata sunt *lib.* II. *cap.* VII. *p.* 301 *seqq.*

§. VII.

In dictis argumenti *moralis*, quibus aut commendatur virtus, aut dissuadetur vitium, enitendum est, vt interior siue virtutis siue vitii natura, clarissime explicetur, & vtriusque principia & consequentia succincte demonstrentur. *

Ni-

* Nimirum hic 1) *emphaſis vocabuli*, quibus virtus, aut vitium a ſpiritu ſancto expri[illegible]ur, euoluenda eſt, vt φιλοξενία Ebr. XIII, 2. πλεονεξία Luc. XII, 15. cet. 2) natura virtutis, vel vitii adcurata *definitione* repraeſentanda, & in ſuas partes ſoluenda eſt, ex theologia morali & parallelismo biblico vberius colluſtrandas. 3) *vis argumentorum* excutienda & vrgenda, quibus viri ſancti, velut admotis voluntati machinis, vtuntur, vt nos a vitiis dehortentur & ad virtutes excolendas impellant, vt Ebr. XIII, 2. *Hoſpitalitatem obliuioni ne mandate: per hanc* enim *nonnulli inſcii angelos hoſpitio exceperunt.* Luc. XII, 15. *Videte, vt auaritiam caueatis. Non* enim *in eo cuiusquam vita ſita eſt, ſi facultatibus abundet.*

§. VIII.

Textus *emblematici* * ſenſus requirunt in verbo Dei exercitatos, multoque rerum vſu ſubactos; in quibus interpretandis omne feret punctum, qui rem ſpiritualem cum naturali rite componere & comparare poteſt.

* Occurrit nimirum etiam in ſacris ſcripturis hinc inde ſymbolicum & emblematicum docenti genus, quo res ſub certis ſymbolis proponuntur; quod orientales olim populi Aegyptii, Arabes, Aethiopes, Perſae, alii, valde amabant. *Hieroglyphica* Aegyptiorum (ſcil. γράμματα) notiſſima ſunt, quae nihil aliud erant, quam varia ſigna tum rerum artificialium, tum naturalium, per quae perinde, vt nos per litteras, docebant res theologicas, phyſicas, aliasque. Ita pictura *leonis* deſignabant virum generoſum & fortem, *ouis* manſuetum, *crocodili* malum & rapacem, *cerui* longuaeuum, *anguillae* inuidum cet. Qua de re pluribus agit ATHAN. KIRCHERVS

RVS, in *oedipo aegyptiaco*, nec non in *obeliſco pamphilo*, & LAVR. PIGNORIVS, in *menſa iſiaca*, vt de PIERII VALERIANI, NIC. CAVSSINI, MICH. MAIERI ſcriptis nihil dicamus. Vnde ſunt, qui Moſen etiam, aegyptiorum ſapientia imbutum Act. VII, 23. hieroglyphicam docendi rationem ad ſacra transtuliſſe putant. Ita CLEMENS ALEXANDRINVS, *lib.* I. *ſtromatum*, §. XXIII. *p.* 413. ed. Io *Potteri*, Moſen didiciſſe refert καὶ τὴν διὰ συμβόλων φιλοσοφίαν, ἣν ἐν τοῖς ἱερογλυφικοῖς γράμμασιν ἐπιδεικνυνται, *etiam illam, quae traditur per ſymbola, philoſophiam, quam in litteris oſtendunt hieroglyphicis.* conf. CORN. ADAMI diſſ. *de inſtitutione Moſis in ſapientia Aegyptiorum*, quae exſtat in eius *exercitationibus exegeticis*, *p.* 184. 166. Nimis tamen haec extendit & omnia fere Moſaica in ſymbola & emblemata conuertenda putauit CL. HENNINGIVS BERNH. WITTERVS, *de iure iſraelitarum in palaeſtinam:* cui quaedam oppoſuit IO. HERM. ABELSVVICH, cuius etiam videantur *philoſophumena viris ſanctis temere adficta* §. XIX. *p.* 12. *ſeqq.* Obſeruauit enim clar. IO. D'OVTREIN, in *introduct. ad ſpecimen ſymb. ſacr. c.* VI. *p.* 157. ſymbola, quibus ſpiritus ſanctus in ſacro codice vtitur, recte quidem *hieroglyphica* dici; a ſignis tamen Aegyptiorum hieroglyphicis longiſſime differre. Quum enim *Aegyptiorum hieroglyphica* vt plurimum obſcura & intellectu difficilia eſſent, petitia etiam ſaepe a talibus rebus, quae cum re deſignata vix quidquam conuenientiae haberent, immo etiam illarum rerum ſchemate vterentur, quas animo ſuo finxerant, quaeque inter res creatas non comparebant, illisque res praecipue naturales deſignarent: e contrario *emblemata*, quae *in ſacris litteris* occurrunt, clara intellectuque facilia ſunt, ſiue per ſe, ſiue ex cohaerentia verborum, propria etiam aptaque nata,

ad

ad res exprimendas depingendum, & non nisi a rebus, quae vere exstant, petita, denique ad contemplationem spiritualium rerum manu quasi ducentia. Addatur ANT. DRIESSENII diatribe *de principiis & legibus theologiae emblematicae, allegoricae, typicae*, Vltraiecti MDCCXV. edita Pertinent vero ad classem textuum emblematicorum.

I. *Textus metaphorici*, qui res spirituales phrasibus & loquendi modis, a rebus naturalibus acceptis, proponunt, vt 2 Cor. IV, 7. *Habemus autem thesaurum hunc in testaceis vasculis*, cet. Iud. vers. 12. *Isti sunt nubes, aqua carentes, a ventis circumactae* Hinc ante omnia 1) *scopus* adhibitae metaphorae inuestigandus est, ne explicatio extra eius ambitum vagetur. e. c. 2 Tim. II, 3. *Tu ergo aduersa patere, vt bonus Iesu Christi miles. v. 4. Nemo militans sese vitae negotiis implicat, cet. v. 6 Laborandum agricolae est prius, quam fructum percipiat.* Hic duae adhibentur metaphorae, quarum prima a *milite* desumta est, altera ab *agricola*. Apostolus autem non in genere hic militem & agricolam respicit; sed tantum *militis* in subeundis periculis tolerantiam, patientiam, fortitudinem, & a curis aliis abstinentiam; *agricolae* vero in excolenda terra laborem & molestiam. Scopus enim apostoli est, aduersus molestias sacri muneris Timothei animum munire & confirmare, vt *versus tertius* testatur. 2) *Res illa*, a qua metaphora desumta, *secundum attributa potiora, delineanda* est, vt Esa. LIII, 7. *instar ouis ductus est ad mactationem* cet. Scilicet *ouis* est lene animal, quod, si compos esset rationis, mansuetum diceres, quodque se facile ad mactationem duci patitur, & mactanti absque renitentia iugulum praebet. 3) *Conuenientia rei spiritualis cum re naturali indicand.*, quatenus quidem illa ad scopum facit. ex. gr. Oui similis fuit IESVS CHRISTVS. Spi-

Spiritus ſanctus, qui illum formauerat, ſimul illum imbuerat lenitate & manſuetudine animi, & modeſto de ſe ſenſu, qui omnem excludit ferociam, arrogantiam, & ſpirituum rumorem. Ab eodem ſpiritu ſic fuit adfectus, vt ſe ſumma animi ſubmiſſione, ſubentia & patientia, ſubiecerit voluntati patris. Quare ſiue prehenſus a miniſtris ſynedrii & pontificis; ſiue ab ipſo illo ſynedrio, & deinceps a Pilato, iudicatus, & ad probroſiſſimum ſupplicium damnatus, nihil reluctatus eſt; ſed tam iudicum ſententiam, & probra ac iniurias miniſtrorum vtriusque fori, quam perpeſſiones, ſibi decretas, ea tulit patientia & manſuetudine animi, quae omnes rapuit in admirationem. Tandem *tonſus* a ſynedrio, hoc eſt, omnibus ſuis praerogatiuis priuatus, & omni vellere nudus, expoſitus eſt Pilato. Ab hoc damnatus ad crucem, *ductus* eſt a militibus *ad mactationem*, hoc eſt, mortem cruentam, ferro ipſi inferendam, cum effuſione ſanguinis. Ita doctiſſimus CAMP. VITRINGA *comm. ad h. l. p.* 785. Adde, quae *ſupra* notauimus *lib.* II. *c.* VII. *p.* 1303. *ſeqq.* Eodem modo tractandi ſunt *textus allegorici*, in quibus metaphora diutius continuatur, vt Eſa. XXVIII, 7. 8. c. LIV, 11. 12.

II. *Textus aenigmatici*, vbi ſubiectum in occulto eſt, & ſollertis lectoris induſtriae indagandum relinquitur. Hic opera danda eſt interpreti, vt aenigma ſoluat, h. e. 1) vt *ſubiectum occultum eruat ex praedicatis.* Talia enim ſunt ſubiecta, qualia permittuntur, immo praeſcribuntur, a ſuis praedicatis. Ita quum Salomo Cohel. VII, 28. 29. in ſapientiae altiori indagine fatetur ſe inueniſſe *hominem vnum ex millibus*, in quo *mulierem*, de qua antea dixerat, hoc eſt, malitiam, in reliquis deprehenſam, *non inuenerit*, hoc aenigmate prophetico neminem, niſi Chriſtum, deſignare potuit, qui ſolus inter omnes homines eſt

vitii expers, & a peccato purus. Deinde vero ſtudendum eſt 2) vt *ex aliis ſcripturae locis* demonſtremus, iſti ſubiecto, quod deteximus, iſta praedicata tribui. Ita Chriſtus etiam vocatur *vnus ex millibus* Iob. XXXIII, 23. & Cant. V, 10. inſtar vexilli *inſignitus prae myriade*, agnus *immaculatus* 1. Petr. I, 19. *qui peccatum non nouit* 2. Cor. V, 21. & *a peccatoribus ſegregatus* eſt, Ebr. VII, 25.

III. *Textus parabolici.* Quid ſit parabola, ſupra *lib.* II. *c.* IV. *p.* 186. definiuimus. Quomodo a metaphora & allegoria differat, facile eſt ad intelligendum. *Metaphora* rem veram cum vera comparat; *parabola* rem veram cum ficta confert. Hic 1) *corpus parabolae*, quod conſtat familiari narratione ficta, tantum eſt illuſtrandum in partibus phraſibusque obſcurioribus. Quum enim plerumque conſtet notionibus familiaris vſus, ſingulorum vocabulorum explicatione non eget, niſi forte adludatur ad hos vel illos ritus antiquioris temporis, qui illuſtrationem requirunt, vt Matth. XXII, 3. 4. 2) *Scopus* parabolae conſtituendus eſt, qui ex occaſione dicendi detegi poteſt. 3) *Res ſpiritualis*, ſub cortice parabolae latens, ſi ab ipſo loquente indicata non fuerit, inueſtiganda eſt & demonſtranda, vt Matth. XXI, 28. 29. 4) Ipſa *comparatio* inter rem ſignificantem & ſignificatam, per partes maiores inſtituenda, & denique 5) *ad ſcopum* omnia referenda. Hanc methodum in explicandis parabolis tenendam CAMP. VITRINGA, & praeſcripſit *in methodo homiletica*, *part.* II. *c.* III. *p.* 64. & ipſe obſeruauit, in *explicatione parabolarum Chriſti*, quam IO. D'OVTREIN edidit.

IV. *Textus typici.* *Typus* autem eſt figura, vel imago, qua ex mente Dei, ſub perſonis ac rebus *veteris* teſtamenti, perſonae ac res *noui* teſtamenti, inpri-

inprimis Christi & ecclesiae praefigurantur & adumbrantur. EOSHERM WITSIVS, in *oeconomia foederum lib. IV. c. VI. p. 604.* dispescit in *naturales*, quo refert adspectabilis huius mundi creationem, quae nouam creationem fidelium & constitutionem ecclesiae designauit; in *historicos*, qui spectant personas & actiones, in prioribus oeconomiis occurrentes, &, ex consilio Dei, vt specimina maioris operis, respicienda; & denique in *legales*, qui ad cultum leuiticum pertinent, & lege rituali praescribuntur, quos PAVLVS *vmbras* vocat Ebr. X, 1. De his fusius egerunt LVCAS BACMEISTERVS, in *explicatione typorum V. T.* IO IEREMIAS REICHHELM, in *Iesu typico.* FRID. BALDVINVS in *aduentu Christi typico*, & *passione typica.* IO BIERMANNVS, in *Mose & Christo*, IOACH. LANGIVS, in *mysterio Christi*, aliique. † In textibus igitur typicis 1) *typus ipse* secundum sensum litteralem prius explicandus, & si quid obscuri contineat, euoluendus est; vt historia *Ionae*, a pisce cetaceo absorpti, & tertio die redditi. 2) *analogia* inter rem significantem & rem significatam sobrie & prudenter per singulas partes ostendatur, quam suppeditat (α) ipsius *scripturae* indicium. Quidquid enim vel expresse vel implicite alicubi a spiritu sancto ad analogiam refertur, id ipsum statuendum est, Deum intendisse. (β) *legitimum ratiocinium*, non a cuiusque interpretis cerebro & ingenio, sed a scopo & circumstantiis, & congruente rerum conuenientia pendens. Ita qui eruere velit analogiam spiritualem contignationis & *asserum tabernaculi* sacri, ante omnia attendat ad *scopum* tabernaculi, qui is erat, vt praestaret vsum palatii Deo regi, in populo suo habitanti; vnde dubium esse non potest quod ecclesiam, tamquam domum Dei viuentis 1 Tim. III, 15. adum-

† Plures recenset cel. FABRICIVS, in *bibliographia antiquaria c. XI. p. 319. sq.* ANDR. CHRISTOPH. ZELLERVS, in *praef.* ad MAIMONIDIS *tract. de vacca rufa.*

bratur, in qua versantur fideles, ad Deum regem accedentes. Deinde excutiat *conuenientiam rei.* Vsus scilicet asserum in structura architectonica est, claudere aedes, ne sit accessus, nisi per portam, atque sic omnem oeconomiam interiorem reddere tutam. Quid igitur aliud istis *assseribus* designari potuit, quam *instrumenta diuinae prouidentiae, quae pios ab omni perturbatione externa tutos ac securos reddunt.* Confer quae *supra* diximus *lib.* I. *c.* III. *p. 74. seqq.* & SAL. TILLII *meth. concion. part.* II. *c.* III. *p. 407. Quid circa personas* veteris *oeconomiae typicas obseruandum sit, pluribus* docet CAMP. VITRINGA, in *obseru. sacr. lib.* VI. *c.* XX. *seqq.* & ven HENR. MVHLIVS, in *apodixi scripturaria p. 93. seqq.*

Solent insuper specialiores *nonnulli canones* in typis explicandis a viris doctis suppeditari, e. c. I. *Plus est saepe in typo, quam in antitypo,* & vicissim. II. *Impii, quatenus & in quo sunt impii, typi Christi esse non possunt* III. *Quando vnius rei multi sunt typi partiales; tunc de antitypo non ex vno, sed ex omnibus coniunctim sumti faciendum est iudicium.* IV. *Vna res typus est & figura quandoque duorum, etiam contrariorum, sed diuerso respectu.* cet. Vide SAL. GLASSII *philol. sacr. lib.* II. *part* I. *tract.* II. *sect.* IV. *p. 466.* & FRID. BALDVINI *ideam disposit. biblicarum part.* III. *c.* IV. *p. 186.* Addimus regulas, ab HERM. WITSIO formatas, in *oecon. foed. lib.* IV. *c.* VI. *p. 638.* I. *Quando adcurate consideramus prototypon, Dominum* IESVM, *qui nunc sine inuolucris oculis nostris expositus est, & inde conuersa mentis acie ad typum tendimus: quo maiorem, vberiorem, specialiorem vtriusque conuenientiam animaduertimus & indicamus; eo maiorem gloriam tribuimus Dei sapientiae & veritati, qui typum formauit, ei, qui typo figuratus est, tam exacte respondentem.* II. *In omnibus caute agendum est* μετὰ φόβου τοῦ τρόμου, *ne mysteria fingamus, ex proprio corde nostro, horsumue*

obtorto

obtorto collo trahamus, quae aliouorsum spectant. III. *Vbi iam constat, personam aliquam, vel rem typum Christi esse, non est existimandum, omnia, quae in ista vel persona vel re inueniuntur, rationem typicam habere.* IV. *Sufficit aliquando, vt in typo tenuis admodum imago sit rei praestantissimae, quae in antitypo eminentissimo modo reperitur. Immo quo res significata angustior est, eo tenuiorem necesse est illius esse imaginem; propter immensam illam distantiam, quae intercedit inter Christum & ψιλὴν κτίσιν. Vnde semper veritas rei in sua emphasi in solo antitypo reperitur. Denique* V. *id quodque obseruatum est viris doctis, aliquando variationem aliquam significationis typo accidere, vt certa aliqua σχέσει ad Christum, alia ad ecclesiam, quae corpus ipsius mysticum est, referri debeat.* Ita ex. gr. *Isaacus* ligna portans, ligatus a patre, paratus ad sustinendam mortem, vt patri & Deo obsequeretur, typus est *Christi.* At quando *aries* Isaaci loco offertur, mutato schemate aries iste Christum, Isaacus *ecclesiam* repraesentat, quae morte Christi vicaria a morte liberatur. †

§. IX.

Supersunt textus argumenti *prophetici*, in quibus omni studio laborandum est interpreti, vt alii de eorum tum sensu, tum implemento solide instruantur.*

* Scilicet I. *Subiectum* prophetiae ante omnia inuestigetur; quod ex attributis, quae illi adscribuntur, coniectandum est. Equidem quando 1) *subiectum* vel *nomine proprio* exprimitur, vt Esa. XIX, 1. vel perspicua *circumlocutione* definitur, vt c. XXI, 1. c. XXII, 1. illius declaratio paucioribus verbis absolui potest, si modo,

† Conferri etiam possunt BERNH. SEB. CREMERI *prodromus typicus*, & alia; HIERON. GVIL. SNABELII *amoenitates theologiae emblematicae & typicae*, vbi p. 1-19. habetur exerc. *de regulis, quas in theologia typica enucleanda obseruare decet*, & p. 20. seqq. oratio *de origine & praestantia theologiae hieroglyphicae & typicae*; nec non cel. PFAFFII diss. *de recta theol. typicae conformatione.*

do, vbi gens, vel regio, aut ciuitas subiectum prophetiae constituat, eius situs ex geographia antiqua, eiusque ad populum Dei respectus, paucis indicetur; ac quando 2) *subiectum sententio inuoluitur*, ex praedicatis cum cura eruendum est, ita vt subinde a notioribus ad ignotiora progrediamur, atque post vagam subiecti notitiam, ex praecipuis characteribus & attributis comparatam, ipsum individuum personae lectoribus ostendamus. Ita Psal. XLV, 2. primum ostendendum, sermonem institui de aliquo *rege*, pulchro, felici, iusto, hostium domitore potentissimo cet. Mox ex characteribus in psalmo obuiis demonstrandum, hunc regem ab omnibus aliis regibus, qui vmquam vixerunt, plane discerni, ceterosque omnes eiusdem ordinis infinitis modis antecellere; vt nihil relinquatur fidelibus adfirmandum, quam quod ipse sit IESVS CHRISTVS. Denique 3) quando subiectum sub *emblematica* denominatione proponitur, vt dubium esse possit, vtrum illa denominatio litteraliter an mystice de subiecto analogo intelligenda sit: tum lis vniuersa dirimenda est rursus ex praedicatis, quae in prophetia occurrunt, vt Psal. LXXII, 1. Esa. XXXIV, 5. conf. quae *supra* diximus *lib. II. c. II. p. 114.*

II. *Verba & phrases prophetiae* exponantur, si qua obscuritate laborant, vbi singula etiam vocabula explicanda sunt, si qua sunt caligine circumfusa. Si sensus metaphoricis & emblematicis loquutionibus, vt saepissime contingit, inuolutus fuerit; tum ea rursus obseruanda, quae ad §. *VI. num I. II.* monuimus.

III. *Analogae prophetiae* eiusdem argumenti producantur, ad lucem clariorem sensui, quam definiuimus, adfundendam. Ita cum Esa. LIII, 5. *Ipse* מחולל *ferro* PERFOSSVS *fuit propter iniquitates nostras*, post demonstratum verum orationis sub-

subiectum, verborumque sensum, conferri potest Psal. XXII, 17. PERFODERVNT *manus meas & pedes meos;* & Zach. XII, 10. *Adspicient in me, quem* TRANSFODERVNT. cet. In quo parallelismo prophetico respiciendum α) ad praedictiones prophetarum *antecedentium*, hic loci vel compendiosius repetitas, scopoque adplicatas; vt Ier. XXXI, 22. vel peculiari studio distinctius explicatas, vt Mich. V, 1. β) ad praedictiones prophetarum *sequentium*, qui nonnumquam spem praecedentium repetunt cum nouo aliquo lumine, aut eamdem inuestiunt nouo emblemate. Inseruire potest huic parallelismo NIC. GVRTLERI & ABR. GVLICHII *theologia prophetica.*

IV. *Implementum prophetiae* ostendendum est; vbi res ita, vt praedictum est, gestas esse probamus, siue ex historiis, si fieri possit, diuinis, siue ex fide dignis auctoribus, qui a nemine possunt repudiari, & extra suspicionem positi sunt, ac si quidquam in implementi gratiam finxissent. Hic vero α) praedicata plurima consultum est, *ad certas classes* referre, ne rerum multitudine iudicium turbetur. β) in deductione, illa praecipue *praedicata* eorumque implementa designanda & vrgenda sunt, *quae plurimum valent ad auferendam suspicionem, ac si illa casu essent facta*, vel sagaci coniectura potuissent praeuideri; quod fieri potest, si ostendatur tum ingens *distantia* inter praedictionem & rei euentum, tum *conuenientia* plurimarum minimarumque circumstantiarum, tum denique *actionum ab* ancipiti hominum *voluntate* occasionisue occursu *pendentia.* Haec enim talia sunt, vt nulla humani intellectus acies ea praeuidere possit. Addimus 3) quod egregie monet CAMP. VITRINGA, *comment. in Esa. tom. II. p.* 340. prophetias saepe ad perfecta sua implementa *per gradus* adscendere; vnde complemen-

ta *inchoata* probe distinguenda sunt a *completis*, quae illa perficiunt & consummant. Ita prophetiis Christi de desolatione Hierosolymae non est plene satisfactum per TITVM. Exspectandus erat HADRIANVS, qui iis ad extremas minutias praestaret implementum. Obseruandum porro, quod idem vir doctus monet, 4) implementa plane perfecta, completa & exuberantia prophetiarum de *euentis corporalibus*, quaerenda esse in *spiritualibus analogis*. Legis ex. gr. prophetias de Babylone, Tyro, & Aegypto, nec non apud Zachariam de Hierosolyma glorioſe instauranda, munienda, liberanda per Maccabaeos: vides prophetas sacros dum in eo sunt, vehementer adfectos, altisone & fere hyperbolice loqui, vt non tantum quae prophetant, contra exspectationem, sed & supra fidem videantur; cogita iam, nec fallet cogitatio, prophetias illas altisonas mysticum inuoluere sensum, & quae videri queant hyperbolice dicta esse, eorum implementum quaerendum esse in spiritualibus antitypicis & analogis. Spiritualia autem vt praestantiora sunt corporalibus; sic implementa corporalia a spiritualibus plane absorbentur. Confer quae de hoc argumento docte disserit ven. HENR. MVHLIVS, in *apodixi scripturaria*, *p.* 93. *seqq.* Denique 5) *si implementum adhuc futurum sit*, vt fit in textibus, quae ex. gr. vaticinantur, de excidio Babylonis mysticae, de notabili iudaeorum conuersione, cet. *rem ipsam* & principem euentum, quanta fieri potest, perspicuitate, delineare par est; in determinando autem *temporis* articulo, & *circumstantiarum* adparatu, modeste admodum & circumspecte agendum, ne studium propheticum profanis hominibus deridendum obiiciamus.

Ceterum varii rursus *canones* specialiores, in prophetiarum interpretatione obseruandos, viri docti suppeditarunt, vt I. *Futura quandoque praenuntian-*

tiantur forma optandi, imperandi & imprecandi. II. Vaticinia verbis tum praeteriti, tum praesentis temporis proferuntur. III. Prophetae de rebus & cultu N. T. vtuntur phrasibus, quibus res sui temporis, & speciatim cultus leuiticus proprie designatur. IV. Prophetae a typo ad antitypum saepe transeunt. cetera. Vid. SALGLASSII *philol. sacr. lib.* I. *tract.* IV. *sect.* I. *p.* 311. FRID. BALDVINI *ideam dispositionum bibl. part.* II. *c.* XI. *p.* 137. VAL. ERN. LOESCHERI *breuiarium theol. exeg. p.* 165. *seqq.* Prae ceteris tamen commendamus canones, a CAMP. VITRINGA, viro in his studiis exercitatissimo, formatos, in *typo doctrinae propheticae, part.* III. *p.* 167. Cui iungi potest SAL. TILLIVS, in *methodo concion. part.* II. *c.* II. *p.* 351. & in *phosphoro prophetico.* Institutiones *theologiae typicae & propheticae* promisit cel. PFAFFIVS, in *hist. liter. theol. part.* I. *p.* 100. vbi etiam scriptores theologiae propheticae plures recensentur.

LIBRI QVARTI CAPVT SECVNDVM DE SENSVS INVENTI DEMONSTRATIONE.

Σύνοψις.

Demonstratio veri sensus necessaria est, §. I. quatenus ille *in ordine ad verba* consideratur, §. II. Vnde de ea agitur

I. GENERATIM, vbi certa *criteria* veri sensus suppeditantur, §. III. quae sunt

1. Vsitata verborum *significatio & constructio*, §. IV.
2. Congruentia cum *statu, indole & affectu*

fectu ſcriptoris, §. V.
3. Suffragium *ſcopi*, *cohaerentiae*, *& analogiae* ſcripturariae, §. VI.
4. *Veritas* rerum, §. VII.
5. *Perſpicuitas*, *a* coacta ſubtilitate aliena, §. VIII. quae criteria, *inter ſe iuncta*, ſummam certitudinem efficiunt, § IX.
II. SPECIATIM, §. X. vbi docetur, quomodo demonſtrandus ſenſus
1. *Litteralis*
α) *tropis* & emblematibus inuolutus, §. XI.
β) in *vaticiniis* prophetarum, §. XII. maxime de *Chriſto* agentibus §. XIII.
2. *Myſticus*, §. XIV. praeſertim in *typis* & *prophetiis*, §. XV.

§. I.

Vt finem noſtrum in communicando cum aliis ſenſu felicius attingamus, opera danda eſt, vt, in locis praeſertim obſcurioribus, noſtrae interpretationi ſolidam iungamus *demonſtrationem*, * ex qua lector, vel auditor conuinci poſſit, ſe genuinam loci ſententiam, a ſpiritu ſancto intentam, percepiſſe.

* Nimirum in re exegetica ſcire non ſufficit, quis ſenſus verborum *eſſe poſſit*; ſed eo adnitendum eſt, vt quis ſenſus eſſe debeat, ex certis characteribus conſtet. A plurimis interpretibus iſtam veri ſenſus apodixin aut prorſus negligi, aut leui nimis brachio tractari, dolendum eſt. Vnde in *Berliniſchem Hebopfer*, *ſect. XXX. p.* 790. haud immerito iſtud *problema* proponitur, *qua ratione hermeneutica noſtra eo deduci poſſit, vt demonſtratiua euadat*, *hoc*

hoc est, vt regulis constet, quarum indubia veritas ita sit euicta vt ab nemine aduersariorum iure in dubium vocari possit. Equidem mathematicam demonstrationem hic nemo iure exspectet, quum scriptorum interpretatio, maxime in locis obscurioribus, non pertineat ad sphaeram illarum rerum, quae sub sensus cadunt, certitudinemque mathematicam admittunt. Interim laborandum est, vt, quemadmodum in aliis rebus historicis atque moralibus contingere solet, summum, aut certe summo proximum probabilitatis gradum nostra apodixis attingat. Recte hanc in rem ANDR. GERH. HYPERIVS *de recte formando theologiae studio, lib.* II. *c.* X. *obs.* III *p.* 130. *Diligens*, inquit, *danda est opera, vt in locis intricatis solidam, stabilem, quamque tutum sit retinere, interpretationem inueniamus. Admodum turpe, iuxtaque periculosum est, quasi fluctibus in alto essemus exp sti, modo huc, modo illuc iactari, & numquam ad eam pertingere sententiam, quam probabile est, scriptoris proposito respondere.* Nam vt vere hactenus ait IO. CLERICVS *biblioth. choisie, tom.* XXIII. *pag.* 4. *Il n' y a rien de plus incertain que cette sorte d' explications, que l' on peut réfuter en les niant, sans qu' on en puisse apporter aucune preuve solide.* Magnum virum HVG. GROTIVM, quem CLERICVS *loc. cit. part.* II *p.* 422. vocat *le plus iudicieux des toutes les commentateurs*, in suis ad libros biblicos adnotationibus nullam prorsus adferre sensus, quem illis tribuit, demonstrationem, dudum obseruauit ABR. CALOVIVS, eiusque αὐτὸς ἔφα saepe solidissimarum rationum pondere obruit. E contrario in apodixi biblica excellit CAMP. VITRINGA, IO. GE. DORSCHAEVS maxime in *comm. in epistolam ad Ebraeos*, FRANC. IVL. LVTKENS, in *collegio biblico*, aliisque scriptis & concionibus exege-

exegeticis, ABRAH. CALOVIVS, SPENERVS & CHRISTIANVS MICHAEL RVSMEIER, in scriptis polemicis *aduersus socinianos*, aliique pauci. Plura enim fere huius apodixeos exempla in scriptis polemicis occurrunt, quam in commentariis, ex quibus propemodum exulat. Lectu quoque digna sunt, quae ven. HENRICVS MVHLIVS isthoc de argumento scribere coepit, sed nondum absoluit, in *triga dissertationum de apodixi, siue demonstratione ac probatione scripturaria*, quae *Kiloni* MDCXCIX. editae sunt.

§. II.

Vbi autem de veri sensus demonstratione loquimur, sensum consideramus *in ordine ad verba*, quibus exhibetur. * Sensum enim verbi diuini ipsum per se esse verum, & rei consentaneum, probatione apud homines christianos non indiget. **

* Solide prorsus, vt omnia, IO MVSAEVS, *de vsu principiorum rationis & philosophiae in controuersiis theologicis, lib.* I. *c.* XII. §. XXII. *pag. 101. Sciendum est, quod sensus alicuius dicti duplicem considerationem admittat.* I. *in ordine ad* VERBA, *quorum sensus est.* II. *in ordine ad* OBIECTVM, *quod potentiae cognoscenti per sensum repraesentatur. Posteriore respectu sensus absolute verus, vel falsus denominatur*; verus *quidem, quatenus est conformis obiecto*; falsus, *quatenus secus sese habet. Priori respectu autem non absolute talis dicitur; sed cum apposito. Sic per hoc, quod sensus verbis & intentioni auctoris conformis est, dicitur* verus verborum sensus. *Contra per hoc, quod sensus verbis & intentioni auctoris non est conformis, dicitur* falsus verborum sensus; *qui tamen nonnumquam obiecto conformis, & sic hac con-*

consideratione, verus *esse potest*. Et §. *XXVI. Hic igitur sensus in ordine ad verba consideratus, toties probatione indiget, quod scripturae insit, vel quod sit verus & genuinus verborum sensus, quoties ei per verba* impropriè *sumta ineſt, vel quoties interpres a propria & vsitata significatione discedit;* immo etiam, vbi propria significatio dubia est, & ob varias causſas controuersa.

** Vbi certo constat, sensum a spiritu sancto per verba intendi; de eius cum obiecto conformitate, adeoque veritate, dubitare non licet; est enim prorsus idem cum verbo Dei, quod suam in se continet ἀξιοπιστίαν, vt rursus monet IO. MVSAEVS *loc. cit. p. 102.* Docente nimirum ARISTOTELE, *lib. I. topicorum*, ab initio, *Vera & prima illa sunt quae non ab aliis, sed a se ipsis fidem habent: non enim oportet in scientificis principiis quaerere,* τὸ διὰτι; *quare?* ἀλλ' ἑκάστην τῶν ἀρχῶν αὐτὴν καθ' ἑαυτὴν εἶναι πιστὴν, *sed vnumquodque principium ipsum per se esse certum.* Vnde recte CLEMENS ALEXANDRINVS, *strom. lib. VII. §. XVI. p. 891.* ed. *Io. Potteri.* Τῇ τοῦ κυρίου φωνῇ πιστεύομεθα τὸ ζητούμενον, ἢ πασῶν ἀποδείξεως ἐγγυωτέρᾳ· μᾶλλον δὲ, ἡ μόνη ἀπόδειξις ἔστα τυγχάνει. *Voce Domini probamus, quod quaeritur; quae est magis fide digna, quam quaeuis demonstratio, vel potius, quae est sola demonstratio.*

§. III.

Certa igitur *criteria* obseruanda sunt, quibus genuinus sensus a spurio internoscitur. Prius tamen quam illa adplicare licet, certum exploratumque esse debet, verba in quorum sensu indagando versamur, *non corrupta* esse, nec *interpolata*, nulloque in nostro codice sphalmate deformata; sed ab eo, quem

quem liber prae se fert, auctore ita, vt loquuntur, litteris consignata. Alioqui enim sensus quidem satis tolerabilis ex verbis nonnunquam elici potest, qui tamen a mente & conceptu scriptoris prorsus est alienus. *

* Exempli gratia, in codice ebraeo V. T. quem vir diligentissimus, HENRICVS OPITIVS, edidit, Ier. XII, 8. legitur נתנה־לי בחולה, quod verti vtcumque potest: *hereditas mea*, populus israeliticus, *dedit*, vel constituit se, *aduersus me in ARENA sua*, quasi contra me pugnaturus; neque deessent in antiquitatibus agonistici, quae lucem huic interpretationi adspergerent. Sed numquam ille sensus Ieremiae in mentem venit. Est enim locus sphalmate typographico deformatus, ac pro בחולה legendum בקולה, vt sensus sit: *edidit contra me* rugitum VOCE *sua*, hoc est, Iudaei ferociter de me & prophetis meis loquuti sunt. Idem contingit, si genuinis *vocalium* signis alia substituantur, ab ipso auctore non profecta; quod LXX interpretes, siue ex incuria, siue ex ignorantia, saepe feciſſe iam *supra* obseruatum fuit *lib. III. cap. VIII. §. V p. 621* Quomodo enim ex. gr ex verbis ebraicis, חפרה הלבנה ובושה החמה *confundetur luna, & pudefiet sol*, Esa XXIV, 23. per admirandam metamorphosin exsulpsissent; ταπήσεται ἡ πλίνθος, καὶ πεσεῖται τὸ τεῖχος, *perfodietur later, & subuertetur murus*; nisi pro *lebana*, luna, legissent *lebena*, later; & pro *hachammah*, sol, mutatis punctis substituissent *hachomah*, murus? Hinc vero adparet, quanti momenti sit disputatio de *integritate textus sacri*, quam *supra* attigimus, *lib. I c. II. pag. 27.* Si enim in multis locis vniuersalis corruptio omnes codices peruasit, nulla arte sananda; despe-

desperatum profecto est de illorum interpretatione, neque vmquam exspectandum, vt certum, & sine formidine oppositi amplectendum sensum, ex illis eruamus: quod quomodo cum bonitate & sapientia Dei conciliari possit, illi viderint, qui non desinunt, codicem sacrum vniuersalis deprauationis accusare, vel in vocalibus pro lubitu mutandis nimiam licentiam introducunt. Vid. *infra p.* 769. De locis *interpolatis*, siue *glossematibus* confer, quae *supra* diximus *lib. III. cap. I. §. XII. p.* 410. 423.

§. IV.

Quod si igitur certum sit, lectionem sanam esse & incorruptam, primum quidem, si cetera etiam consentiant, pro vero sensu est habendus, quem verba ac phrases, in *vsitata* sua *significatione* & *constructione* fundunt. *

* Nimirum quum prudens quisque ideo loquatur, vel scribat, vt ab aliis intelligatur: merito iudicandum est, eum verba ac phrases in consueta sua ac recepta significatione adhibuisse, quam ex communi loquendi consuetudine & linguae genio habuerunt. Idem de sacris etiam scriptoribus praesumendum esse, nemo non intelligit. *Sermo enim diuinus*, monente HILARIO *in psalm. CXXIX. secundum intelligentiae nostrae consuetudinem naturamque se temperat, communibus rerum vocabulis ad significationem doctrinae & institutionis aptatis. Nobis enim, non sibi loquitur, atque ideo nostris vtitur in loquendo.* Certum igitur est, vsum loquendi egregium esse scripturae interpretandae instrumentum, quamuis nimium ei tribuisse videatur LVD. WOLZOGIVS (cum IO. LVD. WOLZOGENIO, homine vnitario, non confundendus) qui dum se auctori paradoxae exercitationis, de *philosophia scripturae inter-*

terprete, cum aliis multis oppoſuit, pro philoſophia, ſcripturae tamquam interpretationis principium obtrudere voluit *vſum loquendi*, quae opinio multos in belgicis eccleſiis motus excitauit; de quibus videatur MATTH. METTHENI praefatio, quam tract. *de interpretatione ſcripturae*, Herborni MDCLXXV. edito, praemiſit. Equidem quum interpres in verbis ac phraſibus exponendis multum occupetur, quibus & vſus loquendi conſtat; facile eſt ad colligendum, quod plurimum inde ſubſidii ad ſacras ſcripturas explicandas merito exſpectetur: ſed regulae tamen, aut normae titulum haud merebitur, quem *ſupra lib. II. c. I.* analogiae fidei maiori iure adſeruimus. Interim merito ſuſpectus eſt ſenſus, qui a conſueta ſignificatione vocum ſine graui cauſſa diſcedit, niſi oratio ſit *tropica*, aut *prouerbiis*, ad litteram non explicandis, permixta. Hinc facile ex. gr. adparet, quid de ſenſu habendum ſit, quem ſocinianorum nonnulli verbis Chriſti Matth. IX, 2. tribuunt, ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου, quae vertunt: *ademtus tibi eſt morbus tuus.* Quamuis enim ἁμαρτία, ſi etymologiam ſpectes, quamlibet *aberrationem*, adeoque etiam aberrationem naturae a conſueto ordine operandi, hoc eſt, *morbum*, deſignare poſſit: noui tamen teſtamenti ſcriptores hac voce aberrationem a lege Dei, ſiue *peccatum*, conſtanter exprimunt: & ἀφιέναι ἁμαρτίαν ipſis eſt *peccata remittere* ac *condonare*, vt Luc. VII, 47. 1. Ioh. I, 9. c. II, 12. cet. vbi iſta phraſis de hominibus, nullo corporis morbo laborantibus, adhibetur. Sic apud LXX. interpretes verbum ἀφιέναι, reſpondet ebraeis vocibus נשא Pſal. XXXII, 1. 6. סלח Num. XIV, 19. כפר Eſa. XXII, 14. quae omnes de condonatione ſcelerum vſurpantur. Conf. pluribus de hac phraſi diſputantem doctiſſ. CAMPEG. VITRINGA, *obſeru. ſacr. lib.*

libri IV. *cap.* III. IV. *p.* 909. Dum verq *vſitata verborum ſignificatio & conſtructio* genuini ſenſus criterium conſtituitur, intelligendum id eſt ſecundum ſermonis, quo auctor vtitur, indolem, receptamque eius aeuo conſuetudinem loquendi, nec non rerum conditionem. Alioqui enim multae conſtructiones ebraeae & graecae nobis inuſitatae videri poſſunt, quae tamen in illis linguis conſtanti vſu fuerunt frequentatae. Vnde eum, qui hoc criterium recte adhibere voluerit, *linguarum* originalium *genium* & *idiotiſmos* prorſus imbibiſſe oportet. Ceterum quum ACCENTVS ebraei codicis ſignificationi phraſium & conſtructionum vario modo determinandae inſeruiant; haud exiguum decus ac robur ſenſui accedit, *ſi ille accentus ſibi habeat fauentes.* Quo pertinet canon ABRAH. BEN EZRAE, in libro מאזני הלשון *fol.* 199. *Quaecumque expoſitio ſcripturae non fuerit ſecundum rationem accentuum, ne adſentiaris illi, nec audias eam: quia auctor accentuum ſenſum melius cognouit, quam nos.*

§. V.

Accedit *conditio, ſtatus, indoles & adfectus* loquentis, quae omnia magnum habent in cogitationes, ex quibus ſermo naſcitur, imperium. * Hinc pro genuino habendus erit ſenſus, qui loquentis indoli, ſtatui adfectibusque eſt conuenientiſſimus, quique in ſcriptoribus, a ſpiritu ſancto adflatis, omnem excludit intellectus pariter & voluntatis imperfectionem. **

* Illuſtr. CHRISTIAN. THOMASIVS, in *praxi logices cap. III. §. 65. Initio*, inquit, *adcurate conſidera perſonam, quam gerit is, qui aliquid dicit, hoc eſt, ſtatum eius, item adfectum, vel inclinationem: Ramb. Inſt. Herm.*

quorsum & *studia* auctoris pertinent. Si enim ex. gr. *Stoicus* loquatur de *adfectibus*, plane alium conceptum de eo nos formare oportet, quam si id faciat philosophus, Epicuri scholae addictus. Si *Spinoza*, vel aliquis eius discipulus, de Deo, deque decretis diuinis loquitur, per *Deum* quidem totum complexum omnium creaturarum; per *decreta diuina*, aeternas illas & immutabiles naturae leges callidus homo intelligit: adeoque in interpretatione horum verborum ad hanc eius mentem perpetuo est respiciendum. Sed haec ad sacra transferamus. Verba Salomonis Cohel. II, 24. טוב אשר יפה לאכל ולשתות *Bonum est, vt placeat* homini *comedere & bibere*, cet. homines epicuraei in sensum profanum rapiunt, quasi illud Sardanapali, *Ede, bibe, lude!* inculcare sapiens auctor voluisset. Sed falsum esse istum sensum, verbisque temere adfictum, vel inde adparet, quia prorsus dissentit a *statu & adfectu* scriptoris, quo fuit, quum hunc librum consignaret. In toto etiam libro loquitur sapiens aliquis senex, qui ad fallacissimas voluptatum fraudes nauseabundus, vanitatumque pertaesus, fastiditis mundi crepundiis, imminentem ceruici mortem meditatur, atque spiritus sancti motum instinctumque sentiens, alios ante obitum docere cupit, quomodo viram, innumeris malis amaram, ita tamen transigere possint, vt inter media molestiarum agmina beati, mitem aliquando iudicem experiantur: denique qui ne vmbram quidem & colorem leuitatis suo discipulo indulget, qui tristitiam risu salubriorem esse pronuntiat, cap. VII, 3 & cachinno frenum iniicit, cap. II, 2. Ab eiusmodi morum magistro qui epulandi praecepta, helluandique licentiam exspectet, nae eum prorsus insanum esse oportet. Id quod generatim de omnibus scriptoribus sacris obseruandum, quorum & indoles & doctrina ita comparata erat, vt perpetuum veluti bellum ambitio-

bitioni, voluptatis opumque cupiditati & aliis vitiis indixerint; vnde procul dubio damnandus reiiciendusque est sensus, qui aliquid huic ipsorum indoli aduersum complectitur. Sed nec ex altera parte illum verborum Salomonis sensum ab auctore intentum esse putamus: *Bonum est, eum, qui pulcher est, comedere ac bibere*, h. e. Christo, inter homines pulcherrimo, per fidem frui, Ioan. VI, 53. 54. Phrasis enim *Christum comedere & bibere*, aliquid spirat, quod oeconomiae veteris testamenti, in qua Salomo viuebat, adeoque statui auctoris, non satis respondet. Serenior rutilantiorque est lux illius sententiae, quam vt in oeconomia vmbrarum, ἐν ἀνχμηρῷ τόπῳ, locum habere posse videatur. Quorsum multo magis pertinet AVGVSTINI meditatio, *de ciuitate Dei lib.* XVII *cap.* XX. qui Salomonem hic loqui putat *de mensa, quam sacerdos ipse, mediator noui testamenti, de corpore & sanguine suo instruxerit.*

** Scriptores nimirum sacri, praesertim in actu θεοπνευστίας constituti, & φερόμενοι ὑπὸ τοῦ πνεύματος ἁγίου, immunes erant ab illi imbecillitatibus, quas in aliis scriptoribus deprehendimus. Vnde in eo mirifice omnes inter se conspirant, quod nihil vmquam scripserint, quod non a scriptore θεοπνεύστῳ scribi aut dici debuerit. Quod si igitur ex verbis ipsorum eliciatur sensus, qui minimam siue in *intellectu*, siue in *voluntate imbecillitatem* inuoluat; verum illum, eorumque menti conformem, non esse, sine ambagibus pronuntiare licet. Ita quum *vulgatus* interpres *Ier.* XX, 7. verbum פִּתִּיתַנִי vertit: *seduxisti me, Domine, & seductus* sum; non exiguam mentis infirmitatem haec versio in Ieremia supponit. Quid vero opus est, adeo sinistrum de Deo sensum diuino vati adfingere, quum multo commodius reddi possit: PERSVASISTI *mihi*, vt munus

publici doctoris fuſciperem, cet. Ita ſi verba Pauli: τὰς ἐξουθενημένας ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, τάτας καθίζετε 1 Cor. VI, v. 4. *imperatiue* accipias, vt iubeat apoſtolus, vel infimae ſortis homines rerum temporalium iudices conſtituere; migraret ſane leges prudentiae. Munus enim iudicis auctoritatem requirit, niſi iuſtitia ludibrio exponi debeat, coll. Deut. I, 13. Exprobrat potius Corinthiis, quod lites ſuas deuoluant ad tribunalia eiusmodi iudicum, *qui nullo loco haberentur in coetu fidelium*, paganis quippe ſuperſtitionibus addicti, ἄδικοι verſ. 1. ἄπιστοι verſ. 6. & a Deo contemti, conf. LXX. Pſal. XV, 4. Magnam etiam redoleret ſiue imbecillitatem iudicii, ſiue, neſcio quam, impietatem, ſi Eſaias cap. VIII, 1. Deum introduceret, opus coniugale obſcoena aliqua periphraſi deſcribentem, vt vult illuſtris PETRVS DANIEL HVETIVS, in *demonſtrat. euangel. propoſ. VII. §. XV.* refutatus ab HERMANNO WITSIO *miſcellan. ſacr. part. I. p. 98 99.*

Ad imbecillitates ſcriptorum etiam pertinent *contradictiones*, quae vel memoriae infirmitatem, vel inconſtantiam arguunt. Nec admodum honorificum eſt auctori, ſi in eodem ſcripto ab vna ſententia in contrariam tam repente dilabatur. Hinc non facile in auctorem aliquem prudentem ſuſpicio cadit, eum priori ſententiae temere eſſe contradicturum, vt monet illuſtr. CHRISTIANVS THOMASIVS, in *praxi logicae*, *cap. III. §. LXXII.* Immo nec praeſumendum eſt, virum ſapientem aliis, quos vera ſcripſiſſe certo conſtat, contradicere voluiſſe. Nihilominus interdum fit, vt ſcriptor, ſi agnoſcat, ſe ex humana infirmitate erraſſe, vel ſi in rebus verosimilibus aliquid diligentius indagauerit, priorem ſententiam mutet; vel etiam, vt eorum oblitus, quae alibi adſeruerat, aliquid illis contrarium alibi adfirmet. Vnde *ſi haud adpareat, quomodo aliter expli-*

explicari possit auctor, quam vt vitium aliquod emergat: nimio conciliandi studio non ineptiendum: quod saepe faciunt, qui omnes antinomias iuris romani *tollere satagunt. Nam etiam optimo iudicio, & doctrina non vulgari praediti auctores interdum humani quiddam patiuntur;* vt scribit clar. ANDREAS RÜDIGER, *de sensu veri & falsi lib. III. cap. IV. §. V. pag. 487* edit. nou. At enim vero in sacris litteris ille metus plane euanescit, vbi nec scriptor aliquis sibimet ipsi, nec alter alteri vmquam vere contradicit. Rectissime EPIPHANIVS, *tom. I. operum, haeres. LXXIII. pag. 879. edit. Petauii:* Οὐκ ἐναντία τὰ ῥήματα τῆς γραφῆς ἀλλήλοις ἐστὶ, κἂν μάχεσθαι δοκῇ παρὰ τοῖς τῇ πίστει μὴ ὑγιαίνουσιν, ἤτοι ἀσθενοῦσι τῇ γνώμῃ. *Non sunt sibi inuicem scripturae verba contraria, tametsi iis, qui vel sana fide praediti non sunt, vel ingenii imbecillitate laborant, pugnare videantur* Superuacanea igitur erat iudaeorum industria, qua de libro Coheleth abscondendo deliberasse perhibentur, מפני שרבריו סותרין זה את זה *eo quod verba eius se mutuo destruerent*, sibique contradicerent, vt narratur in tr. *Schabbath, fol. 30. b. lin. 11.* Neque exiguum eiusmodi ἐναντιοφανῶν ex hoc libro catalogum texit ABRAHAM BEN EZRA, in *comment. ad cap. VII. 3.* Immo Mosi etiam contradicere auctor obseruatur in *Midrasch Coheleth fol. 114.* Quum enim hic Num XV, 39. prohibeat *sectari cor & oculos;* illum contra Coh. XI, 9. id suadere: *perge in viis animi tui, & adspectibus oculorum tuorum.* Sed ipsimet illi disputatores hunc nodum soluunt. Postquam enim Salomo addidit: *& scito, quod propter haec omnia Deus te iudicium vocaturus sit*, dixerunt יפה אמר שלמה *pulchre locutus est Salomo.* Idem hic rex sapientissimus Cohel. III, v. 21. non in dubio relinquere, nedum negare, sed firmiter

adferere animi immortalitatem putandus est: quia alioqui tum in antecedentibus vers. 17. tum in consequentibus, cap. XII, 7. secum pugnantia protulisse dicendus esset. conf. quae *supra* de contradictionibus scripturae monuimus *lib.* III. *cap.* III. §. IV. *p.* 448.

§. VI.

Neque dubium est, pro vero sensu esse habendum, qui & *scopo* intentionique scribentis exacte respondet,* & cum tota *orationis serie* sapienter cohaeret,** & *scripturarum sacrarum analogia*, perpetuoque velut clarissimorum locorum concentu, confirmatur ac stabilitur.***

Ita ven. HENRICVS MVHLIVS, in *apodixi scripturaria pag.* 19 *Pro demonstratione iure meritoque censendum erit, quod vi verborum, si in originali textu secundum omnem emphasin, nexumque ac SCOPVM attente considerentur, iunganturque cum locis aliis ac phraseologia, apte atque distincte fluere ostenditur.* Quum enim nemo patiatur, verbis suis sensum adfingi, qui ab ipsius *scopo* & intentione alienus sit: idem profecto aequitatis genus viris sanctis praestare par est. Sic apertam Paulo iniuriam faciunt, qui verba, χαίρειν μετὰ χαιρόντων, Rom. XII, v. 15. ita exponunt, quasi iubeat cauere, ne vana ac profana aliorum gaudia turbemus, (*die lustige Compagnie nicht stœhren*) sed potius partem in illis capiamus, *mitmachen;*) satis enim scopum suum in ipso capitis exordio vir diuinus declarat, qui eo tendit, vt nos Deo tamquam viuas sanctasque victimas sistamus *vers.* 1. & schema huius seculi euitemus *vers.* 2. Omnia igitur specialiora monita, quae deinceps sequuntur, ita explicanda sunt, vt cum hoc totius capitis scopo consentiant. Similiter *praecepta edendi, bibendi ac gaudendi*, quae in libro Cohel.

Cohel. cap. II, 24. cap. V, 17. cap VIII, 15. cap. IX, 7. occurrunt, ita interpretanda sunt, vt cum scopo totius libri, cap. XII, 13. *Deum time, eiusque praecepta custodi*, non pugnent; vnde caue alium cibi ac potus vsum intelligas, quam honestum, sobrium, pium, limitibusque timoris Dei circumscriptum.

** Ita rursus vener. HENR. MVHLIVS, *loc. cit. p.* 102. eam interpretationem apodicticam esse dicit, quae praeter pondus vocabulorum, vsitatamque rationem phraseos, ἀκολουθίαν rerum, & ἀναλογίαν scripturae obseruat, ita vt *verba non a dicente adhibita*, vt AVGVSTINVS ait, *sed rebus ipsis velut sponte subiuncta videantur*. Verba Pauli Col. II, v. 15. ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας, ἐδειγμάτισεν ἐν παῤῥησίᾳ, θριαμβεύσας αὐτοὺς ἐν αὐτῷ, communiter exponuntur de glorioſa *Christi victoria*, quam *de potestatibus infernalibus* per mortem ac resurrectionem reportauit. Sed ven. IOAN. OLEARIVS, in *elementis hermen. p.* 147. solide ostendit, hunc sensum abludere α) a *cohaerentia grammatica*, eum versu 13. praecedente, quae ostendit praedicata illa, *exspoliare potestates, easdemque traducere & triumphare*, ad DEVM *patrem* esse referenda, qui Colossenses gentiles viuificarat cum Christo, & omnes iis offensas condonarat: β) a *connexione logica & συναφείᾳ textus* cum vers. 16. 17. vbi mediante particula οὖν apostolus hanc nectit ex versu 15. *conclusionem: Ne quis IGITVR vos iudicet aut damnet ob cibum, aut potum* & alias res, ad τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου v. 8. spectantes. Quae collectio nulla esset, si v. 15. de victorioſa triumphatione infernalium potestatum ageretur. Quae enim consequentia: *Christus redemit Colossenses a potestate diaboli, in triumpho circumducti.* Ergo *se non subiicere debent pseudo-apostolis, ipsos damnare praesumentibus ob cultum leuiticum*

neglectum. Mauult igitur theologus doctissimus cum IOANNE COCCEIO verba interpretari *de abolitione magistratuum iudaicorum*, qui cultus leuitici legisque ritualis obseruantiae inuigilabant: qui sensus cum nexu & συναφείᾳ totius orationis egregie consentit; in qua diuinus apostolus *cultum legalem*, quem falsi doctores vrgebant, duplici argumento impugnat, quorum primum desumtum est *ab abrogatione legis caeremonialis* v. 14. alterum *ab abolitione principum legalium*, qui in Mosis cathedra sedebant, & 1. Cor. II. v. 6. adpellantur οἱ ἄρχοντες τοῦ αἰῶνος τούτου, οἱ καταργούμενοι. Sic optime fluit conclusio vers. 16. *Nolite igitur vos subiicere eiusmodi iudicibus, qui vos secundum legem dogmatum ritualium iudicare praesumunt de cibo, potu, festis iudaicis, cet.* Eamdem sententiam docte defendit ven. SAL. DEYLINGIVS, in dissert. *de chirographi & principum legalium abolitione.* In *vaticiniis* tamen interpretandis συναφεια & connexio non semper & vbique in consilium adhiberi potest. In illis enim saepe occurrunt *resumtiones, repetitiones dictorum, retrogradi saltus & digressiones* ab obiectis remotioris temporis ad propinquiora, & vice versa, vt dudum obseruauit clar CAMP. VITRINGA in *typo doct proph. pag.* 181. 182. Sed isti tamen saltus non fingendi ac praeter necessitatem multiplicandi sunt, vti ex gr. GVILIELM WHISTON Esa. XIX, 1-4. refert ad *destructionem Hierosolymae per Romanos;* vers. 5-8. ad cladem *Turcarum* in Harmageddon; vers 9. ad fin. ad *inuasionem Assyriorum*, tempore Hiskiae; merito propterea castigatus a cl. IOAN CLERICO in *bibl. selecta, tom.* XXIII. *part.* II. *pag.* 427. vbi vir doctus *p.* 424. illos perstringit, qui ab vno subiecto ad alterum temere transiliunt, *comme si les versets étoint indépendans l' un de l' autre, comme le fables d' Esope, qui n' ont aucune liaison ensemble.* In prophetiis certe continuis merito

merito praeferendus est sensus, quem connexio rerum & verborum commendat.

*** Quaerit vener. HENR. MVHLIVS, *loc. cit. p.* 102. *An interpretatio assensum non mereatur, nisi adducto quodam* loco parallelo *confirmetur?* Et ita respondet: *Iniquum plane videtur illorum postulatum, qui, quum media interpretandi omnia adhibentur, & dignus vindice nodus non incidit, in argumenti vim ac robur alterius loci auctoritatem etiam requirunt. Hac enim ratione in ipso scripturae ac reuelationis primordio, vbi canon, futuro demum tempore augendus, parallelis minime abundabat, fides & cognitio vacillasset ac titubasset, aut vana prorsus & irrita fuisset. Si fieri tamen possit, quod in plerisque fere contingit, id insuper habere minime debemus. Si enim caute & circumspecte omnia agantur, illud consilium adprime vtile ad apodixin esse arbitror:* maxime si magna parallelismorum nubes, & constans scripturae analogia obseruetur. Ibid. *pag.* 28. vir magnus ait: *Non sane certior ac apodictica magis illa scripturae interpretatio videtur, quam quae ex ipsa scriptura desumitur, vnde φανέρωσις illa πρὸς πᾶσαν συνείδησιν velut ex fonte petenda est. Eamque ob caussam sibi ipsa, velut princeps astrorum sol, sufficit lumen, nec ab alio, quam ab ipso auctore suo, illam vim ac demonstrandi efficaciam, illam mirabilem ac singularem ἐνέργειαν, tamquam peculium tenet.* Equidem auctor *exercitationis paradoxae, de philosophia scripturae interprete*, quem LVD. MEIERVM esse supra *pag.* 95. diximus, omnem istam locorum collationem exsibilat damnatque, ideo, *quod locus vnus scripturae cum alio nihil commercii, nec quidquam auctoritatis alter in alterum habeat.* At enim, *quae sinisteritas, aut stultitia est*, ait ven. HENR. MVHLIVS, *pag.* 104. *quaerere, quid negotii vni loco cum altero, vel auctoritatis intercedat? De eodem hic auctore agitur, nec ab inferiore iudice ad superius tribu-*

tribunal prouocatur; sed sententiam suam idem iudex, idem censor explicat. Siccine aegre feret, ac indignabundus plane, si ea, quae praecedit, sententia sequentem illustret, & obscura verba a clarioribus lucem accipiant. Et quem tandem sensum ex oratione quacumque eliciemus, si partes conferre & componere inuicem non liceat; quas, si singulas spectes, veluti saxa videas & lignorum robora; sin vnitas iunctasque, tum demum damum conspicias. Exemplum subiiciamus. Messias Esa. L, 5. *Dominus*, inquit, *aperuit mihi aurem, & ego non fui rebellis:* quibus verbis docet, se patri, voluntatem suam ipsi declaranti, summam probasse promtitudinem animique lubentiam, tum in suspiciendo, tum in administrando grauissimo molestissimoque munere, nec prouinciam, licet difficillimam, refugisse. CHRISTVM hic loqui, hancque veram esse verborum ipsius sententiam, alia etiam loca confirmant, quibus summa Christi obedientia, patri praestita, celebratur. Sic enim eadem persona Psal. XL, 7. 8. 9. *Aures mihi parasti*, excauasti, patulas fecisti. *Ecce venio, in volumine libri scriptum est de me: voluntatem tuam, o Deus, facio lubens.* Phil. II, v. 7. 8. *Ipse se exinaniuit forma serui, factus* obediens *vsque ad mortem.* Hebr. V, 8. *Quamuis filius esset, ex his, quae passus est, didicit* obedientiam. Rom. V, v. 19. *Per* obedientiam vnius *iusti constituuntur multi.* Ipse de se Ioan. IV, 34. *Esca mea est*, exequi voluntatem *eius*, *qui me misit.* Caecum surdumque esse oportet, qui mirifico isto tot locorum consensu non adficiatur.

§. VII.

Accedat denique *veritas rerum:* vt, si reliqua consentiant, pro genuino sensu habeatur, qui cum ipsa rerum veritate conuenit; tamquam falsus autem & spurius repudie-

dietur, in quo vel minimus error sacris scriptoribus tribuitur. *

* Equidem in scriptis humanis istud criterium non vsquequaque certum est. *Falluntur* enim, *qui ita rationes subducunt: in hoc sensu verum est, quod auctor dicit, ergo hoc etiam sibi voluit; vel ita: in hoc sensu falsum est, quod auctor dicit, ergo hoc non voluit. Namque auctores quum homines sint, falli possunt; erratque, qui putat, eos semper vera scribere, aut loqui*, vt monet IO. FRANC. BVDDEVS, in *philos. instrum. p. 209.* Aliter vero res se habet cum scriptoribus sacris, qui in actu θεοπνευστίας extra omne errandi periculum constituti fuerunt, vnde veritas rerum certissimum genuini sensus criterium praebet. Vbi tamen

I. In *veritatibus theologicis* cauendum est, *ne errores spuriasque hypotheses pro genuinis veritatibus, veritates pro erroribus habeamus, iisque scripturae sensum metiamur.* Saepe enim homines aliquid erroneum pronuntiant, quod est verissimum, quia scilicet *ratio*, (at quam angustis limitibus circumsepta!) illud capere non potest, aut quia cum *hypothesi* semel recepta non conuenit. Ita cum PAVLVS Rom. V, 18. vniuersalitatem meriti Christi ex professo doceat, eiusque δικαίωμα εἰς πάντας ἀνθρώπους, perinde vt Adami παράπτωμα, pertingere, diserte adfirmet: DANIEL CHAMIERIVS mauult hunc sensum, vt falsum, reiicere, quam ab hypothesi vel latum vnguem discedere. Hinc in *panstratia catholica, tom.* III. *lib.* VII. *cap.* VIII. *p.* 24. *Commoda*, inquit, *interpretatione hic locus leniendus, est: alias κατὰ τὸ ῥητὸν falsissima sunt haec verba.* Cur vero *falsissima?* nimirum quia simplex ille & perspicuus, quem fundunt, sensus hypothesi de particularitate gratiae diuinae refragatur. In eundem lapidem SOCINI sectatores impingunt, qui,

qui, dum mysterium *trinitatis* pro figmento patrum concilii Nicaeni habent, & doctrinam de illa Dei vnitate, quae omnem ὑποστάσεων pluralitatem excludit, ceu summam & irrefragabilem veritatem amplectuntur: non possunt non illum sensum, quem orthodoxi testimoniis scripturae de trinitate tribuunt, pro falso venditare, vtpote cum veritate (ab ipsis mente praeconcepta) aperta fronte pugnantem. Ita *subinde contingit, vt aliquid pro clara & euidenti veritate habeatur, in quo tamen error latet & falsitas. Sed id quoque haud raro contingit, vt quis putet, cum perspicua aliqua veritate aliquid pugnare, quod tamen cum ea amice conspirat*, monente ven. IO. FRANCISCO BVDDEO, *theol. moral. p. 54.*

II. In *veritatibus philosophicis*, astrononicis cet. videndum, *ne quid pro certa & indubia veritate venditemus, quod ad problemata referendum est*, & tantum aliqua sese probabilitatis specie commendat. Postulat enim virorum sacrorum & θεοπνεύστων conditio, vt etiam de rebus naturalibus nihil scripserint *aduersus apertam veritatem*, siue sensibili *experientia* siue certis & inconcussis *demonstrationibus* nixam: in quarum tantum numerum non statim probabiles hypotheses & coniecturae admittendae sunt: *ne relicto diuini eloquii solidamento per suspicionum nostrarum praerupta praecipitemur, vbi nec sensus corporis regit, nec perspicua veritatis ratio elucet*, vt scite ait AVGVSTINVS, *de trinitate, lib. III. c. XI.* Quid enim indignius, quam humanas propter opiniones, quae vel doctissimum ludere possunt, tritam verbi diuini semitam deserere; adeoque scripturae regulam ad incerta humani ingenii phantasmata inflectere. Conf. *supra* dicta *p. 487.*

III. In *veritatibus historicis, geographicis, chronologicis, genealogicis, media via tenenda est*, vt, si commode fieri possit, scriptores sacros & profanos conci-

conciliemus; si conciliatio idoneum locum non inuenerit; *scriptores sacros ab erroris culpa absoluamus*, eorumque testimonio indubiam fidem habeamus. MOSES ex. gr. dicit, Abrahamum, gentis ebraeae conditorem, *ex diuino mandato* se suosque circumcidisse, Genes. XVII, 11. HERODOTVS contra, *lib. II. c. XXXVI.* ait, *Phoenices & Syros*, sub quibus Iudaei etiam comprehenduntur, *circumcisionem ab Aegyptiis accepisse*. Male IOAN. MARSHAMVS & IOAN. SPENCERVS Herodoti narrationem Mosaicae praeferunt, in quos proinde eadem accusatio cadit, quam olim CELSO, circumcisionis originem itidem ab Aegyptiis repetenti, ORIGENES intendebat, *lib. I.* contra illum *pag. 17. 259. quod scil. Aegyptiis*, genti ventosae & superbae, *maluerit credere, quam Mosi, qui retulit, primum inter mortales Abrahamum fuisse circumcisum*. Sed vide hanc litem pluribus disputatam in HERMANNI WITSII *aegyptiacis, lib. III. cap. VI. p. 223.* SALOMONIS DEYLINGII *obseru. sacr. lib. II. obseru. VI. pag. 66.* & ven. PAVLI ANTONII exercitatione historica *de circumcisione gentilium, Marshamo opposita*, Lipsiae MDCLXXXII. † conf. quae *supra* diximus *lib. III. c. VII. §. IX. p. 601.*

§. VIII.

Hisce criteriis *perspicuitas & euidentia* a nonnullis additur, quae tamen, in se spectata, & a reliquis criteriis separata, non satis certum est veri sensus indicium; quum ille nonnumquam sensus verior esse possit, qui nobis certas ob causas obscurior videtur. *

* Equidem merito suspectus est ille sensus, qui nimia vel subtilitate vel obscuritate laborat, qui-

† Adde ZACH. GRAPII *theologiam recens. controuersam part. III. pag. 65.*

quique adeo contortus, hiulcus, & longe quaesitus est, vt plaustris supplementorum opus sit, ad eius lacunas commode explendas. Praestat omnino sensus facilis, obuius, perspicuus, qui sponte fluit, non per glossas confragosas ruit, quique sua se euidentia & claritate lectoris conscientiae commendat. Atque hactenus subscribimus clar. ANDREAE RUDIGERI verbis, *in sensu veri & falsi, lib.* III. *cap.* IV. *p. 487. Ille sensus non credendus verus est, qui difficili & intricata ratione procedit, maxime in sacris, vbi credi vix potest, scriptores θεοπνεύστους confuse de industria loquutos.* Dudum antea eadem monuit IO. CONRADVS DANHAVERVS, in *hermen. sacra p. 394. Sensus αὐτοφυὴς, natiuus, violento & artificioso oppositus, inoccupatus, qui primore conceptu, ante omnem occupationem, etiam simplicioribus, ἰνδέτοις, ante nata controuersiarum dispendia, in mentem venit, semper certior est artificioso, ac, ceteris paribus, genuinus, verissimeque a spiritu sancto intentus.* Similiter doctiss. CAMP. VITRINGA, *comm. in Esa. tom.* I. *pag. 904. Nimia,* inquit, *ac quaesita subtilitas interpretationis eam falsi suspectam facit.* Magnum enim & insolidum supponit in lectore acumen ingenii, scripturae autem tractatores Daui plures sunt, quam Oedipi. Exemplum accipe sensus impediti. Esaias cap. XXVI, v. 18. dicit ישועות בל נעשה ארץ quorum verborum simplex interpretatio est: *salutes non efficere potuimus in terra;* hoc est: Subinde quidem interualla aliqua lucida in anguſtiis nostris sensimus, sed nondum vidimus, & nostris laboribus precibusque effecimus perfectam salutem, & ab hostibus liberationem. Sed in alia omnia abit IOAN. COCCEIVS, difficilium sensuum sectator, dum vertit: *Salutes? non faciebamus terram.* Sententiam ita explicat: *Putasne, nos salutes peperisse, hoc est, nos vidisse multorum salutem? Respondetur ad hanc quae-*

quaestionem, non diserte, vel adfirmando, vel negando, sed tantum negant illi, qui hic loquuntur (quos V. Cl. facit christianos primi temporis,) *se fecisse terram, hoc est, comparasse & lucrifecisse terram, terram scil. hereditariam, Abrahamo, heredi mundi promissum.* Vt tandem post multas ambages hic exeat dicti sensus: *Si maxime aliqui saluati sint, tamen nondum videmus* τὴν κληρονομίαν τοῦ κόσμου Cui explicationi cl. CAMP. VITRINGA, *comment. in Esa. tom. II. pag.* 79. subiicit. *Non lego huiusmodi expositiones cum voluptate, quas quisque videt esse impeditas plane & coactas. Quis enim mortalium, si id dicere vellet, quod doctus interpres sibi proponit, eo modo loqui instituereret?* Sed ecce lusum παραδοξότερον FRANCISCI FORERII, qui in hanc mentem verba flectit, obtortoque veluti collo rapit: *Peperimus spiritum salutum* (vocem ישועת construens cum antecedente רוח) hoc est, nos christiani inter medias adflictiones bonum sparsimus euangelii odorem: *non fecimus terram*, hoc est, non confecimus, nullum exitium attulimus terrae, neminem laesimus, neminem corrupimus. Eiusmodi sane tortae & longe quaesitae explicationes, quales multae in IOANNIS COCCEII, LVDOV. DE DIEV, IAC. GVSSETII aliorumque scriptis occurrunt, non modo dedecent interpretem; sed *ipsa etiam scripturarum auctoritas apud auditorum* & lectorum *vulgus minuitur, quasi parum in illis solidae doctrinae, vtpote quae in quamcumque partem vel formam instar polypi, pro cuiusuis opinionibus, vel adfectibus pertrahi atque torqueri possint;* vt sapienter monet IOAN. LVDOV. HARTMANNVS, in *pastorali euangelico, lib. III. cap. XI. §. X. p.* 434. qui etiam *p.* 436. tamquam exemplum contortae explicationis adfert, quando verba Esa. I, 3. *cognouit bos possessorem suum, & asinus praesepe domini sui*, detorquentur ad fabulam, qua fingitur, boues

&

& asinos Bethlehemi Christum natum in praesepi adoraſſe. Conf. PAVLI CHRISTIANI HILSCHERI diſſertat. *de erroribus pictorum circa natiuitatem Chriſti*, §. XXII. *ſeqq.*

Non ſemper tamen *ſequitur: hic ſenſus clarus eſt & euidens, ergo eſt auctoris verus & genuinus ſenſus; aut: hic obſcurus eſt, ergo & falſus. Etenim cauſſae variae eſſe poſſunt, cur obſcurus potius pro vero auctoris ſenſu habendus ſit, quam clarus & perſpicuus*, vt dudum obſeruauit IO. FRANC. BVDDEVS, in *philoſ. inſtrum. p.* 208. Vnde non ſemper locum inuenit *regula ruſticae* SAM. BOHLII, qua vult, vt ſcripturam ſacram intellecturus, calleat ſaltem linguam originalem, & deinde nihil aliud credat, vel admittat, quam quae *natura, ſimplicitas & palpabilitas* dicunt, & quo quemlibet ducit naturalis ἀγχίνοια, non malitioſe obliquata; de qua hypotheſi vide, quae monuit AVG. PFEIFFERVS, in *theſauro herm. c. I. qu. IV. p.* 22. Poteſt ſane contingere, vt falſiſſimus ſenſus mira nobis perſpicuitate adblandiatur, maxime in iis ſcripturae dictis, quibus myſteria caeleſtis doctrinae, rationem omnem longiſſime ſuperantia, traduntur: vbi profecto, ſi praeferre velimus, quae rationi corruptae euidentiora videntur, a vero & genuino ſpiritus ſancti ſenſu multum aberrabimus. Rectiora heic monet RENAT. CARTESIVS *principiorum part. I. §. XXIV. Recordemur, & Deum, auctorem rerum, eſſe infinitum, & nos omnino finitos. Ita ſi forte nobis Deus de ſe ipſo, vel de aliis aliquid reuelet, quod naturales ingenii noſtri vires excedat, qualia iam ſunt myſteria incarnationis & trinitatis, non recuſabimus illa credere, quamuis non clare intelligamus. Nec vllo modo mirabimur, multa eſſe tum in immenſa eius natura, tum in rebus, ab ipſo creatis, quae captum noſtrum excedant.* Quae verba dum recitat ven. HENR. MVHLIVS, in *apodixi ſcripturaria, pag.* 124. addit: *Vtinam iſtud penſi haberent, qui veri-*

veritates diuinas γεωμετροῦσιν, id quod Spinozam, eique similes, cum Socini sociis, pessum dedit. Haec enim methodus theologiae socinianae est, vt scripturae verba, quaesita fictaque interpretatione, in eum sensum malint inflectere, qui cum ratione consentiat, quam falsi aliquod suspectique rationi tribuere, quod ex scriptura emendandum corrigendumque videatur. Neque ita tamen illi scripturae eneruatores semper impetrant, quod intendunt: quum sensus ille, quem ad rationis decempedam metiuntur, multo saepe coactior sit, impeditiorque, quam is, quem verba ex se perspicue simpliciterque fundunt. Vter enim quaeso sensus facilior ex Ioh. VIII, 58. *πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμι.* Noster? *antequam Abraham vmquam exstitit, ego sum*; quibus verbis Christus se Abrahami existentiam antecessisse affirmat, vnde & illum videre, & ab illo in spiritu videri potuerit: an *Socinianus?* Dico vobis, *antequam Abraham fiat* id, quod dicitur, nempe pater multarum gentium, siue caput omnium fidelium ex iudaeis & gentilibus, *quod ego iam sum*, nempe Christus & Seruator vester; quam detorsionem pluribus refellit SAL. GLASSIVS, *philol. sacr. p.* 886.

Neque illorum adprobanda est audacia, qui vt sensum planiorem, suisque hypothesibus fauentiorem exsculpant, *puncta* vocalia pro lubitu fingunt ac refingunt, *accentuum*que limites vel migrant, vel mutant. Inter quos LVD. CAPPELLVS exemplum aliis praeiuit, qui in *critica sacra* passim inculcat, *librum esse cuilibet atque licitum, post masoretharum punctationem aliam excogitare & substituere, si modo illa sensum fundat veriorem & commodiorem*; quae sane ad labefactandam euertendamque sacrarum litterarum auctoritatem & certitudinem, callide destinata sunt. Ita verba Esa XLII, 3. לאמת יוציא משפט *in* VERITATEM (leemeth) *educet iudicium*, (quae & LXX. ita legerunt, vertentes: εἰς ἀλήθειαν ἐξοίσει τὴν κρίσιν,) criticus ille ac-

cusat, quod sensum admodum obscurum gignant. Si vero legatur לאמת *leymmoth*, NATIONIBVS *proferet iudicium*, tum plana & perspicua omnia esse putat. Sed vide, quae temerariae isti correctioni opposuerit IO. BVXTORFIVS, in *anticritica lib. II. cap. XIII p.* 866. Similiter ad Gen X, 23. ולשם ילד גם חוא *Semo autem, etiam ipsi nata est proles*, haec adnotat: *Scribitur cum accentu athnach in voce* חוא; *vnde oritur phrasis plane dura. At si reiecto accentu illo in vocem praecedentem* גם, *coniungatur* חוא *cum sequenti voce* אבי, *exsurget sensus planus & apertus* ולשם ילד גם חוא אבי *Et Semo natum* aliquid *est etiam; ipse est pater omnium filiorum Heber.* Sed videatur rursus IO. BVXTORFIVS *loc. cit.* §84. Neque doctissimus interpres CAMP. VITRINGA sibi nonnumquam religioni ducit a masorethica, vt vocat, punctatura discedere, accentuumque officium negligere, si sensum commodiorem producere possit; quamuis id rarissime & fere inuitus faciat. Vid. ex. gr. *comm. in Esa. tom. II. p.* 399. *a.* †

§. IX.

Ceterum istorum criteriorum robur in *concordia* consistit; vnde inter se coniungenda sunt, vbi de veritate sensus iudicium ferendum est. Quod si enim vel vnicum defuerit, satis caussae est, cur sensus nobis debeat esse suspectus. *

* Si exempli caussa omnia reliqua criteria adsint, desit autem sensui *consensus cum veritate*, tum minime est admittendus. Ita si verba Pauli Act. XIII, 20. καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα ἔδωκε κριτὰς ἕως Σαμουὴλ τοῦ προφήτου, hoc modo explicentur: *Dein-*

† Denuo nuper illam licentiam proscripsit Cl. LVD. HENR. DASERVS, in exerc. philol. *qua origo & auctoritas punctorum ebraeorum diuina adseritur.* Tubingae, 1729. quae opposita est Cl. IO. FRID. COTTAE exerc. *de origine masor. punctorumque V. T.*

Deinde dedit ipsis iudices circiter quadringentis & quinquaginta annis, vsque ad Samuelem vatem, sensus emergit, qui cum veritate historica pugnat. Quocunque enim modo, in chronologia iudicum ordinanda, calculos subducas, istum annorum numerum nunquam extundes & stare haec prorsus non possunt cum Reg. VI, 1, vbi ab exitu Israelitarum ex Aegypto ad templi Salomonici initium fluxisse dicuntur *anni CCCC LXXX*. Quid igitur? expungendusne ille numerus, velut glossema, ab imperiti librarii manu intrusum? Ita vult clar. CAMP. VITRINGA, in *hypotyposi hist. & chron. sacrae pag 431*. Aut num dicemus cum MATTH. BEROALDO, *chronol. lib. III cap. IV.* quod Paulus *receptam iudaeorum sententiam*, vtut ERRONEAM, *sequutus sit, in re, quae non fidei est, sed numerationis?* Neutrum sane placet. Tertium enim datur, quod multo tutius amplecti licet. Nimirum non exprimuntur illo loco anni, quibus iudices populum rexerunt; sed anni, qui a natiuitate Isaaci fluxerunt vsque ad distributionem terrae, siue ad tempus, quo Deus iudices dare coepit, hoc modo: *Post haec*, quae *spatio circiter CCCCL annorum* gesta sunt, (subintellecta voce πραχθέντα cum *Lud. de Dieu*, vel cum *Franc. Iunio γενόμενα*) *dedit illis iudices* etc. Ita sensus emergit, qui cum veritate historica & chronologica exacte consentit. A nato enim *Isaaco* ad *Iacobum* anni effluxerunt LX; a Iacobo nato ad *descensum in Aegyptum* CXXX; *commorationis* ebraeorum *in Aegypto* numerantur anni CCX, in *deserto* transacti sunt anni XL; inde vsque *ad terrae distributionem* VII. Quibus annis in summam redactis, prodeunt anni CCCCXLVII. hoc est, *a's*, circiter CCCCL. quia tres tantum ad numerum rotundum desunt. conf. FRID. SPANHEMII *chronolog. sacr. tom. I. oper p 232*. Contra id, quod sensu continetur, potest esse verissimum; & sensus tamen ipse, quoniam *contextum* &

ſcopum dicentis non habet conſentientem, pro vera haberi nequit. Ita quum Eſaias ad Iudaeos dicit c. LI, 1. *Intuemini in petram, vnde excisi eſtis, & in cauum ciſternae, vnde effoſſi eſtis;* IO. COCCEIVS, heic CHRISTVM vult intelligi, *rupem ſalutis, ex cuius latere, tamquam ex foramine ciſternae, profluxit eccleſia.* Equidem veriſſimum eſt, credentes, reſpectu ortus ſui ſpiritualis, dici poſſe ex Chriſto, tamquam ex rupe, exciſos. Sed 1) quod vir doctus dicit, eccleſiam ex latere Chriſti, tamquam *ex foramine ciſternae profluxiſſe*, non conuenit metaphorae huius loci. Non agitur enim de *liquore*, qui ex ciſterna profluit; ſed de *foſſili materia*, quae ex cauo per foſſionem educitur. 2) *Contextus* aliud docet. Verſu enim ſequenti Eſaias ſe ipſe interpretatur: *Intuemini in* ABRAHAMVM, *patrem veſtrum, & in* SARAM, *quae vos enixa eſt.* Fruſtra igitur alia cogitamus, quam quae ipſe ſcriptor, ſuae mentis optimus interpres, nos cogitare voluit; vt recte monet CAMP. VITRINGA *ad h. l. p. 723.* Multo minus pro genuino ſenſu haberi poteſt, quem LXX. interpretes ſuppeditant: ἐμβλέψατε εἰς τὴν τρυπὴν πέτρας, ἣν ἐλατομήσατε, κ. τ. λ. *Inſpicite in ſolidam petram*, QVAM EXCIDISTIS; vt rurſus intelligatur *Chriſtus* a Iudaeis peſſime habitus, cruci adfixus & *lancea tranſfoſſus.* Hinc enim ſenſus, vtut nihil a veritate alienum contineat, a grammatica tamen ratione & punctatione vocum prorſus abludit. †

§. X.

Atque haec quidem criteria, ſi recte circumſpecteque adplicentur, facile docebunt, quo-

† Specimen, quo omnia iſta genuini ſenſus criteria ad certa ſcripturae dicta adplicantur, videri poteſt in *exercit.* noſtris *hermen.* pag. 186. in diſſertat. *de Salomonis ad eſum potumque exhortationibus*; nec non in Doct. ERN. FRID. NEVBAVERI diſſertat. *de Salomonis ad laetitiam adhortationibus*, quae ſub celeb. CHRIST. BENED. MICHAELIS praeſidio Halae 1729. habita eſt, *pag. 49. ſeqq.*

quomodo genuinus sensus a spurio, innatus ab illato, suo quasi quodam colore discerni debeat. Sed enim vero ad specialiora deueniendum, tentandumque est, num lux vberior vtilissimae huic doctrinae, ab omnibus fere hermeneuticorum compendiorum scriptoribus alto silentio praetermissae, adfundi possit.

§. XI.

Quod si igitur sensus litteralis inuolutus sit locutionibus *tropicis* & emblematicis, duo interpreti demonstranda incumbunt. * Primum, vt ius suum comprobet, a significatione vocum grammatica discedendi; ** deinde vt euincat, hunc, nec alium sensum metaphoricis illis dictionibus, ex mente scriptoris sacri, esse adsignandum. ***

* Consentit nobiscum IOANNES MVSAEVS, theologus grauissimus; *de vsu principiorum rationis in controuersiis theol. lib. I. cap. XII. §. XXVI. p. 105. Sensus, tum qui scripturae inest, tum qui ab interprete ei tribuitur, toties probatione indiget, quod scripturae insit, seu quod sit verus & genuinus scripturae sensus, quoties ei per verba improprie sumta inest, vel quoties interpres a propria significatione discedit. Hoc ipso enim, quod sensus per verba impropie sumta, scripturae inesse dicitur, per se notum non est, quod ei insit; sed ex quodam principio, quo verba improprie, & quidem taliter vel taliter accipienda esse demonstretur, demum notum fieri oportet.* Sed vtinam doctissimus theologus de isthoc *principio* mentem suam nobis explicuisset.

** Facile id fieri potest, si ostendatur, vrgentem adesse *necessitatem*, quae a proprietate litteras discedere non tam suadeat, quam cogat: de qua *supra* tractauimus *lib. I. cap. III. §. VI p. 60.* Addimus obseruationem clariss. ANDREAE RVDIGERI *de sensu veri & falsi, lib. III cap. IV. §. XIII XIV.* qui post traditam distinctionem inter sensum *possibilem & probabilem*, statuit, a sensu proprio esse recedendum, *si sensus proprius tantum sit possibilis: improprius vero probabilis.* Ex. gr. Esaias, dum imperii babylonici destructionem praenuntiat, cap. XIII, 10. inter alia dicit: STELLAE *caelorum & planetae eorum, non facient splendere lucem suam:* SOL *tenebrescet in ortu suo, &* LVNA *non sinet fulgere lumen suum.* Haec si proprie accipias de grauissima aliqua aeris tempestate, Babylonis expugnationem antecessura, qua saeuiente caelum & sidera obducuntur tetro atrore, & sol ipse, lucidissimum sidus, nubibus atris inuolui videtur; sensus sane hic esset *possibilis.* Quis enim neget, fieri potuisse, vt eiusmodi saeua tempestas Babylonem, a Medis & Persis mox expugnandam, adfixerit? Sed qui cogitauerit, solemne esse diuinis vatibus, vt hoc emblema adhibeant ad depingendam *calamitatem* in populos inducendam, & *rerumpublicarum* magnorumue *imperiorum subuersionem*, vt cap. XXXIV, 4. Ezech. XXXII, 7. Ioel. III, . cap. IV, 15. Apoc. VI, 12. 13. qui porro cogitauerit, Esaiam amare sublimes figuras, ad rem significantius oculis subiiciendam aptas; qui denique sequentia commata vers. 17. seqq. contulerit, vbi vates ipse propriis verbis mentem suam exponit: ille sensum improprium, & figuratum multo iudicabit *probabiliorem.* Quod si vero sensus verborum proprie acceptorum, *ne possibilis quidem* fuerit, dubium superesse non potest, illum esse deserendum. Vt quando Apocal. XXI, 21. *singulae portae* mouae

Hiero-

Hierosolymae *ex singulis margaritis* facta dicuntur. Haec si de *portis*, per quas exitur & intratur, deque *margaritis*, *in conchis nascentibus*, intelligas, ne speciem quidem verisimilitudinis habent; nisi R. IOCHANANI aurem praebere velis, qui docebat, *fore*, *vt Deus aliquando exhibeat gemmas & vniones triginta cubitos quaquauersum in qualibet superficie habentes, de quibus decem excitat altitudine viginti cubitorum, collocetque in portis Hierosolymorum*, vide IO. CHRISTOPH. WAGENSEILII *notas ad tract. Sota*, *pag.* 1034. Emblematica potius haec sunt, quibus figuratur *puritas & aequabilitas iudicii, quod & ipse Christus, & eius ministri in coetibus & conuentibus sacris administrarent.* Iudicia enim olim in *portis* habita fuisse, notissimum est.

*** Sunt equidem, qui statuunt *troporum ac symbolorum interpretationem prorsus vagam & incertam esse*, in qua ingenium humanum ludere, suisque indulgere coniecturis libere possit. At vero, quum non contemnenda pars scripturae sacrae stilo figurato scripta sit, quo res spirituales sub symbolis, ex rerum natura petitis, proponuntur: diuinae bonitati & sapientiae consentaneum est, iudicare, illi etiam parti eos veritatis characteres esse impressos, quorum ductu sensus genuinus a spurio dignosci possit. Eaedem scilicet regulae hermeneuticae in sensu tum proprio, tum improprio rem definiunt. Nam I. sicut *verba* significant ex vsu & consensu hominum, vna habitantium: ita & *symbola* ex consensu hominum suam significationem arcessunt. Quando ex. gr. Christus Herodem *vulpem* adpellat, Luc. XIII, 32. nemo non intelligit, vulpem hoc loco in symbolum *fraudulentae astutiae*, ad damnum aliis callide inferendum compositae, adhiberi. Hoc modo enim emblema vsu receptum, apud AESOPVM etiam, LOCKMANNVM,

& alios rei fabularis scriptores occurrit. Sic *aquila*, quia ceteris auibus volatu altior est ac metuenda, *regem*, in ciuium errata seuerum, tum in sacris denotat Ezech. XVII, 3 12. Ierem. XLVIII, 40. Hab. I, 8. tum apud Aegyptios, teste HORO *hieroglyph. II*, 53. Hactenus igitur verborum eadem ac symbolorum est ratio. Vtrorumque significatio *ex vsu*, inter homines recepto, indaganda est. Illa per aures; haec per oculos certam in mente ideam excitant, in interpretatione pluribus euoluendam. II. Si symbola *latioris* sint *significationis*, vt pluribus rebus designandis aptari queant; eodem modo agendum est, ac in explicatione verborum, quorum plures vsu receptae sunt significationes, *vt* nimirum *ex scopo & contextu definiantur. supra p.* 281. Ita *solis* emblema modo *Christum* denotat, Malach. III, 20. modo *reges* & *principes*, ecclesiae, suae maiestatis radiis, siue salutares, siue graues & molestos, vt Psal. CXXI, 6. Sic & in aliis emblematibus accidit, vt saepe plura non diuersa modo, sed aduersa etiam atque opposita, diuersis in locis significent: vti e. g. *leo* mox *Christum* Apoc. V, 5. mox *Satanam* 1 Petr. V, 8. impiosque *tyrannos* 2 Tim. IV, 17. designat: quia in leonis natura varia concurrunt, ob quae cum aliis aliisque rebus componi potest, ac comparari. Quum autem eiusmodi emblemata πολύσημα rem vnam tantum in vno loco significare debeant; facile reliqua segregari possunt, si modo in singulis locis *contextus* inspiciatur, qui nonnisi vnam ex pluribus notionem sibi attexi patitur; vt adeo nemo de symbolorum ambiguitate iure conqueri possit. III. Vti verborum vis & emphasis non est nimis vbique premenda, nec *extendenda vltra dicentis scopum*; ita etiam in symbolis & emblematibus interpretandis videndum est, ne limites, a scopo & analogia fidei praescriptos, transiliamus.

Sed

Sed *specialiores regulas*, in explicandis scripturae metaphoris obseruandas, suppeditare iuuat. (ℵ) *Attende ad explicationes, quas ipse Spiritus sanctus, cuigitus ille Dei, vel loco praesenti, vel aliis locis, commonstrauit.* Sic VII. *stellas* esse praesides, seu *doctores* VII. ecclesiarum, docetur Apoc. I, 20. (ב) *Ex his, tamquam principiis notis firmissimisque, vtpote ab ipso spiritu veritatis suppeditatis, ignotos plurium emblematum significatus iusta ratiocinatione collige.* Si itaque *stellae* sint *doctores* siue veri, siue falsi: *sol verus* erit *Christus*, summus ille propheta ac doctor Mal. III, 20. (al. IV, 2.) Apoc. XXI, 23. *falsus* autem, vero soli oppositus, vt Esa. XXIV, 23. erit *pontifex* suae ecclesiae, Christo aduersus, qualis post aduentum seruatoris Ebraeus fuit, & deinde Romanus; *caelum* autem *ecclesiae* symbolum erit, Hagg. II, 7. cet. (ג) *Aduerte ad ea, quae rebus tribuuntur, & α) e praedicatis iudica de subiecto.* Quum ex. gr. Apoc. VI, 13. 16. occurrant *stellae*, quae ob iram agni loco suo motae, *in terram* dicuntur *deciisse* velut grossi, vehementi decussae vento: facile percipitur, *falsos* innui regni antichristiani *doctores.* Vicissim β) *ex subiecto iudica de praedicatis*, vt quum Christus in manu sua dextra septem stellas dicitur habere Apoc I, 16. quid aliud isto emblemate significari potest, quam eum curam omnium doctorum gerere, eisque auxilio suo adesse (ד) *Prophetas confer cum prophetis*, qui cum passim ex. gr. procerum tam sacrorum, quam ciuilium ruinam, vt *casum* proposuerint *stellarum* Esa. XIII, 10. Dan. VIII, 10. Ioel. II, 14. Apoc. VIII, 10. tanto minus dubii heic superfuturum est. Maxime *nouum* testamentum cum *veteri* comparandum est. Ita quid designetur per *aquam*, quae Iacobeis promittitur Esa. XLIV, 3. & ad quam sitientes inuitantur c. LV, 1. discimus ex Ioh. IV, 10 cap. VII, 37. seqq. vbi de *Spiritu sancto*, eiusque donis explicatur.

Variis vero modis viri sancti ipsi emblematicas suas locutiones interpretantur, qui curiosissime obseruandi sunt; α) *per exegesin*; siue in *antecedenti* commate, vt Thren. V, 17. Hanc ob caussam nobis *moeret animus*, *oculi* nobis *caligant*; siue in *sequenti* vt Esa XLVI, 11. Advoco ex oriente *volucrem*, ex remota terra *virum*, consilii mei destinatum effectorem. β) per *adpositionem*, vt Esa. XXXVI, 6. An confidis *confracto* isti *arundineo scipioni Agyptio*, cui si quis innitatur, ei perforet manum? γ) per *vberiorem descriptionem* & deductionem imaginis, vt Esa. VII, 7. Ecce adducturus iis est Dominus *aquam fluuii vehementem & abundantem*, *regem Assyriae*, cum omni suo adparatu, *qui superatis omnibus suis alueis*, *omnesque ripas supergressus*, *redundabit in Judaeam*, *tanto fluens agmine*, *vt ad collum pertingat*. δ) per *coniunctionis particulam*, vt Psal. LXV, 8. Qui compescis strepitum *fluctuum* marinorum, & tumultum *populorum*. ε) per *casum*, quem vocant; *genitiuum*, vt Ier. L, 25. Iehoua, aperto armamentario suo, *irae* suae *tela* depromsit. ς) per *iconem*, vt Hab. I, 8. *Equites* eius procul aduenientes, aduolabunt, vt ad vorandum properans *aquila*. it. Hos. V, 14. ζ) per *integram parabolam*, eiusque manifestam ἀπόδοσιν, quae vel exprimitur per distinctam adcommodationem, vt Ezech. XVII, 2. seqq. 12. seqq. vel per explicationem emblematum, a quorum intelligentia sensus parabolae pendet, vt Esa. V, 2. seqq. Habebat dilectus meus *vineam*, cet. vers. 11. *Iehouae exercituum vinea est Israelitica stirps*. η) per *planissimas* multorum emblematum *explicationes*, vt Esa. XL, 7. *herba* sunt homines. Apoc. V, 8. *suffimenta* sunt supplicationes sanctorum. c. XVII, 15. *aquae*, vbi sedet meretrix, sunt populi, & plebes & gentes variarum linguarum. cet. ϑ) per eiusmodi *emblematum formationem*, *quae rationes figurae & figurati miscentur*, quo ex praedicatis, figurae non conuenientibus, ipsum agnoscatur figuratum, vt Ezech. XXXIX, 7. *Dic auibus omnibus*

omnibus alatis, omnibusque beſtiis agreſtibus; conuenite & adeſte conuenite ad meum ſacrificium, quod ego vobis in Israeliticis montibus ſacrificabo, & carnem comedetis, potabitisque ſanguinem: carnem heroum comedetis, ſanguinem principum terrae potabitis -- & in menſa mea ſatiabimini equis & vectoribus cet. Quae talia ſunt, vt competere veris ac naturalibus *auibus* vix poſſint. Hac via ſi in explicandis locis metaphoricis, figuratis, emblematicis incedatur, vt omnia ad *analogiam rei*, de qua agitur, adque analogiam *ſcripturae* referantur; etiam ſenſus improprii rationabili demonſtratio dari poteſt. Conf. CASP. HERM. SANDHAGENII, viri litterarum ſacrarum conſultiſſimi, *epiſtolam*, ſubnectam *introductioni ad hiſtoriam Ieſu Chriſti*, vernacula lingua editam *p. 156 ſeqq.* de *ſymbolis apocalypticis*, & viri clar. ANDR. LVDOVICI KNIGSMANNI *prodromum clauis propheticae*, *diſſ. III. §. IX. X. p. 154. ſeqq.* nec non SAL. TILLII *meth. conc. part II cap. III p. 392.* †

§. XII.

Quum pleraque *vaticinia* ſtilo ſublimi, multisque tropis & emblematibus mixto, conſignata ſint, ei, qui in illorum interpretatione verſatur, omnes nerui intendendi ſunt, vt, diſcuſſa nubecula illa prophetica, genuinum ſenſum non commonſtrare tantum, ſed etiam demonſtrare poſſit. *

* Quo ordine vaticinia tractanda & exponenda ſint, *cap. I §. IX. p. 741* indicauimus. Nunc quomodo illorum ſenſus ad liquidum perduci & extra dubi-

† Adhiberi etiam hic vtiliter poteſt NICOLAI CÜRTELERI *explicatio vocum typico-propheticarum*, & alii auctores *ſupra pag. 304.* citati.

dubitationem poni debeat, breuibus est significandum. Equidem multi sunt, qui de demonstratione sensus prophetiarum propemodum desperant, quippe quem adeo alte conditum & inuolutum putant, vt indagantis curam omnino fallat. *Quid certitudinis theologicae* (ita *magnus* aliquis *theologus*, cuius nomini parcimus) *ei studio inesse potest, in quo certitudinem aliquam se inuenisse pauci quidam theologi sunt persuasi; innumeri vero alii, sacrarum litterarum exponendarum gloria illis nequaquam minores, quique in eius interpretatione totam saepe vitam consumserunt, nihil minus in eadem inuenire potuerunt.* Haec si ita sint, frustra sane istud demonstrationis negotium suscipitur. Sed dudum istam maculam, studio prophetico adfusam, abstergere studuit ven. HENRIC. MVHLIVS, in oratione *de studio prophetico*, quae eius *apodixi scripturariae* adiecta est; & auctor *praefationis*, quae PETRI ALLIXII commentariolo *in psalmos* praemissa legitur, §. *XI. seqq.* Quibus addimus CAMP. VITRINGA iudicium, in *praef. comment. in Esa. tom. I. pag. 2. Dicunt nonnulli, verbum propheticum esse interpretationis dubiae: sensus eius, ingenio humano imperuestigabiles, in nulla fundari solida* demonstratione; *ad mysteria eius indaganda requiri praeterordinarium donum spiritus prophetici; & quae his similia vel ignaui homines pigritiae suae, vel profani & callidi irrisores suae in illud obtendunt irreuerentiae. Sed* calumniae *sunt odiosae vere & mordaces, cusae in regno tenebrarum, quibus reuelatio diuina iniquissime proscinditur.* Praetenduntur inter alia neglectui studii prophetici *sententiarum* in vaticiniis explicandis *diuortia.* Sed recte respondet clar. CAMP. VITRINGA, in *praefatione* ad *anacrisin apocalypseos: Opinionum & sententiarum pugna, quum in omnibus obtineat scientiis, quae* morali *nituntur* demonstratione, *licet certa saepe & euidente; & in ipsa*

ipsa etiam interpretatione illius scripturae diuinae partii, quae dogmaticam *religionis nostrae* doctrinam *complectitur, quamuis clare & liquido satis ab auctoribus, aut administris fidei nostrae exposita: non facient quorundam finistri iudicii, & male adfectorum interpretum studia, vt certa non habeatur huius prophetiae expositio, in qua melior & prudentior christianorum pars, post exploratam hypothesium certitudinem, consenserit. Culpa haud dubie est nostra, non spiritus Dei, qui vt legi hanc prophetiam & intelligi voluit, & verissima pollet suorum consiliorum explicandorum scientia: sic haud dubie orationem suam in ea tradenda eum in modum construxit, vt intelligi possit. cetera. Tria* vero potissimum in prophetiarum interpretatione luculenter demonstranda sunt.

I. HYPOTHESIS, quae prophetiae alicuius explicationi substernitur. † Prudenter obseruauit CAMPEG. VITRINGA, in *praefat.* ad *anacrisin apocal.* hypotheses vere esse diuinarum scripturarum *claues*; quas si veras & proprias ad eas interpretandas admoueris, facilis est introitus, & recluſa mox patent penetralia; si erroneas & adulterinas, excluderis hoc adyto, & nulla ingenii arte a poenitendis tibi erroribus caueas. Circa hypotheses autem, vt idem vir sapiens monuit, duplex interpreti officium incumbit: primum, *vt bonas, certas, aut probabiles eligat*, deinde, *vt delectarum certitudinem, aut probabilitatem rationibus adstruat & demonstret* α) Hypothesium *bonitas* nullo ex argumento clarius pareſcit, quam si expositio prophetiae, ad earum normam exacta, liquidum vbique, facilem, & dignum scribentis sapientia sensum fundat, ac historiae satisfaciat; perinde vt, qui pictae, aut sculptae imaginis lineas cum archetypo

† Formari tamen hypothesis non potest, nisi sensum vaticinii, de quo deinceps secundo loco pag. 784. agitur, genuatim perspectum habeamus.

typo confert, & vtriusque mihi ostendit similitudinem, alio non opus habet argumento, quo mihi persuadeat, illam ex hoc exscriptam esse. β) Hypothesium *certitudo* rectissime per *anacrisin* demonstratur, vt nimirum praestantiorum interpretum hypotheses, quae aliqua se commendant probabili specie, recenseantur, & modesto subiiciantur examini, quo possit lector suum ipsius iudicium heic exercere, & post librata rationum pondera statuere, quas sequi, vel fugere debeat partes; quam methodum ipse cum laude sequutus est CAMPEGIVS VITRINGA, in suis in *apocalypsin* & *Esaiae* vaticinia commentariis. *Tria* autem sunt *principia*, ex quibus hypothesium bonitas soliditasque demonstrari potest.

Aliquem in illis locum sibi postulat NRATIO, quatenus ex suo penu subministrat interpreti quosdam sani iudicii canones, quorum ductu *probabile a minus probabili* in omni casu *discerni* potest, ad quorum normam non poenitebit iaciendas hypotheses exegisse. Ita e. g. nemo, qui rationem, praeconceptis opinionibus haud occupatam, consuluerit, facile sibi persuadebit, apocalypsin generales tantum describere mundi & ecclesiae casus, vt, verbi gratia, *equus albus* sigilli primi nos moneat, euangelii doctrinam magnum facturam per orbem profectum; *equus rufus*, *niger* & *pallidus* cum suis equitibus simpliciter figurent grauissima mala *belli*, *famis*, *pestis*, ob spretum verbum euangelii hominibus adflicturam. Hoc enim modo nulla plane fuisset huius prophetiae cum ecclesia communicandae necessitas, nec haberet in ea coetus fidelium tanti pretii depositum, quanti in ea latere, coelestes praedicant chori, cap. V, 9. Similiter qui eumdem librum, prolixum satis, & ex diuersissimi generis emblematibus contextum, cum cura legerit, vix ab amica ratione impetrare poterit, vt HVG. GROTII hypothesi adsentiatur, qui implementum

mentum tot illustrium visorum ad Neroniana & Domitianea tempora restringit, aut vt clar. HERMANNI VON DER HARDT sententiae subscribat, qui in *coniectura de millenario*, apocalypsin in *Hierosolymae vastatione* & *gentis iudaicae exsilio* dudum impletam adserere studuit, quam coniecturam, nullo rationabili fulcro nixam, examini subiecit clar. BERNHARD. PETRVS KARLIVS, in *biblioth. Bremensi class. VI. pag.* 1105. *seqq.*

Praecipuum vero locum heic occupant ב CHARACTERES ipsius prophetiae expressiores, quae eius demonstrant *scopum*; quosque adeo, cum cura obseruatos, contemplari licet vt *vestigia veri*, in obscurioribus facilius indagandi. Nulla enim prophetia vera adeo est obscura, vt non hic illic in ipsis orationis tenebris verum pelluceat. Ita in initiis capitis LXIII. Esaiae *de victore ex Edom*, attentus lector facile sequentes obseruabit characteres, qui clauem vaticinio recte interpretando suppeditant. Persona, quae sub emblemate *herois* sistitur, (1) non proponitur, vt *patiens*, sed vt *agens*, nam ex. gr. *calcare torcular*, nusquam significat, suppliciis expositum esse, sed supplicia aliis infligere. (2) non vt conspersus *sanguine suo*; sed sanguine *hostium* vers. 3. (3) non vt *satisfaciens iustitiae diuinae* pro peccatis hominum; sed vt *administrans vindictam DEI* in puniendis hostibus v. 3. Ex his igitur aliisque criteriis, vaticinio insitis, facile hypothesis constituitur ac demonstratur: *Isthoc emblemate non exhiberi Christum patientem, sed triumphantem de hostibus ecclesiae Noui Testamenti cum multa effusione sanguinis ipsorum*; quod post B. LVTHERVM, qui exponit de Christo *synagogam iudaicam exscindente*, IOANNEM TARNOVIVM in *exercitat. bibl. pag.* 418. SIXTINVM AMAMA, in *antibarb. bibl. lib. IV. p.* 699. aliosque, CAMP. VITRINGA *ad h. l.* fusius comprobauit.

Accedit

Accedit ℨ *σύγκρισις*, siue COLLATIO *adfinium & cognatarum prophetiarum*, maxime eiusdem temporis historiam respicientium, quae se mutuo lumina collustrant. Ita hypothesin, quam antea capiti LXIII. Esaiae substernendam diximus, confirmant alia analoga emblemata, vt Esa. LIX, 16. 17. 18. (ex versione TREMELLII) *Quum vidit Iehoua nullum esse virum, & obstupuit, nullum esse interuentorem, salutem attulit ei brachium ipsius, & iustitia ipsius fulciuit eum. Nam induit iustitiam, quasi loricam, & galeam salutis capiti suo; induit, inquam, vestium vltionis indumentum, & amiciuit se zelo, quasi pallio. Plane secundum facta, plane secundum ea rependet, excandescentiam hostibus suis, retributionem inimicis suis, insulis ipsis retributionem rependet.* In primis in apocalypsi, illa vaticiniorum V. T. claue, prorsus idem repraesentamen occurrit cap. XIX, 11. seqq. *Deinde vidi caelum apertum, & ecce equus albus, cui qui insidebat, vocatur fidelis & verus - -* indutus est pallio, tincto sanguine, *& nomine vocatur verbum Dei - - ex eius ore prodit* gladius acutus, *quo gentes feriat, quas ipse* ferreo baculo *reget, idemque* calcabit torcular vini *saeuitiae iraeque Dei omnipotentis.* Adde cap. XIV, 19. *Angelus ille, sua falce in terram iniecta, terrae vineam vindemiauit, & vuas in ingens* irae Dei torcular *coniecit: quo torculari extra vrbem* calcato, *manauit ex torculari* sanguis, *vsque ad frenos equorum, per mille sexcenta stadia.* Quis in his aliisque similibus vaticiniis non eadem recitari audit; in quibus tamen nemo vmquam Christi patientis figuram quaesiuit. Demonstrandus porro est

II. SENSVS vaticinii REALIS, qui tamen demonstrari nequit, nisi prius *verbalis* vocum phrasiumque difficiliorum significatio, inter tot interpretum pugnas ac dissidia, firmis superstructa talis constituatur. Vbi rursus *vsitata votum vis, interpunctionum leges*

leges, *linguae genius*, *consueta construendi ratio*, & quae alia huc pertinent, in consilium adhibenda sunt. Exempla singulis fere paginis in CAMP. VITRINGA *comment. in Esaiam* occurrunt, vbi vir doctissimus plerumque etiam in locis obscurioribus συγκρίσιν instituit, inter versiones antiquas pariter ac nouas, detectisque singularum incommodis, veram versionem stabilire studet. Hoc labore exantlato, aditus patet ad interius prophetae sacrarium, sensum scilicet *realem*, qui maiorem curam & exercitationem requirit; in quo tamen prorsus caecutire oportet interpretem, nisi prius cum eunucho illo quaesiuerit: *de quonam dicit hoc vates? de se ipsone, an de quopiam alio?* Act. VIII, 34. *Subiectum* vero prophetiae quomodo indagandum sit, indicauimus *cap. I. §. IX. pag.* 741. *seqq.* Addimus cl. CAMP. VITRINGAE verba in *praefat. ad comment. ad Esa. tom. I pag.* 9. vbi in indagando & demonstrando prophetiarum subiecto hunc modum praescribit. α) *vt* attributa characteristica *subiecti ex prophetia colligantur*, & *cum attributis veris & propriis eiusdem subiecti*, *per quae ex* historia *per varios status suos innotescit*, *diligenter conferantur*. β) *vt expendantur* tempus, circumstantiae, occasiones & scopus *editarum prophetiarum*, *si quae in ipsa prophetia consignentur*. γ) *vt* prophetiae eiusdem argumenti, *quae in eodem libro*, *vel in aliis prophetiarum voluminibus deprehenduntur*, *inter se* συγκριτικῶς *contendantur*. δ) *vt maxima ratio habeatur* auctoritatis Christi Iesu, apostolorum & euangelistarum, *si forte in dictis scriptisque suis particulas prophetiarum decerpserint*, *earumque exponendarum ostenderint clauem*. *Haec* γνώμη, addit vir summus, *hic canon & cynosura sit verae & non ambiguae interpretationis*. Ceterum si sensus ille realis, vt plerumque fieri solet, variis *tropis*, elegantissimisque *emblematibus* & *symbolis* propheticis vestitus sit, in eius demon-

ſtratione ea rurſus obſeruanda ſunt, quae ad §. *antecedentem* ea de re diximus. Denique demonſtrandum etiam eſt

III. IMPLEMENTVM PROPHETIAE, *hiſtoriae* beneficio detegendum, cuius apodixis prorſus confirmat noſtrae interpretationis veritatem. Recte enim vener. HENR. MVHLIVS, in *apodixi ſcripturaria, p.* 25. *Demonſtratio prophetica fere ex hiſtoria petenda eſt. Nec enim ſolide prophetiae intelliguntur, niſi prius compleantur.* Et *pag.* 25. *Ad apodixin propheticam regula illa mihi firmiſſima videtur: Quandocunque res & facta habentur, quibus prophetiae verba concinne, decenterque aptari poſſunt, & ordo iuxta rerum, ac temporis circumſtantia ordini prophetiae ac tempori notato exactiſſime conuenit, tum intrepide & cum πληροφορίᾳ poſſe iudicari:* hoc eſſe, quod dicat, quod intendat propheta. *Neque alia de cauſſa ab ipſo Chriſto & apoſtolis*, hoc factum eſt, vt impleretur, *velut ſolemne & legitimum carmen toties inculcatur, quam vt oſtendatur, quomodo ex rebus geſtis tuto iudicare de ſenſu prophetiae, indeque apodictica argumenta petere liceat.* Ex. gr. Pſ. XXII, v. 17. dicitur: *Circumdederunt me canes, coetus malignantium cinxerunt me, perfodientes manus meas & pedes meos*; quibus verbis Chriſtus patiens deſcribitur in *circumſtantiis ſupplicii vltimi*, cum quoad *modum poenae*, tum quoad *auctores*, poenam *inferentes*. Vide vero, quam exacte euentus praedictioni reſponderit. In vaticinio dicit, *perfoſſas eſſe manus & pedes*, vnde exhauriantur omnes vires corporis; in hiſtoria Chriſtus cruci adfigitur, clauis ferreis per manus & pedes adactis. Deinde auctores notantur, *canes*, ſymbolum hominum gentilium; & *coetus maleuolorum iudaeorum*; in hiſtoria euangelica ſpectantur milites ex *gentibus*, & coetus hoſtium ex *Iudaeis*.

In

In prophetia praenuntiatur, hominem in crucem actum *spoliatum* iri *vestibus* ab iis, quibus data erat potestas in crucem agendi; totum hoc etiam videas in historia passionis, ita vt ne minimum quidem desideretur. Ceterum repetenda sunt, quae de *implementis* prophetiarum diximus *cap. I. §. IX. p. 743.*

§. XIII.

Singulari vero cura enitendum est, vt sensus *prophetiarum de* CHRISTO, quas sanctissimae nostrae religionis auctores suis disputationibus substraxerunt, in lucem protractus, solida demonstratione, inconcussis principiis innixa, confirmetur. *

* Omnis *demonstratio prophetiarum de CHRISTO* hisce momentis absoluitur:

I. *Colligenda sunt ex vaticinio, quod tractamus, attributa exstantiora & characteristica, quibus subiectum designatur.* Ex. gr. Isa. VIII. 13. 14. 15. dicitur: IEHOVAM *exercituum sanctificate, ille sit reuerentia vestra & pauor vester. Et erit in sanctuarium & in lapidem offensionis, & petram scandali duabus domibus Israelis, in laqueum & decipulam incolis Hierosolymae. Et offendent in iis multi, & cadent, & confringentur, & illaqueabuntur, & capientur.* Praedicata omnia arguunt, *subiectum* orationis esse personam aliquam illustrem, & quidem diuinam. De persona enim Deo inferiore commode adfirmari non potest, illam fore in *sanctuarium*; & est praeterea manifesta σχίσις, inter officium: *Iehouam sanctificate* vers. 13. & consequens officii; *erit* sanctificantibus se *in sanctuarium* vers. 14. Praenuntiatur igitur, vt quisque videt, alivua *manifestatio* IEHOVAE, qua ipse *duabus domibus Israelis* partim foret

in *sanctuarium*, partim in *petram scandali* & in *laqueum*: his praesertim, qui erant *Hierosolymis*, hoc est, principibus & proceribus populi, sacerdotibus ac sapientibus, sic vt longe plurimi illius gentis, *laesi*, *capti*, *illaqueati*, *misere perirent*, notabili Dei iudicio.

II. *Comparanda sunt illa attributa cum subiectis, de quibus rationabiliter & cum aliqua veri specie cogitari possit, collatis* examinatisque optimorum *interpretum*, iudaeorum pariter ac christianorum, *hypothesibus* & cogitatis. Ex. gr. vaticinii, quod ante recitauimus, subiectum, nonnulli faciunt *regem Assyriae*; quae sententia est ABRAH. BEN EZRA, sed a ratione alienissima: nam α) contextus *aliud subiectum* demonstrat, IEHOVAM; β) Assyrius rex nonnisi absurde, quocumque tandem sensu, dici potest futurus *in sanctuarium*. IS. ABARBANEL verba, *Deus erit in sanctuarium & in lapidem scandali duabus domibus Israelis*, ita interpretatur, quod Deus a tribubus Israelis *repeteret vindictam sanctuarii sui neglecti*, partim per *Tiglat pileserem*, partim per *Salmanassarem*. Quod vero additur, *in laqueum incolis Hierosolymae*, refert ad *tempora Hiskiae* & *Senacheribi*; quippe quibus verbis denuntietur *exitium Sebnae & sectatorum eius*, qui studentes Assyriae regi, aduersus Hiskiam conspirarint. Quae sane adeo contorta & coacta sunt, vt qui recensuerit, simul refutauerit. Neque HVGO GROTIVS, qui haec ad litteram intelligi vult, *de iudicio Dei in Israelitas & Iudaeos*, quod exsecuti sunt *reges Assyriae*, quidquam veri simile in medium adfert; nec expedire potest, quomodo Deus illo tempore duabus domibus Israelis simul factus sit in *sanctuarium* & in petram scandali, & praeterea incolis *Hierosolymae* in laqueum, vt plurimi illorum capti, miserandum in modum perierint. Tempore enim irruptionis primorum Assyriae regum

regum *Tiglat-pileseris* & *Salmanasseris*, Hierosolymitani talem cladem non tulerunt; & tempore Hiskiae seruati sunt a *Senacheribo*. Quod vero Israelitas *decem tribuum* attinet, in *sanctuarium* quidem iis illo tempore Deus minime factus est; in *petram* vero *scandali* factus si esset, debuisset se iis eo modo manifestum facere circa illud tempus, vt sua culpa inde captassent argumentum vel erroris alicuius, vel criminis grauioris, in quod prolapsi fuissent: quod quale sit, nemo vmquam explicauerit. Vides igitur, celeberrimos interpretes, qui Christum hic videre nolunt, nullum posse ostendere subiectum, nullam designare temporis periodum, cui haec praedicata conueniant.

III. *Circumspicienda sunt alia scripturae loca, vbi vaticinium istud ab ipso spiritu sancto Messiae vindicatur.* Maxime hic consulendi sunt, velut certa oracula, *scriptores N. T.* ab eodem spiritu, qui per os prophetarum loquutus est, adfecti. Vnde recte SAL. TILLIVS, in *meth. concion. part. II. c. II. p. 380.* *Nobis*, inquit, *canon esto, vt prophetia, in nouo testamento ad certum subiectum reuocata, habeatur pro demonstrata*; quia scilicet spiritus sanctus ibi agit interpretem mentis suae, suorumque consiliorum, atque *optimus interpres verborum quisque suorum est.* Muniendus igitur est animus aduersus commenta *adcommodationum*, quae Sociniani, similisque commatis homines, nobis obtrudere conantur, quae nihil aliud sunt, quam argumentorum, quibus euangelii doctores vtuntur, *euersiones.* Adcommodatio enim est, si praedicatum, ex loquentis intentione dictum de vno subiecto, ob aliquam conuenientiam adplicatur alteri subiecto, de quo loquens ne quidem cogitauit. Ita vero euangelistae & apostoli ridiculi sint (sit venia dicto) demonstratores veritatis christianae, si in seria re ita luserint. Vide, quae *supra* monuimus *pag. 70.* & *156.*

& 156. seqq. Sed redimus ad Esaiae vaticinium, cuius clauem scriptores N. T. nobis porrigunt. Designant enim huius prophetiae *subiectum* MESSIAM, Christum hominem, in quo Iehoua, Deus verus, habitaret, & populo suo praestaret omnia beneficia gratiae, quae amplitudo huius promissi complectitur, quo dicitur futurus in *sanctuarium*; & qui simul hypocritis & impiis in iudaea gente obiiceretur, tamquam *lapis offendiculi & petra scandali*, ad exitium longe maximae illius populi partis. Sic *Simeon*, adfectus a spiritu sancto, Luc. II, 34. & Iesum vlnis complexus: *Ecce* οὗτος HIC *positus est in casum & resurrectionem multorum, & in signum, cui contradicatur.* Ὁμόφωνον est testimonium Pauli Rom. IX, 32. 33. vbi rationem reddens incredulitatis maximae partis iudaeae gentis, προσέκοψαν, inquit, τῷ λίθῳ τοῦ προσκόμματος, *sicut scriptum est: Ecce statuo in Tsione lapidem, ad quem impingetur, & petram offendiculi, & quisquis crediderit in eum, non pudefiet.* Consentit etiam Petrus 1 Pet. II, 6. 7.

IV. *Ostendendum, quomodo in persona Christi, quam scriptores N. T. nobis ostendunt, attributa illa, quae nulli alii subiecto conuenire antea demonstrauimus, ad viuum expressa compareant.* In hoc ex. gr. Deus, multo illustrius, quam olim in sanctuario typico, habitauit, ad credentes in se sanctificandos. Ille erat tabernaculum Dei apud homines viuum. Ille est, qui corda fidelium per spiritum suum occupat, eaque illuminat, sanctificat, & sua replet gratia & gloria. Eius manifestatio quum contra communia caecae gentis praeiudicia fieret, factum est, vt plurimi, quorum corruptum erat iudicium de via salutis, maxime homines *Hierosolymitanae* factionis, impingerent in illum eiusque doctrinam grauissime, ita vt magno ceciderint lapsu, atque atroci crimine sese obstrinxerint diuinae iustitiae, ad quaeuis mala & calami-

calamitates, quod pluribus deducit CAMPEGIVS VITRINGA *ad h. l. pag. 268. seq.* Contra eiusmodi demonstrationem claram ac velut palpabilem, qui oculos occludere, animumque obfirmare voluerit, is affectatae caecitati cum commiseratione relinquendus est.

§. XIV.

Supereſt, vt de demonſtratione *ſenſus myſtici* aliquid addamus, qui, quamuis a multis vt res prorſus lubrica & incerta traducatur,* non minus tamen, ac litteralis, ſua habet principia, ex quibus animo, veritatis amanti, vsque ad conuictionem demonſtrari poteſt. **

* Senſum *myſticum* eſſe illum, qui per res, verbis ſignificatas, inſinuatur, ſupra oſtendimus *lib. I. cap. III. §. X. pag.* 67. vbi & *§. XII. pag.* 74. *criteria* exhibuimus, ex quibus conſtare poteſt, ſpiritum ſanctum rem, de qua agitur, in alius rei ſymbolum deſtinaſſe, adeoque ſenſum myſticum ibi eſſe quaerendum. Id enim vel ex aperto *ſpiritus ſancti* aliis in locis *teſtimonio* diſcitur, vel ex *aliis veſtigiis* perſpicitur, *propria pii interpretis induſtria* indagandis & obſeruandis. † Vtrumque ſenſus myſtici & allegorici genus multi ſtuduerunt incertum & lubricum reddere. *Melchiſedecum* fuiſſe typum Chriſti, *Hagaris ſeruae filios* repraeſentaſſe degeneres iudaeos, *Sarae filios* genuina noui foederis membra deſignaſſe: ex apertis ſpiritus ſancti indicationibus conſtat, Ebr. VII. Galat. IV. Nihilo minus ſunt, qui illas diuini Pauli explicationes labefactare, vimque probandi, quae illis ineſt, infringere ſtudent. RICHARD SIMON,

† Pluribus id deduximus in commentatione noſtra *de genuinis ſenſus myſtici criteriis.*

SIMON, in *hiſtor. erit. N. T. cap. XII. pag.* 248. eiusmodi Pauli interpretationes vocat *Phariſaicas, a Gamaliele hauſtas;* alii dicunt, iſtas argumentationes myſticas, in ſe omni robore deſtitutas, ſuam firmitatem accipere ab auctoritate, qua apoſtoli, illis κατ' ἄνθρωπον aduerſus iudaeos vſi, polluerunt. Sed recte ven. HENR. MVHLIVS, in *apodixi ſcripturaria pag.* 54. *Paulus talia non a Gamaliele ſuo, ſed a ſpiritu ſancto edoctus fuit, neque ab homine, verum a Deo accepit, quod tradidit: quamuis inter traditiones Phariſaeorum, a maioribus acceptas, fuerit quoque κατὰ χρῆσις aliqua de obſcurioribus typis, ſacrificiis, ritibus, aliisque δόγμασι; quas tamen deinde ſuis hariolationibus prauisque additamentis prorſus obnubilarunt.* Et profecto ratio expediri non poteſt, cur Paulus Phariſaeus tam iniquus fuerit in doctrinam euangelii, ſi ſimilia in ſcholis ſuis audiuiſſet. Rectius Petrus 2. epiſt. III, 15. vocat τὴν δοθεῖσαν αὐτῷ σοφίαν, ſiquidem omnia illa didicerat διὰ ἀποκαλύψεως Ἰησοῦ χριστοῦ, Gal. I, 12. 16. Eph. III, 3. Igitur (ita pergit vir doctus *p.* 60.) *ex typis Melchiſedeci, Sarae, Hagaris, aliisque, nihil minus apoſtolus, quam infirma & ſubleſtae fidei argumenta deduxit aduerſus iudaeos, quos non* auctoritate *& ἀξιοπιστίᾳ ſua* apoſtolica *obruit, quippe quae ſubinde in dubium vocabatur; ſed rationum pondere ac euidentia, illa apodixi, quae ex conceſſis vtrimque & partim apertis petebatur, palamque faciebat, omnino dignum eſſe Deo, talem veritatem talibus typis ſignificare, adcuratiſſime profecto conuicit.*

Quod vero ad iſtas attinet interpretationes myſticas, quae ad illarum, quas viri θεόπνευστοι conſtruxerunt, exemplum a pio doctoque interprete formantur; eis apertum bellum indicit IO SPENCERVS, de *legibus ritual ebraeorum*, nulloque prorſus rationabili fundamento eas niti cauillatur. Sic *lib. I. ap. XI. ſect. V. p.* 169. ait: *Typis, ſymbolis, figuris, & huius-*

huiusmodi rerum signis, ita comparatum est, vt in quemlibet sensum facile torqueri possint, & ad instar nubis figuratae pro vario intuentium captu & ingenio, rei nunc huius, nunc illius imaginem sustinere. Si quis frontem paullulum perfricauerit, nihil est, quod e typis & institutis legis probare nequit, quum typi, quos vocant, sint sensus multiplicis & interpretationis inexhaustae. Praetendit vir clarissimus suo aduersus sensum mysticum odio *patrum* aliorumque *interpretum* in typis exponendis *dissensum*, quem miris modis didicit exaggerare. Sic *lib. III. dissert. VIII. cap. IX. pag.* 482. vbi de *hirco emissario* disputat, *Plerique*, inquit, *hic ad allegoriam confugiunt & rationem mysticam; cuneum illum nodo cuiuis in lege soluendo parem existimantes. Quum autem eorum allegoriae sensusque mystici* merae *plerumque* coniecturae *sint*, & ingenii lusus, *tenui tantum subnixae rerum similitudine; nil mirum, si eorum auctores abeant in diuersa.* Mox quum IVSTINI MARTYRIS, CYRILLI ALEXANDRINI, THEODORETI, BONFRERII sententias de hircorum illorum significatione arcana recensuisset, quae parum sane inter se discrepant, addit: *Horum hircorum rationes mysticas in medium protuli, quod eas recitasse, sit refutasse, & maximae temeritatis arguisse. Si enim hircis illis significationes tam varias & dissimiles adsignare liceat, fieri nequit, quin lex Mosaica tamquam nasus cereus in omnes rerum formas trahatur, & plures ipsa luna facies & figuras gerere, vel, quod peius est, ipsa secum pugnare censeatur.* Vnde tandem, sensu mystico ex illa lege proscripto, solita confidentia pronuntiat, *Deum hoc instituto ad increduli & puerilis ingenii populum se ipsum indulgenter adcommodasse*, seque nonnullis moribus superstitiosis nescio quarum gentium, qui *capros* diuinis honoribus adfecerunt, opposuisse. Satis igitur adparet, doctissimum virum non solum *abusum* taxare,

qui vtique grauissimus est, sed ipsum etiam *vsum* reiicere, quidquid *Lib. I. cap. XI sect. I. p.* 151. in contrarium disputare videatur de *mysteriis* per instituta Mosaica adumbratis, quae *sect. III.* in *caelestia, philosophica* & *euangelica* distribuit. Quam arctis enim limitum carceribus significationem illam mysticam includat; quamque frigide de illa loquatur, qui reliqua legit, ignorare non potest. SPENCERI partes plures viri docti amplectuntur, quorum deinde auctoritas & eruditio facile in adsensum pertraxit alios, qui suo iudicio minus fidunt, & longe sunt eruditione iis inferiores; aut e re sua esse putant, sui consensu iudicii se iis commendare, dum in has transeunt partes. Ita igitur priuatum quorumdam hominum iudicium facile cum tempore obtinet auctoritatem publici, & in contemtum incidit, qui contra ire, & a tantis magistris dissentire audet, vt prudenter monet CAMPEGIVS VITRINGA, in *obseru. sacr. lib. VI. c. XX. pag.* 484.

** Generalia *fundamenta* studii scripturae diuinae mystice interpretandae recenset idem vir maximus, *loc. cit pag.* 479. *seqq.* quae sunt I. *Exemplum scriptorum noui Testamenti*, qui hoc studii genus in interpretanda scriptura siue historica, siue prophetica V. T. ipsi sectati sunt, adeoque vt optimum nobis commendauerunt. II. *Analogia & proportio, quae inter omnia Dei opera naturae & gratiae intercedit.* Nimirum stilo scripturae est mundus naturae & gratiae, *physicus* & *mysticus* Mysticus duplex, *vetus* & *nouus*; *typicus* & *antitypicus*, quorum ille ad montem Sinai, hic sub oeconomia noua a Christo Iesu conditus est, Ephes III, 9. Ebr. XII, 26. Esa. LXV, 17. 18. In his mundis, siue seculis inter se componendis & ad se inuicem referendis, sic lusit diuina prudentia, vt quidquid se sensibus nostris conspiciendum offert in *mundo physico*; idem demonstrari possit,

possit, & passim demonstrent scriptores sacri phrasibus metaphoricis & mysticis, quarum scriptura sacra feracissima est, in *mundo mystico*, qui est ecclesia, eiusque duae oeconomiae. Habent illae quoque suum *caelum*, & in illo solem, lunam, sidera, planetas, nubes, grandinem, pluuiam, tonitrua, fulgura, aues & auium principes, aquilas: *terram* desertam, frugiferam, homines, bestias, animantes, leones, vrsos, oues, boues, aurum, argentum, arbores, cedros, quercus, myrthos, palmas: *mare*, pisces omnis generis, leuiathanem, cetera. Idem lusus in conformitate duorum mundorum mysticorum, *typici* & *antitypici*. Insignia, quae in *veteri* oeconomia deprehenduntur, demonstrari etiam possunt in *noua*; nisi quod in illa extiterint *typice*, in hac *antitypice* & vere. Hanc conformitatem operum diuinorum admirabilem ad *casum* fortuitum referre; hominum est diuinae maiestatis irreuerentium, & de eius sapientia inique iudicantium.

§. XV.

Secundum illa igitur principia & fundamenta quisquis mysticas suas scripturae sacrae interpretationes caste & prudenter composuerit: eius non minus certa erit expositio allegorica, quam quaeuis litteralis, siue in exponendis *typis*,* siue in sensu mystico, multis prophetarum *vaticiniis* impresso,** in lucem protrahendo versetur.

* Typorum rationem ac fundamentum doctiss. SAL. TILLIVS, *de methodo concion. part. II. c. III, p. 397.* constituit *consilium DEI*, de dandis aut speciminibus, aut imaginibus maiorum operum, quodammodo similium, *ad confirmandam spem rerum spiritualium*, in foedere gratiae promissarum. Quum enim

enim posito verbo gratiae, reuelatum sit *medium* reconciliationis peccatoris cum Deo, illaque res & intellectu & creditu sit difficilis; immo a iudicio carnis vt plurimum aliena: consentaneum sane erat diuinae prouidentiae, ante rerum complementum fidem credentium confirmare talibus maiorum operum specimini-bus, ex quibus colligerent, & res fieri posse, & cum virtutibus diuinis optime consentire. Insuper Deus hoc modo *infirmitati humanae* succurrere voluit, quae eo docendi genere facilius adficitur, quo res, in oculos & sensus incurrentes, ad veritates illustrandas adhibentur. Vnde numen sapientissimum in rebus, ad aeternam hominum salutem spectantibus, non solum exemplis & similitudinibus, sed externis etiam signis, picturis, symbolis, vsum est. Inprimis illa methodus obtinuit sub oeconomia Mosaica, in pueriili ecclesiae aetate, vbi praestantissima de Messia & opere gratiae promissa non tam verbis exposita, quam rebus figurata & adumbrata fuerunt; quas scriptura τύπους, σκιὰς Ebr. X, 1. ὑποδείγματα cap. VIII, 5. παραβολὰς cap. XI, 19. vocat.

Quum igitur typi sint *prophetiae reales*, in illorum explicatione & demonstratione eadem methodus tenenda est, ac in *prophetiis verbalibus*, vt scilicet sedulo inuestigetur *subiectum*, quod ex praedicatis inter se coniunctis innotescit, deinde *praedicata* pro subiecti natura explicentur. Et in *typis* quidem *legalibus*, qui loca, tempora, personas & res, ad cultum leuiticum pertinentes, spectant, ita versandum est, vt a notioribus ad ignotiora, a certis & indubiis ad incertiora subinde progrediamur. Illa enim scientifica, vt vocatur, demonstratio est, τοῖς ἀμφισβητουμένοις ἐκ τῶν ὁμολογουμένων ἐκποριζουσα τὴν πίστιν, *quae iis, de quibus dubitatur, ex certis indubitatisque aliis fidem facit*, vt ait CLEMENS ALEXANDRI-

DRINVS *stromatum lib. II. §. XI. pag. 454.* edit. *Ioan. Potteri.* Igitur α) circumspicienda sunt alia loca, vbi *ipse spiritus sanctus* rationem typicam instituti alicuius Mosaici exponit, siue id *expresse* fiat, vt quando *sanctum sanctorum* in tabernaculo leuitico emblema dicitur fuisse ipsius caeli, Ebr. IX, 12. 24. *velum*, sanctissimo oppansum, symbolum carnis Christi, Ebr. X, 19. 20. cet. vel *implicite*, quando ex. gr. antitypus designatur *nominibus symbolicis*, ex typologia V. T. desumtis: vt quando CHRISTVS dicitur מקדש *sanctuarium* Esa. VIII, 14. *agnus paschalis* 1 Corinth. V, 7. ἱλαστήριον Rom. III, 25. ecclesia, *domus Dei* 1 Timoth. III, 15. fideles, *templum* Dei viuentis 2 Cor. VI, 16. vel quando occurrunt *metaphorae & allegoriae*, quae *ad cultum & statum veterem adludunt.* Sic 2 Cor. VI, 14. μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες ἀπίστοις, respicitur ad Deut. XXII, 10. *ne arato boue & asino simul.* Hoc modo qui ducem sequitur spiritum sanctum, mentis diuinae optime gnarum, errare non potest. Deinde vero β) *ex his, quae pro demonstratis, saniorum omnium iudicio, habenda sunt, robur etiam & auctoritas concilianda est istis analogiis, quae in nouo foedere non traduntur.* Similium enim similem rationem esse necesse est. *Arcae* foederis expositionem mysticam numquam aperte dedit apostolus; refert enim illam ad res, de quibus se sigillatim dicturum negat Ebr. IX, 4. 5. Sed quum tabernaculi pars sanctissima supremum caelum repraesentaret; conficitur sane, etiam supellectilem illius partis repraesentasse res, quae in caelis existunt, quaeque illis pulchra analogia respondent. Quid vero, aliud hic vides, nisi Christum vniuersi cultus leuitici centrum, thronum gratiae, receptaculum omnis sapientiae, legem Dei in medio viscerum suorum complexum, (vti arca tabulas legis complectebatur,), cuius humanitas auro diuinae gloriae obdu-

obducta, ab angelis adoratur. γ) *Vbi ad specialia descenditur, omnis neruus demonstrationis pendet ex legitimo processu, a basi totius rei ad circumstantias, nexum cum basi illa habentes.* Basis vero quaerenda est in vsu, quem res illa typica in veteri oeconomia praestabat. Ita *tabernaculi* vsus proximus erat, vt in theocratia Deo inseruiret loco palatii, adeoque specimen exhiberet summi Numinis, in medio populi sui habitantis. Ita *candelabri aurei* vsus architectonicus erat illuminare aedem, ne quis in tenebris impingeret: cetera omnia concipiuntur, vt ordinata ad illius illuminationis officium. Erat vero symbolum *ecclesiae*, quae Christi lumine illustrata, idem etiam aliis praefert, collat. Apoc. I, 20. cap. II, 5. *Oleum* repraesentabat spiritum sanctum, a quo omnis splendor sapientiae & sanctitatis, quae in ecclesia relucet, proficiscitur. Sex *rami* ex vno scapo prodeuntes, & septem *lampades*, sunt particulares ecclesiae, sua singulae luce conspicuae, cum vniuersali ecclesia vno spiritu iunctae. *Lances* autem & *mala*, & *flores* & *forcipes* cet. varia ecclesiae ministeria denotant, quibus decora redditur, quae licet vilia videantur mundo, *aurea* tamen sunt & pretiosa apud Deum. vid. HERMANNI WITSII *miscell. sacr. tom. I. p. 420.* In his vero *quo quis plura deprehenderit, ac maiora adsignarit, quae inter tabulam & rem depictam intercedunt, hoc magis diuinam illam sapientiam, atque arcana Numinis consilia in aperto ponet. Neque enim casu fieri potest, vt vel minima quaeque picturae istius ad rem adumbratam apte adeo decenterque faciant. Quae si studiose scrupulose que expendantur, ac conferantur penitius, neque figuras istas artificiosius conformari, & ad exempla concinnius aptari potuisse, neque exempla ipsa a figuris vlla in parte maximopere discrepare manifestum fiet;* vt scribit ven. HENRICVS MVHLIVS, in *apodixi script. p. 36.* Atque haec ipsa ad cu-

adcuratissima conuenientia inter typum & antitypum, non obtrusa veteribus institutis, sed sua sponte illis innata, & obseruata magis, quam quaesita, certissimum est criterium, quo nostrae interpretationis solidatem comprobare possumus. Distinctos enim illos & ad viuum expressos diuinae sapientiae ductus quisquis agnoscere detrectat, & mauult oculos claudere media die: is dignus est, qui vsuram perdat serenae lucis, & in tenebris ambulet.

Typorum historicorum † origo pariter ex spiritus sancti destinatione deriuanda est. *Quisquis* sane *diligenter considerauerit casus & euentus, quos historia sacra describit; deprehendet, eos tam esse notabiles & animaduersione dignos, vt ingenium hominum spirituali sensu praeditorum, vltro prouocent ad cogitandum de mysterio; mysterium autem tam esse delectu facile, vt statim occurrat illis, quorum non stupet acies mentis & caligat oculus dexter*, dicente CAMP. VITRINGA, *obseru. sacr. lib. VI. cap. XX. pag.* 481. Accedit, quod ipsi scriptores sacri subinde digitum intendant ad mysterium, quod sub illis historiis latet. Quando e. gr. CHRISTVS in oraculis prophetarum vocatur DAVID, SALOMO cet. Hos. III, 5. Psal. LXXII, 1. licetne oculos a Dauide & Salomone auertere, & qualitates, casus, atque euentus insigniores vitae illorum non considerare, vt typos eorum, quae Christo seruatori euenirent? Similiter quando Paulus historias *Melchisedeci*, *Hagaris*, *Sarae* ἀλληγορουμένας fuisse ostendit, nonne insinuare voluit, *quod Deus in memorabilibus V. T. personis, quibus notabilia nonnulla extra ordinem acciderunt, elegantem imaginem Christi & rerum sub noua oeconomia gerendarum, exhibere voluerit.* Hoc igitur

† Typi *historici* sunt *gesta personarum Vet. Test. ita ordinata per diuinam prouidentiam, vt analoga gestorum Messiae populine eius tamquam figurae adumbrent, ea intentione a spiritu sancto literis mandata.* Sic CL. NIC. NONNEN, qui patrocinium horum typorum suscepit in *museo historico-philol. theol. pol. I. p. 409. 412.*

igitur fundamento iacto, vbi in personis Veteris Testamenti & rebus gestis earum aliquid deprehenditur, quod notabilem prorsus & perspicuam cum antitypo similitudinem habet, merito adseritur, *Deum, qui omnia ab initio nouit, personarum illarum circumstantias ita disposuisse, vt eam, quae in antitypo est, veritatem praesignificarent.* Nisi quis statuere mallet, exactam illam similitudinem, quae inter artificiosam *picturam*, & *rem depictam* intercedit, casu potius, quam ex artificis intentione esse; quod ab omni ratione est alienum, iudice HERMANNO WITSIO, *oecon. foed. lib. IV. cap. VI. pag.* 638. Vlterius igitur subinde, duce *analogia rei, scripturae & fidei*, progrediendum est. In singulari aliquo *Ionae* casu se ipsum nobis ostendit Seruator Matth. XII, 40. Hoc filo ariadnaeo ad vberiorem conuenientiam detegendam vtendum est. Qua enim ratione nobis persuadebimus, Ionae *permansionem triduanam in pisce* aliquid significare arcani, & non *abiectionem in mare?* Aut eius abiectionem in mare aliquid notare & non *mare* ipsum, *eiusque excandescentiam?* Aut eius excandescentiam, & non *procellam*, quae illam suscitauit? Quomodo nobis persuadebimus, *Ionam* in mare proiectum mysterii aliquid continere, & non *homines*, qui illum proiecerunt? aut homines, qui illum proiecerunt, & non statum, caussam, *rationem*, ob quam illum proiecerunt? Si *effectus* typicus, nonne etiam *caussa* typica erit? Quomodo caussa non typica effectum producere typicum potest? vti ratiocinatur BERNHARD. SEB. CREMER, in *prodromo typico*, *p.* 6.

Omnis vero demonstratio mystici sensus, qui ex typis historicis eruitur, pendet a bonis & certis *hypothesibus*, quae illi substernuntur, ad quas expositionis soliditas & veritas examinanda est. *Quae hypotheses, si non fallant (possunt autem tales multis in*

in casibus praestari) non minus certa erit expositio allegorica, quam quaeuis litteralis & propria; vtique quod ad corpus ipsum interpretationis. Omnes intelligunt, scripturam interpretari, esse iudicare de scripturae sensu: iudicium autem verum & rationale dari nullum, in quo acquiescas, nisi quod secundum certa principia & indubia axiomata compositum prolatumque est, in quae axiomata omnis illius veritas & soliditas cadit. Quod ipsum in expositionibus allegoricis, si non obseruetur: quis interpreti adhibebit fidem? vt prudenter monet CAMP. VITRINGA *loc. cit. p.* 487. Ita idem ille vir eruditus mysticae interpretationi *historiae Iosephi p.* 489. *seqq.* has *hypotheses* substernit & extra dubitationis aleam ponit. I. IOSEPHVM *fuisse luculentum* IESV CHRISTI *typum.* II. *Per* AEGYPTVM, *in qua euectus est Iosephus ad summam praefecturae dignitatem, mystice esse intelligendam* ROMANVM IMPERIVM, coll. Apoc XVII, 18. cum c XI, 8. Denique III. *Ad Christum Iesum, eiusque statum recte referri, quae* ECCLESIAE, *aut insignioribus ecclesiae membris, in quibus Christus est & viuit, obtigerunt.* Quibus hypothesibus iactis & demonstratis, fata Iosephi & Christi eiusque ecclesiae, in imperio Romano, eleganter inter se componit.

** Multis propheiarum *vaticiniis* praeter sensum litteralem, ad obiecta illorum temporum pertinentem, *mysticum* † etiam subesse, viri, in hac palaestra exercitati, dudum obseruauerunt. Equidem turpissime hac hypothesi abuntur, qui illis etiam vaticiniis, quae ex sensu litterali de Christo agunt, nescio quem mysticum sensum adfingunt; eaque in subiectis illorum temporum, *Dauide, Ieremia, Zorobabele* cet. proprie impleta dicunt; allegorice vero a scriptoribus N. T. ad *Christum*

Ramb Inst Herm. Eee ad-

† Bellum huic sensui indixit GVIL. WHISTON in tract. angl. *de prophetiis scripturae ad literam impletis*, Londini, 1724. & in *supplem.* eius libri. 1725. edito. Vide *Acta erud. Lipsi. lat. ann.* 1728. *p.* 116. *seqq.*

adcommodari adfirmant. Ita GE. ENIEDINVS scribit, Christum psalmum CX. de se adlegasse, *quia norat, illum psalmum, qui litteraliter de Salomone, aut potius, de ipso Dauide est compositus, spiritualiter referri solere ad Messiam.* Eamdem hypothesin adoptauit vir magnus, HVGO GROTIVS, vt *supra lib. II. c. IV. p. 151.* obseruauimus. Idem de psalmis Dauidicis adfirmauit vir doctus, qui in *historia critica reipublicae litterariae*, gallicano sermone edita, expositionem *psalmi CX.* dedit, quippe qui adserit omnes psalmos (adeoque etiam VIII. XXII. LXIX. cet.) habere sensum litteralem, ad tempora Dauidis adcommodatum, qui sensui mystico semper sit substernendus, vel vt eius verba habent, *tom. I. p. 47. que ces divins cantiques renferment constamment vn sens litteral, qui est le premier, & celui qui s' offre d' abord a l' esprit:* quam tamen sententiam dudum a IO. GERHARDO in *praecipuis chiliasmi fundamentis euersi c. II* refutatam, solide profligauit clar. FRID. ADOLPH. LAMPE, in *exercit. sacris ad psal. XLV. exerc. I. p. 5. seqq.* † Sed iste abusus absit, vt ipsum vsum tollat.

Dantur enim omnino *vaticinia*, quae praeter sensum litteralem, *mysticum* complectuntur, *vbi nomina* personarum, *vel* locorum *in oratione spiritus sancti primo quidem communem & vulgatam suam retinent significationem; sed deinde propter similitudinem & conuenientiam attributorum, quae inter easdem illas res, loca, personas, futuro tempore ex consilio Numinis omniscii exstituras, simul ex eiusdem spiritus sancti mente alias illas notant res, loca, personas, quarum fata spiritui Dei sub nominibus illis mysticae significationis depingere & enarrare voluit. Vbi igitur in psalmis & prophetiis V. T. de* DAVIDE, SALOMONE, HIEROSOLYMIS, IVDA, ISRAELE, AEGYPTO, BABELE, TY-

† Quod vaticinia de Christo litteraliter in ipso impleta sint nuper etiam GILL, Anglus, demonstrauit.

TYRO, EDOMO *sermo instituitur: vt plurimum accidit, vt in illis locis cogitandum sit non tantum de illis ipsis personis & gentibus, quae hoc nomine not. erant, sed etiam de analogis, quae tamquam ἀντίστοιχα ita respondererent in oeconomia gratiae;* vt monuit CAMP. VITRINGA, in *anacrisi apocal. p.* 52. *seqq.* In hoc igitur negotio duo demonstranda sunt: ℵ *Sensui litterali, ex spiritus sancti consilio, sensum eiusmodi prophetico mysticum esse inuolutum.* Haec apodixis isthoc dirigitur canone: *Vbicumque per subiectum aliquod litterale emphasi vocum & phrasium adhibitarum satisfieri nequit; subiectum aliquod mysticum in auxilium aduocandum est.* Praesumitur enim merito de sapientia diuini spiritus, noluisse eum plus & amplius quid de rebus praedicare, quam illis inest. Quando igitur prophetae de *Babele, Aegypto, Tyro, Edomo* tam loquuntur ample, magnifice, auguste, & orationi suae talia immiscent praedicata, vt, si de subiecto proprie sumto, *tantum* intelligenda sit prophetia, non nisi tenuem & exilem variis locis expositionem admittat: tum, nisi in sapientiam summi auctoris iniurii esse volumus, cogimur de aliis subiectis analogis inuestigandis cogitare, quibus praedicata illa in maiori emphasi conueniant. Exempla vide in CAMP. VITRINGA *comm. in Esa. tom. I. pag.* 579. 618. 824. 884. 947. *seqq.* Demonstrandum porro est (ב) *istud, nec aliud subiectum mysticum, hoc loco esse cum litterali coniungendum;* quod *analogia rei & scripturae* facile docebit. Ex. gr. in vaticiniis, quae Esaias & Ieremias *de lapsu Babylonis* ediderunt, quodnam eligendum sit subiectum mysticum; *apocalypsis* neminem ignorare patitur: quae nobis sub hoc nomine proponit imperium aliquod ecclesiasticum & spirituale, per plures populos & gentes diffusum, patrocinaturum idololatriae & superstitioni, regesque potentes plures fuco blanditiisque suis pellecturum, ad obsequium, & per eos saeuiturum

in sanctos. Quae criteria quodammodo in ROMA *pagana*; multo expressius in *antichristiana* conspiciuntur, vt ad oculum demonstrat CAMP. VITRINGA, *anacris. apoc. p. 745. seqq.* Sic *Moab*, mystice acceptus, generatim quidem designare potest hostes quoscunque, aemulos populi Dei; speciatim *ciues imperii antichristiani*, inter cuius munimenta ex עיר VRBS, in emphasi sic dicta; vt pluribus *idem* docet, *comm. in Esa. tom. I. p. 648.* Adde quae de *Tyro* mystica disputat cl. FRID. ADOLPH. LAMPE, *exerc. sacr. in Psal. XLV. exerc. X. p. 431. seqq.* Sed fusius haec omnia persequi, instituti ratio non permittit.

LIBRI QVARTI

CAPVT TERTIVM

DE

SENSVS INVENTI ADPLICATIONE.

Σύνοψις.

Sensus detecti instituenda est *adplicatio*
1. *Porismatica*, consectariis inde eliciendis intenta, §. I. vbi *porismatum*
1. *Definitio* §. II.
2. *Ius* ad illa deducenda §. III.
3 *Fundamentum* §. IV.
4. *Requisita* §. V.
5. *Fontes*
α) interni, siue insiti §. VI.
β) externi §. VII.
6. *Varia genera*, §. VIII.
II. *Practica*, propriae aedificationi & saluti adcommodata, §. IX.

§. I.

§. I.

Post sensum scripturae feliciter inuentum demonstratumque, nihil est amplius super, quam vt ad vsum ille transferatur: quod inter alia etiam deriuatis inde porismatibus fieri potest.

§. II.

Sunt autem *porismata*, * certa consectaria, siue conclusiones, ex verbis recte explicatis per legitimam consequentiam deductae, vt inde lectores, vel auditores fidei ac vitae christianae formationem ac confirmationem hauriant percipiantque.

* Πόρισμα a verbo πορίζεσθαι, *lucrari*, *acquirere*, descendit; vnde perinde ac πορισμὸς 1 Tim. VI, 6. *lucrum* significat. Graecis autem *dialecticis* ita dicitur propositio, quae habet consecutionem necessariam, & ex iis, quae iam probata sunt, dependentem. Estque vox *geometris* etiam vsitata, qui theorema aliquod, ex demonstratiuo syllogismo necessario sequens, inferentes, illud quasi *lucrari* dicuntur, quod non ex professo quidem instituta sit theorematis illius demonstratio, sed tamen ex demonstratis recte sequatur, vt ex PROCLO obseruauit IO. SCAPVLA in *lexico graeco-latino*, *sub voce* πόρος, *p. m. 1272.* Pariter etiam consectaria, quae ex sensu textus eruuntur, totidem quasi sunt *lucra*, quae ex labore, sensus inuestigationi impenso, reportamus.

Solet vero discrimen aliquod inter dogmata & porismata constitui. *Dogmata* sunt istae veritates, quae aperte ipsis textus verbis exponuntur, & cum scopo auctoris principali consentiunt. Ita verbis 1 Tim. II, 4. *Deus omnes homines seruari cupit*, &

ad veritatis cognitionem venire, continetur dogma de *vniuersalitate gratiae diuinae*, nec non de *ordine salutis*, *diuinitus constituto*. Contra *porismata* adpellantur istae veritates, quae altius in textu latent eique velut inuolutae sunt; quae interdum a scopo principali nonnihil *diuersae*, quamuis numquam eidem *aduersae*, esse possunt. Vt si vocem θέλει DEVS *vult*, conferas cum verbis Christi Matth. XXIII, 37. ἠθελήσατε, *Vos noluistis*, indeque illud conficias consectarium: *Non Deus hominibus, sed homines Deo, salutem ipsorum sincere cupienti, deesse solent.* Item; *Si a Deo saluari volumus, vt nostram voluntatem ipsius voluntati conformemus ac subiiciamus, par est.* Enimuero non erat Pauli scopus, id hoc loco inculcare; sed tamen dici etiam non potest, id eius scopo aduersari.

§. III.

Ius, quo interpres gaudet ad porismata ex textu eruenda, deriuandum est tum ex *indole* cuiuscunque *sermonis*, tum ex *Christi & apostolorum* auctoritate, qui suo nobis *exemplo* hanc viam commonstrauerunt. *

* Deducitur nempe illud ius

I *Ex indole sermonis*; quo qui recte vtitur, non tantum illud vult, quod verba per se & aperte indicant, sed illud etiam, quod per legitimam consequentiam inde fluit. *Qui enim intelligit, quod loquitur: non modo* vim, *sed* ambitum *quoque verborum perspicit, iedeoque id omne, quod ex iis legitime colligi potest, adprobare etiam merito creditur*: docente ven. IO. FRANC BVDDEO, in *elementis philosophiae instrum. part.* II. *c.* II. §. XXX. p. 216.

Mul-

Multo magis vero ista praesumtio de *viris sanctis* valere debet, qui, diuino spiritu collustrati, vim & ambitum verborum suorum satis intellexerunt. Vnde siue ignorantiam produnt, siue malitiam, qui consequentiarum in scripturae sacrae explicatione vsum admittere detrectant; de quibus vid. IO. MVSAEVS, *de vsu principiorum rationis lib. I. c. II. seqq.* †

II. *Ex Christi & apostolorum exemplo.* CHRISTVS dum Matth. XXII, 23. 31. cum Sadducaeis disputat, pronocat ad verba Dei foederalia, Exod. III, 6. *Ego sum Deus Abrahami, Isaaci & Iacobi*, & ex illis *resurrectionem mortuorum* per legitimam *consequentiam* comprobat. Quum enim Deus etiam post mortem Abrahami, Isaaci & Iacobi, se Deum illorum hominum nuncupet, illorumque se curam gerere pronuntiet; conficitur inde, illos non prorsus interiisse, sed aliquando esse reuicturos, vt qua animam & corpus Deo, tamquam summo suo bono, in perpetuum frui possint. Vide pluribus argumenti huius nexuum explicantem & vindicantem cel. GODOFR. OLEARIVM, in *obseruat. in Matthaeum, obseru. LXVI. p. 606. seqq.* Paulus thesin, *gentes fide iustificari* Gal. III, 8. probat ex promissione diuina: *In semine tuo benedicetur omnibus gentibus.* Atqui nulla hic *iustificationis per fidem* expressa mentio; vnde probationem per consequentiam locum habere oportet. Nimirum *benedictio* illa, quae promittitur, tum remotionem maledictionis comprehendit, tum collationem *iustitiae* ac vitae aeternae. Illa vero conferenda dicitur in *gentes*, quae nullis operibus, ad legis diuinae normam conformatis, superbire poterant. Conficitur igitur, eas gratis, & per solam *fidem*, in beneficii illius consortium fuisse admittendas.

† Nec non IO. CONR. DANHAVERVS, in tract. *Onirocritarum Batauorum*, ADRIANI & PETRI de WALENBVRCH, *deliquia*; it. in *Polemosophia sacra.*

§. IV.

Fundamentum huius adplicationis porismaticae est harmonia rerum sacrarum perpetua. Unde, qui doctrinam vnam intimius perspexit, facile plures, quae hinc tamquam concatenatae pendent, ex illa deriuare potest. *

* Scriptura sacra hac etiam in parte recte comparatur cum *fonte, in bono terrae loco scaturiente, quem quo altius foderis, eo magis exuberantem inuenis*, quo simili IO. BRENTIVS vtitur in *priorem libr. Sam. hom. XXXVI.* Maxima hic vbertas & copia doctrinarum, quae a nullo humano ingenio exhauriri potest, quaeque sapientissimum auctorem satis prodit. *Meminisse* enim *oportet, Deo, scripturarum auctori, duo illa patere, quae humana ingenia fugiunt*, secreta *nimirum* cordis, & successiones temporis. *Quamobrem quum scripturarum dictamina talia sint, vt ad cor scribantur, & omnium seculorum vicissitudines complectantur, cum aeterna & certa praescientia omnium haeresium, contradictionum, & status ecclesiae varii & mutabilis, tum in communi, tum in electis singulis: interpretandae sunt ita, vt intelligamus, complecti eas non solum totaliter & collectiue, sed distributiue etiam in clausulis & vocabulis singulis* innumeros doctrinae riuulos & venas, *ad ecclesiae singulas partes & animas fidelium irrigandas*, vt sapienter monet FRANCISCVS BACO DE VERVLAMIO, *de augmentis scientiarum lib. IX. c. I. p.* 495. ed. Argent. Adde ANDR. GERH. HYPERIVM, *de recte formando theologiae studio lib. II. c. XIX.* vbi docet: *Quomodo ex illis scripturarum locis, quos adsequeris, multiplicem doctrinam atque fructum spiritualem decerpas.* Iungantur etiam quae *supra* de analogia veritatum caelestium diximus, *lib. II. c. I. §. III. p.* 91.

§. V.

§. V.

Vti vero eum, qui hoc labore cum fructu fungi cupit, legitimam adferre oportet mentis disposition em*: ita ipsa etiam porismata sic esse comparata debent, vt hoc nomen mereri tuerique possint.**

* *Requisita* eius, qui porismatibus eruendis operam dare instituit, sunt

I. *Iudicii robur, ingenii felicitate adiutum*, quod in occultos veritatum sinus facile penetrare, atque vnum ex altero firmis ratiociniis elicere possit ac deriuare.

II. *Diuina lux & sapientia*, quae intellectui, diuini verbi recessibus meditando sese immergenti, detegat infinitam rerum vbertatem, ac latentia illa vincula, quibus verum vero innectitur.

III. *Sufficiens cognitio* ὑποτυπώσεως *sanorum verborum* in fidei & caritatis doctrina, qua qui non imbutus est, nihil prorsus egregii in hoc laboris genere praestabit.

IV. *Attentio* ad minutissima quaeque, infatigabili *patientia* suffulta, maxime in dictis, quae sterilia videntur. Sunt enim nonnulla loca scripturae similia collibus, in quibus propter vaporum, quos terra exhalat, arsenicorum copiam, neque gramen, neque arbor fructibus onusta conspicitur: ad quos vero si prudentis metallici manus accesserit, fissuraeque factae fuerint, feraces auri argentique venae offenduntur.

** *Requisita porismatum* sequentibus regulis complecti placet.

I. *Porismata non nimis trita, & ipsis dicti verbis expressa sint.* Vt si ex Matth. VI, 33. *Quaerite primum regnum iustitiamque Dei, & ista omnia*

vobis addentur; deducas porismata: I. *Regnum Dei primo loco quaerendum est.* II. *Iustitiae Dei acquirendae studere par est.* III. *Qui regnum Dei curat, ei reliqua adduntur, cet.* Bona ista sunt, sed nimis aperte ipsis textus verbis expressa, quam vt porismata dici mereantur. Sunt veritates textui insitae, non veritates, ex illis veritatibus deductae.

II. *Sed nec nimis longe quaesita & a scopo textus aliena sunto.* Vt si ex Gen. I, 3. *Dixit Deus: fiat lux, & facta est lux,* elicere velis consectarium: *Par est, vt liberi parentibus suis obediant.* Vel ex versu 2. *Terra erat vasta & inanis: Deus bonorum omnium primus fons est & scaturigo.* Facile enim eiusmodi porismatibus longius arcessitis homines profani in eam cogitationem adduci possunt, vt, ope ingenii foecundi, quidlibet ex quolibet scripturae dicto extundi posse, sibi persuadeant.

III. *Porismata ex vero & genuino, non spurio verborum sensu, siue litterali, siue mystico deducantur.* Ita quum BELLARMINVS ex verbis Dei ad Petrum Act. V, 13. *Age, Petre, macta & vesere!* cum Ioan. XXI, 16. collatis: *Pasce oues meas!* hoc consectarium emungit: *Duplex esse pontificis Romani officium, pascendi ecclesiam & occidendi haereticos:* quisque videt, istud porisma ex sensu loci adulterino gigni.

IV. *Porismata tutius ex fonte, quam versionibus deriuantur;* quia versiones saepe sensum exhibent, a mente scriptoris alienum. Vt si ex versione B. LVTHERI Ezech. XXXIV, 16. *was fett und starck ist, will ich behüten,* hanc conclusionem deriues; *Christiani etiam satis firmi, & egregiis ex pastu spirituali incrementis aucti, adhuc indigent cura Christi pastorali.* Porisma per se verissimum, quod tamen ex verbis prophetae minime deduci potest, quae ita habent: את־ השמנה ואת־החזקה אשמיד *pinguem autem & validam* ouem, adeoque proteruam, petulcam, lasciuientemque, *disperdam.*

V. *Eo*

V. *Eo porismata meliora sunt, quo propinquius scopum dicti attingunt.* Ioan. VI, 37. Christus ait: *Venientem ad me, ego non eiicio foras.* Ecce duo porismata hinc deriuata: I. *Iesus Christus est certissimum conscientiarum male adfectarum asylum, in quo tutae a vindice sanguinis esse possunt.* II *Christianum decet, i firmos in fide suscipere, & mansuetudinem erga illos exercere.* Prius, quoniam cum scopo melius conuenit, posteriori omnino est praeferendum. Ita quum Esa. XL, 9. praecones N. T. *altum montem conscendere altaque voce clamare* iubentur, recte inde haec consectaria a doct. CAMP. VITRINGA eliciuntur: I. *Euangelium Christi complecti* nuntium *summe salutarem, & quidem argumenti plane necessarii.* II *Absque discrimine personarum apud omnes in* publicis *locis vulgandum.* III. *Cum* fiducia, *absque metu & pudore, quippe* certum *& indubiis nixum argumentis. Et quidem* IV clara *atque* alta voce, *vt hoc ipso patefieret, esse consilii & voluntatis diuinae, vt longe lateque vulgaretur;* vt si *vrbes Iudae* saturassent, a *gentibus* quoque & populis exaudiri, fraudi non esset & vitio.

VI. *Non facile ex verbulo aliquo, seu lacinia textus, a nexu totius sensus diuulsa, porisma deducendum est.* Solent illa a nonnullis porismata *heterogenea* salutari, vti, quae ex integro textu fluunt, *homogenea* vocantur. Vt si ex Ioan. I, 29. *Ecce agnum Dei*, istud consectarium elicias: *Superbus amat digito monstrari & dici: hic est;* merito illud pro *heterogeneo* habendum esset, quia nonnulla prorsus cognatione sensum dicti attingit. At *homogeneum* est: *Nullum reperiri potest dignius obiectum, in quod oculi fidei defingantur, quam Christus, agnus Dei sanctissimus.* Item: *Non rectius mereri potest doctor euangelii de suis auditoribus, quam si illis subinde inculcauerit:* ἀφορῶμεν εἰς Ἰησοῦν. Ebr. XII, 2.

VII. *Po-*

VII. *Porismata vtiles & scitu necessarias veritates complectantur, quibus animus pasci & ad interiorem agnitionem doctrinae salutaris & praxeos christianae deduci potest.* Excellunt in porismatibus construendis theologi anglicani, IOSEPHVS HALL, THOMAS WATSON, THOMAS ADAM, IO. BOYS, NEH. ROYER, IO. TILLOTSON, aliique, qui mira arte abstrusissimos verborum sacrorum sinus excutere, & ponderosissima inde in lucem protrahere consectaria norunt. Inter nostrae ecclesiae interpretes, FRID. BALDVINI, AEGIDII HVNNII, IO. TARNOVII, MARTINI GEIERI, SEB. SCHMIDII aliorumque commentarii multa bonae frugis porismata exhibent; quibus adnumerandi sunt ven. IOACH. LANGII *commentarii* in epistolas *Petrinas* & *Ioanneas*, tum copia, tum selectu porismatum insignes. Addatur CHRISTIANI FRID. KRAVSII *methodus concionandi porismatica*.

§. VI.

Fontes porismatum in *internos* & *externos* dispesci possunt. *Interni*, siue insiti textibus sacris porismata subministrant, ex dicentis adfectu, verborumque significatione, emphasi, ordine ac structura, fine numero deriuanda. *

* Paullo haec distinctius enarrabimus, exemplorum copia regulis lucem adfusuri. Deriuantur nimirum porismata

1. *Ex adfectu dicentis, vel scribentis*, siue ille in textu indicetur, siue ex suis vestigiis odorandus interpreti relinquatur. Sumamus verba Marc. III, 5. vbi Christus aduersarios suos intuitus legitur *iratus, eorumque animi callum cum tristitia dolens.* Habes hinc

hinc sequentia consectaria I. Christianum decet, non de propriis tantum peccatis, sed de alienis etiam contristari. II. Non omnis ira inter vitia ponenda est. III. Qui aliorum scelera vel cum stoica ἀπαθείᾳ intueri, vel de illis gaudere potest, is non Christi, sed diaboli imaginem refert. IV. Nihil miserius est, animo obdurato; quum is, qui omnis laetitiae fons est, tristitia ex eius adspectu adficiatur. V. Ira aduersus malitiam per misericordiam erga malos subinde temperanda est. cet.

II. *Ex ipsis vocibus earumque significatione.* Vt Luc. XXI, 15. *Dabo vobis os ac sapientiam.* Por. I. ἐγὼ. Christus aeterna & hypostatica sapientia, omnis verae sapientiae fons est ac scaturigo. II. δώσω. Qui propriis viribus, sine precum subsidio, sapientiam comparare conantur, hos merito fures sapientiae dixeris. III. ὑμῖν. Nemo magis indiget diuinae sapientiae dono, quam qui aliis docendis praeficiuntur. IV. στόμα. Donum sapientis eloquentiae, non minus ac reliqua bona munera, diuinitus conceditur. V. σοφίαν. Astutiam homo corruptae naturae viribus sibi comparare potest; veram sapientiam natura largiri nequit. VI. κὴ. Eloquentia, cum sapientia non coniuncta, parum vtilis est, ad regni Iesu Christi commoda promouenda. VII. Antichristus etiam στόμα habet, sed sine σοφία Apoc. XIII, 5. Christus cum ore diserto sapientiam quoque suis largitur. Adparet ex postremis duobus porismatibus, minimas etiam *particulas* materiam porismatum subministrare.

III. *Ex emphasi & pondere vocum,* 1 Pet. V, 5. τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε, ὅτι ὁ Θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται. Por. I. ταπεινοφροσύνη. Christiana humilitas non in laceris ac sordidis vestibus residet, sed in *animo* modesto, ac *humiliter* de se sentiente. II. ἐγκομβώσασθε, a κόμβος *nodus*, vnde verbum denotat *nodum innectere*, arcte

arcte *adstringere vestem* & quidem *ornatus* caussa. Vera humilitas est *ornatus*, qui magis animum decorat, quam corpus pretiosissima vestis. *III.* Humilitas *vestis* est, qua & nostras virtutes, & naeuos tegimus aliorum. *IV.* Ornatus humilitatis multis insidiis expositus est, sollicite proinde obseruandus ac *retinendus*. *V.* ὑπερηφάνοις ab ὑπὲρ & φαίνω, *adpareo*. Nullum vitium minus occultari, aliorumque euitare adspectum potest, quam animi arrogantia. *VI* Vt altae turres fulminum ictibus, sic homo superbus & *super reliquos* cum fastu *eminens* diuinae vindictae expositus est. *VII.* Θεὸς ἀντιτάσσεται, quod verbum est *militare*, ex parte superbi τάξιν, *aciem*; aduersus Deum structam, supponens; cui Deus aciem opponit. *Por.* Reliquis peccatoribus Deo se quasi subducentibus, & latebras quaerentibus, solus superbus aperto quasi Marte illum adoriri non erubescit. *VIII.* Nullum scelus Deo magis exosum est, quam superbia; quum nullum homine misero indignius reperiri possit. Maxime vocabula *metaphorica*, & ex propria significatione in aliam translata, vberem porismatum prouentum pollicentur Repete, quae *supra lib. II. c. VIII. §. VI. p.* 325. *seqq.* de *fontibus emphasium grammaticis, rhetoricis, logicis, criticis* diximus: totidem enim habes porismatum fontes; inter quos *accentus* etiam ebraeorum locum aliquem occupant.

IV. *Ex ordine vocum, earumque structura.* Rom. XIV, 17. Regnum Dei est *iustitia, pax, & gaudium* in spiritu sancto. Vbi haec fluunt ex ordine verborum, qui rerum nexu & ordine nititur, consectaria. *I.* Non speranda est *pax* conscientiae constans & perennis, nisi prius *iustitiam* Christi fide adprehenderis. *II.* Ii demum vero & durabili *gaudio* fruuntur, qui *iustificati pacem* colunt cum Deo per Iesum Christum. *III.* Frustra de *iustitia* Christi glorian-

riantur, qui bellum adhuc & inimicitias cum Deo ac hominibus gerunt. *IV.* Conscientia pacata & tranquilla est gaudii spiritualis officina, cetera.

§. VII.

Fontes porismatum *externi* * sunt, quando consectaria ex textu, cum statu ac scopo dicentis, cum antecedentibus & consequentibus, cum locis parallelis, aliisue circumstantiis comparato fluunt.

* Nimirum *externi* dicuntur isti fontes ratione reliquorum fontium, qui e visceribus textus vnice porismata suggerunt; alias nulli fontes externi dici possunt. Omnia enim porismata ex ipso textu fluant, necesse est. Differentia autem in eo sita est, quod alia fluant *ex textu in se spectato*, alia ex textu *cum aliis locis* & circumstantiis *comparato*; nimirum

I. *Cum statu & indole dicentis.* Ita quum SALOMO, regum sapientissimus ditissimusque, cui tantus antea rerum vanarum amor, vt nihil inexpertum relinqueret, tantus opum adparatus fuit, vt voluptates ac delicias omnes gustaturus, nulla sumtuum inopia excluderetur, quum is, inquam, exclamat Cohel. I, 2. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas!* haec porismata ex verbis, cum statu dicentis comparatis, elici possunt. I. Quum nec olitor, opportuna loquutus, adspernandus sit; truncum esse oportet, & si quid trunco magis stupet, qui non arrigat aures, vbi illustrissimum regem ad docendum prodire videt. II. Admiranda est Dei sapientia, quae quum aliquem de rerum humanarum vanitate praeconem ac testem eligere vellet, eum producit, qui illam omnium maxime erat expertus. III. Quum rex gloria, fama, humana sapientia, op-

opibus, & voluptatum adparatu ad miraculum vsque instructus, haec omnia vana praedicat; merito testimonium eius magnae debet esse apud omnes auctoritatis. IV. Quum principes prae caeteris expositi sint insidiosae vanitatis laqueis; Deus ex ipsorum ordine oratorem excitauit, qui illos de hoc periculo admoneret. cetera.

II. *Cum scopo*

1) *Generali totius libri.* Sic verba Christi Io. VIII, 51. *Amen, Amen, dico vobis, si quis verbum meum seruauerit, eum numquam visurum esse mortem;* conferantur cum *scopo* libri generali c. XX, 31. *Haec scripta sunt, vt credatis, Iesum esse Christum Dei filium, vtque credentes vitam per eius nomen adipiscamini.* Hinc *por.* I. Fides in Christum obsequio erga verbum eius comprobanda ac demonstranda est. II. Vera fides non solum Christi merita, sed eius etiam verba ac praecepta amplectitur. III. Vita, quam per Christi nomen adipiscimur, a morte quidem oppugnatur, sed non vincitur & absorbetur. IV. Quisquis per fidem compos redditur vitae spiritualis, a morte etiam spirituali & aeterna liberatur. cet.

2) *Speciali praesentis pericopae.* Scopus Christi loc. cit. est demonstrare, se non habere daemonium, quum verba sua *vitam* efficiant, diabolo contra homines in *mortem* coniiciente. Hinc *por.* I. Doctrina, quae effectus saluberrimos producit, non potest per se falsa esse & diabolica. II. Illis etiam, qui calumnias aduersus veritatem spargendo, reatum contraxerunt, veritas salutaris proponenda est. III. Non datur propinquior via, qua animus a dubiis, contra veritatem conceptis, liberari potest, quam obsequium agnitae veritati praestandum. IV. Christi verba nihilominus tenenda sunt, si vel doctissimi mortalium conuitiis illa proscindant. cet.

3) *Spe-*

3) *Specialissimo singularum vocum ac phrasium.* Ex. gr. quaeris, I. cur Christus huic propositioni *adseuerationem*, iuri iurando similem, praemiserit? Resp. Quia auditorum ἀπιστίαν obstinatissimam perspiciebat. *Porisma.* Indignum est facinus, Christum, aeternam veritatem, tam parum fidei apud homines inuenire. Quaeris II. cur *geminam adseuerationem* praemiserit? Resp. Vt hac repetitione repetitas calumnias obtunderet. *Porisma:* Quo maior est hominum malitia, & in calumniando impudentia; tanto maior zelus in vindicanda veritate requiritur. Quaeris III. cur addatur, λέγω ὑμῖν? Resp. In oppositione ad hostium adsertionem v. 48. Οὐ καλῶς λέγομὲν ἡμεῖς; *nonne recte* NOS *dicimus, quod daemonium habeas? Porisma:* Qui veritatem cognoscere cupit, eum non solum attendere oportet ad ea, quae homines maledici de piis narrant & confingunt; sed etiam ad ea, quae & ipsi de se, & Christus de ipsis dicit. Et sic per reliqua verba. Sufficit enim, viam ostendisse.

III. *Cum antecedentibus & consequentibus;* si scilicet praecipua textus verba cum antecedentium & consequentium verbis eo fine conferantur, vt ex relatione, quam a se inuicem habent, noua porismata deriuentur; vt 1 Tim. I, 15. πιστὸς ὁ λόγος. I. Conferatur cum v. 4. μὴ προσέχειν μύθοις. *Por.* Narrationes gentilium de diis suis, eorumque adparitionibus, incertis fabulis refertae sunt; at narratio euangelii de Iesu Christo certa ac fide digna est. II. Conferatur cum v. 6. ματαιολογίαν. *Por.* Solet Deus eos, qui certissimo euangelii verbo fidem habere nolunt, ita punire, vt absurdissimis vanissimisque fabulis vltro credant. III. Verba, πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, comparentur cum v. 8. καλὸς ὁ νόμος. *Por.* Bona quidem lex est; sed peccatori ita formidabilis, vt eum in fugam coniiciat: euangelium vero perterrefactis conscientiis sese commendat tamquam concionem,

omni receptione dignam. IV. Eadem verba conferantur cum v. 10. ὑγιαίνουσα διδασκαλία. *Por.* Quidni dignum sit receptione medicamentum, cuius eximia in sanando virtus tot experimentis comprobata est? V. Item cum v. 14. ὑπερεκπλεόνασι. *Por.* Thesauri euangelii tam copiosi sunt ac abundantes, vt animus humanus nimis angustus sit, ad illos pro dignitate capiendos. VI. Item cum v. 19. ἐναυάγησαν. *Por.* Gratiam euangelicam ita amplectamur, vt homo, in mare eiectus, tabulam arripit ac tenet, qua vitam, naufragio perituram, seruet. Cetera. Innumeri enim ex hoc fonte porismatum riuuli deriuari possunt.

IV. *Cum locis aliis parallelis.* Sumamus verba Matth. IX, 2. θάρσει, τέκνον, ἀφίενταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου. I. Θάρσει confer cum Prou. XIV, 32. *Iustus etiam in morte sua confidens est. Por.* Nemo in morte confidens, & animo hilari esse potest, qui non per remissionem delictorum istius confidentiae fundamentum iecerit. II. τέκνον confer cum Matth. IX, 22. θάρσει θύγατερ. *Por.* Gratia iustifica sine discrimine sexus a summo iudice administratur. III. ἀφίενταί confer cum Exod. XXIII, 21. *Ne exacerbes eum, quia non condonabit defectionem vestram. Por.* Nemini exspectanda est peccatorum condonatio, qui angelum foederis, condonandi potestate instructum, per continuata scelera ad iram prouocat, eiusque gratiam impoenitenti animo contemnit. IV. ἁμαρτίαι, plur. cum Exod. XXXIV, 7. *condonans iniquitatem, & defectionem & peccatum. Por.* Nullum est peccati genus, quod non, interueniente seria poenitentia ac fide, per sanguinem Christi extingui & condonari possit. V. ἁμαρτίαι σου, confer cum Psal. XLI, 13. vbi *Messias* de *suis peccatis* loquitur. *Por.* Numquam nostra nobis peccata remitti potuissent, salua Dei iustitia; nisi Christus illa per imputationem quasi adoptasset, ac pro illis, tamquam

quam propriis, Deo feciſſet ſatis. Haec collatio in infinitum inſtitui poteſt.

V. *Cum externis circumſtantiis*, exempli cauſſa

1) *Temporis*, quo verba prolata ſunt; vt Matth. XXVII, 52. *multi mortui vitam recipiebant.* quando? quum *Chriſtus* moreretur. *Por.* Ea fuit mortis Chriſti efficacia ſatisfactoria, vt per illam aditus ad vitam rurſus fit patefactus.

2) *Loci*; vt Matth. XXVI, 42. *non mea, ſed tua voluntas fiat!* vbi Chriſtus haec dicebat? *in horto. Por.* Expiator generis humani in horto paſſionis voluntati diuinae ſeſe ſubiecit; cui homo in horto voluptatis per rebellionem ſeſe ſubtraxerat.

3) *Occaſionis.* Matth XVI, 3. Chriſtus reprehendit Phariſaeos, *quod ſigna temporis non obſeruarent.* qua *occaſione?* quum *ſignum ex caelo* oſtendi cuperent. *Por.* Ea eſt hominum caecitas & corruptio, vt neglectis ſignis, quae Deus ipſis exhibet, ſubinde noua, ſuisque cupiditatibus conuenientiora, adpetant.

4) *Modi.* Deus Act. IX, 9. ſub immiſſa *caecitate* Saulem ad cognitionem ſui perducit. *Por.* Quos Deus illuminare cupit, eos prius de caecitate ſua ſpirituali conuincit.

Plures oſtendi poſſent poriſmatum fontes, ſed quum illi, quos commemorauimus, inexhauſti ſint, praeſtat illis eſſe contentum. Qui cum *lectione* ac meditatione poriſmatum, quae alii viri ſapientes ex ſacris litteris copioſe derivauerunt, coniunxerit *exercitationem* propriam; abunde experietur, verum eſſe, quod Dauid dicit: Pſal. CXIX, 96. רחבה מצותך מאד *latum amplumque eſt praeceptum tuum valde*; quodque DAVID KIMCHI ad illum locum adnotat: *Etſi praeceptorum certus ſit numerus, rami tamen illis proditntes ſunt innumeri.* Immenſus enim ſeſe campus aperiet, interueniente recto ratiocinio, ad nor-

mam analogiae fidei inſtituto, vnum ex altero colligendi. Iam enim *ex genere ſpecies*, *ex ſpecie genus*; iam *ex minori maius*, *ex maiori minus*; iam *ex cauſſa effectus*, *ex effectu cauſſa*; iam *ex conſequente antecedens*, *ex antecedente conſequens*; iam *vnum contrarium ex altero*, & ſic porro, argumentando colligetur. Vnum addimus, ex ipſo etiam *ſilentio ſcripturae* poſſe poriſmata deduci, praeeunte Paulo, qui ex ſilentio Moſis de natalibus Melchiſedeci Ebr. VII, 3. 20. inſignia conſectaria myſtica producit. Ita quum Chriſtus, Simonem & Andream in numerum apoſtolorum ſuorum cooptans, Marc. I, 17. de *amplis ſalariis magnisque opibus* altum ſilet, merito inde hoc poriſma deriuaueris: *Oculus genuini miniſtri euangelii non debet obliquis reſpectibus ad amplos reditus, aliaque terreſtria, eſſe intentus.*

§. VIII.

Ex his igitur fontibus varia poriſmatum genera deriuari poſſunt. Alia enim ad *credenda*; alia ad *agenda* propius ſpectant. Alia ad *fidem* confirmandam; alia ad *caritatem* inflammandam; alia ad *ſpem* ſuſtentandam faciunt. Alia ad *pietatem*; alia ad *ſapientiam* prudentiamque chriſtianam; alia ad *eloquentiam* ſacram referri poſſunt. Alia denique *didaſcaliae*, alia *elencho*, *paediae* alia, alia *paracleſi* inſeruiunt.

§. IX.

Coniungenda vero eſt cum hac tractatione poriſmatica *adplicatio practica*, quae interpretem de ſcriptura in ſuos vſus prudenter ac ſincero adfectu transferenda, ſollicitum

tum esse iubet.* Quae si omittatur, reliqua omnia sine fructu instituuntur.

* Iuuari potest haec adplicatio sequentibus monitis.

I. In qualibet dictorum adplicatione ad nosmet ipsos, α) *praesens animi nostri habitus* recte perpendendus, & cum dicto adcurate conferendus; β) in *vitiorum causas* sedulo inquirendum; γ) *remedia* circumspicienda, quibus deprehensa vitia corrigantur.

II. Non in externis saltem praeceptis haerendum, sed *singulorum praeceptorum fundamentum* α) in *scriptura* quaerendum; β) an *in nobis* ipsis illud deprehendamus, inuestigandum; γ) *in nobis stabiliendum*, antequam de superstruendis aliis vitae morumque praeceptis cogitetur.

III. Ipse CHRISTVS in omni adplicatione ob oculos ponendus, tum α) vt *donum*, fide amplectendum ad salutem, tum β) vt *exemplum*, vita imitandum. Reliqua sanctorum exempla non, nisi hanc normam sequantur, respicienda.

IV. Verba textus, in quo versamur, breuissimis *suspiriis precibusque* includere iuuat, quae simplex methodus vberrimo suo fructu multis se commendauit.

V. *Non* omnia *simul* adplicanda, sed *successiue*; nec tam vt dicendi, quam vt *faciendi* materiam habeamus.

VI. Haec adplicatio, quae in lectione scripturae *inchoatur*, per omnem deinde reliquam vitam sedulo *continuanda* est, in qua felicius cuncta succedent, si, comite diuina gratia, accesserit α) *oratio* adsidua β) *meditatio* diligens. γ) perpetua *scripturarum collatio*. δ) quotidiana eorum, quae in nobis aliisque *experientia* discimus, *obseruatio*. ε) *status animi scrutinium* indefessum. ζ) cum iis, qui maio-

res in cognitione salutari progressus fecerunt, *conuersatio.* ζ) adfiduum *pacis* internae studium. Legatur ven. AVG. HERM. FRANCKII *breuis institutio, rudioribus rationem tradens, sacram scripturam in veram sui aedificationem legendi*, praelectionibus hermen. subiuncta, & eiusdem *manuductio ad lectionem scripturae sacrae, c. IV. & V. p. 131. seqq.* Atque hic tandem ponimus ca amum, Deum precati, vt ex hoc qualicumque labore aliquam vtilitatem in quam plurimos iubeat redundare. IPSI, omnis reuelationis fonti, eiusque FILIO, angelo interpreti, ac SPIRITVI SANCTO, diuinae mentis scrutatori, sit laus ac gloria in secula seculorum.

FINIS.

Ienae
Excudebat Georg Michael Marggraf.

INDEX

INDEX I.*

Locorum Scripturae,

Quibus aliqua lux in hoc opusculo adfusa est.

GENESIS.

Cap. I. vers. 1. pag. 165.
345. 810.
3. 322.
16. 86. 489.
II. 3. 49.
17. 359.
III. 15. 43. 112.
163. 396.
VI. 14. 84.
16. 481.
VIII. 21. 355.
X. 23. 770.
XIII. 10. 339.
XIV. 18. 163.
XV. 11. 396.
XVI. 7. 168.
10. 110.
XIX. 26. 283.
XXI. 19. 280.
14. 176.
XXII. 175.
XXV. 34. 353.
XXXIV. 31. 185.
XXXVI. 27. 185.
XLI. 45. 646.
XLIX. 3. 4. 244.
6. 7. 132.
9. 75.
10. 171. 239.
15. 51.
18. 136.

EXODVS.

III. 6. 807.
VII. 3. 133.
VIII. 2. 548.
XII. 46. 65.
XV. 22. 23. 479.
XX. 5. 143. 448.
XXII. 19. 250.
XXIII. 20. 112.
XXIX. 22. 483.
XXXII. 30. 327.
XXXIV. 6. 169.
6. 7. 110. 112.
29. 85.

LEVITICVS.

VI. 14. 50.
XI. 43. 132.
XVIII. 18. 445.

NVMERI.

XII. 1. 251.

* Data quidem est opera, vt in hac quinta libri editione paginae priorum editionum paginis responderent. Sicubi tamen fallat pagina adscripta, tum res quaesita in sequente pagina certo inuenietur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0841
DFG

XIII. 23. 24. 575.
XIV. 21. 22. 23. 136.
XXI. 8. 9. 72. 495.
DEVTERONOMION.
III. 11. 547.
V. 29. 142.
XXVII. 4. 612.
XXXII. 6. 296.
27. 143.
IOSVA.
XXIV. 27. 164.
IVDICVM.
I. 8. 543.
II. 19. 323.
VII. 22. 76.
XI. 35. 327.
XV. 4. 280. 576.
XVI. 21. 195.
XVII. 225.
RVTH.
II. 14. 164.
I. SAMVELIS.
IX. 209.
XV. 11. 142.
XVI. 20. 51.
XXVIII. 12. 547.
II. SAMVELIS.
VIII. 18. 268.
XI. XII. 241.
XIV. 20. 168.
XXIII. 6. 341.
I. REGVM.
V. 6. 449.
VI. 1. 771.
VII. 26. 449.
XVII. 4. 50.
XX. 23. 568.
XXI. 10. 272.
II. REGVM.
VI. 1-7. 478.
25. 257.
VIII. 26. 450.
II. CHRONICORVM.
XI. 25. 449.
XII. 2. 574.
XXI. 18. 490.
XXII. 2. 450.
ESTHER.
III. 2. 565.
V. 2. 590.
VII. 8. 565.
IOBVS.
II. 9. 272.
V. 1. 339.
XIX. 25. 64.
27. 346.
XXIV. 19. 17.
XXXIII. 23. 738.
XL. 25. 213.
PSALMI.
I. 1. 165.
4. 120.
II. 4. 139.
12. 648.
tot. 233.
VIII. 9. 86.
XII. 233.
XIV. 1. 216.
XVIII. 3. 159.
XIX. 5. 644.
XXII. 17. 786.
23. 159. 297.
XXIV. 1. 65.
XXVII. 4. 81. 444.

Ps. XXXII. 1. 353.
XXXIV. 8. 169.
XXXV. 16. 51.
XXXVII. 9. 134.
XL. 4. 169.
7. 269. 778.
XLV. 2. 742.
3. 43. 113.
11. 12. 239.
L. 113.
11. 535.
LVIII. 5. 6. 477.
LXIII. 3. 81.
LXV. 8. 778.
LXIX. 21. 22. 134.
LXXII. 1. 799.
LXXIII. 1. 136.
LXXXII. 6. 7. 280.
LXXXVII. 4. 51.
LXXXVIII. 16. 17. 134.
XCV. 112.
CIV. 4. 283.
CIX. 4. 342.
CXVII. 708.
CXXI. 6. 776.
CXXVII. 176.
CXXVIII. 176.
CXXX. 8. 170.
CXXXVII. 111.
CXLIV. 12. 111.
CXLV. 8. 9. 142.
CXLVII. 9. 60.

PROVERBIA.

I. 26. 139.
27. 28. 334.
XXX. 19. 212. 265.

COHELETH.

I. 2. 182. 815.
3. 259.
II 24 754 755.
III. 21. 757.
VII. 28. 29. 737.
XII 8. 13. 182.

CANTICVM.

I. 1. 337.
13. 478.
V. 3. 341.
10. 738.
VII. 4. 310.

ESAIAS.

I. 2. 112.
9. 310.
25. 61.
II. 117.
5. 536.
22. 425.
III. 117.
1. 51.
23. 259.
24. 389.
V. 117.
2. 778.
25. 274.
2. 143.
VI. 118.
1. 2. 119.
VII. 14. 212. 265.
VIII. 7. 778.
18. 160.
13. 14. 15. 787.
IX. 5. 84. 132.
202.

XI. 4. 297.
XIII. 10.774.777.
22. 341.
XIV. 4. 341.
12. 215.
XV. 5. 131.
XVI. 1. 164.
5. 65.
XVIII. 2. 193.601.
5. 352.
XIX. 1. 741.
19. 433.
XXI. 1. 741.
5. 573.
11. 58.
XXII. 1. 741.
15. 74.
XXIV. 23. 777.
XXV. 1. 136.
XXVI. 18. 766.
XXVII. 4. 51.
XXVIII. 7. 8. 737.
15. 351.
16. 292.
XXIX. 1. 115. 550.
XXXII. 5. 272.
20. 301.
XXXIV. 5. 742.
XXXVI. 6. 778.
XL. 3. 252.
9. 811.
XLI. 10. 248.
20. 248.
28. 136.
XLII. 1. 167.
3. 769.
XLIII. 27. 314.
XLIV. 3. 312. 777.
7. 249.
XLVI. 11. 778.
L. 5. 762.
7. 134.
LI. 1. 772.
6. 144.
LII. 13. 206.
LIII. 4. 65.
5. 742.
7. 736.
LIV. 5. 192.
11. 12. 737.
XLVI. 7. 255.
10. 274.
LIX. 5. 472.
16. 17. 18. 784.
LX. 8. 310.
LXI. 1. 156. 290.
LXII. 5. 142.
LXIII. 783.
LXVI. 3. 142.

IEREMIAS.

II. 15. 398.
III. 18. 171.
IV. 19. 348.
VIII. 9. 346.
XVII. 11. 204.
XX. 7. 755.
XXXI. 22. 212.
XXXIII. 11. 370.
XLVII. 6. 131.
XLVIII. 10. 214.
36. 131.
XLIX. 38. 566.
L. 25. 778.

Cap.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0844
DFG

Cap. LI. 39. 573.
57. 573.
THREN.
V. 17. 778.
EZECHIEL.
IV. 12. 50.
XVIII. 21. 311.
XVII. 3. 776.
12. 778.
XXI. 13. 133.
XXXII. 7. 774.
XXXIII. 26. 332.
XXXIV. 16. 810.
XXXIX. 17. 779.
DANIEL.
VIII. 10. 777.
IX. 23. 50.
HOSEAS.
IV. 18. 204.
V. 12. 294.
14. 778.
IX. 12. 762.
IOEL.
II. 20. 214.
III. 4. 774.
AMOS.
IV. 19. 323.
IONAS.
IV. 6. 20.
MICHAS.
I. 8. 131.
10. 11. 12. 50.
HABAKVK.
I. 8. 778.
II. 4. 253.
HAGGAEVS.
II. 4. 5. 578.
7. 777.
ZACHARIAS.
V. 3. 18.
5- 11. 211.
X. 16. 43.
MALACHIAS.
II. 16. 656.
III. 20. 776. seqq.
MATTHAEVS.
I. 19. 559.
II. 20. 580.
III. 7. 63.
13. 17. 190.
IV. 17. 311.
V. 3. 132.
3. 201. 250.
6. 312.
11. 343.
13. 476.
16. 287.
39. 284. 572.
48. 294.
VI. 12. 648.
33. 239. 289.
809. seq.
VIII. 17. 65. 158.
22. 61.
26. 600.
IX. 2. 137. 752. 818.
27. 240.
X. 20. 320.
XI. 29. 44.
XV. 19. 246.
XVI. 3. 819.

Cap.

Cap. XVIII. 7. 324.
11. 733.
XIX. 24. 389. 395.
XX. 1. 187.
XXI. 25. 283.
28. 29. 738.
44. 537.
XXII. 3. 4. 738.
20. 537.
23. 31. 807.
37. 279.
XXIII. 37. 806.
XXVI. 24. 536.
42. 819.
XXVII. 34. 537.
52. 819.
XXVIII. 20. 185.

MARCVS.

I. 17. 243. 820.
III. 4. 135.
5. 812.
IV. 1. 425.
VI. 5. 213.
14. 508.
VII. 6. 115.
XIV. 3. 389.

LVCAS.

I. 45. 161.
74. 177.
78. 283. 303.
II. 1. 7. 184.
8. 564.
11. 584.
14. 288. 426.
29. 585.
34. 790.
III. 13. 559.
VI. 39. 207.

Cap. XI. 5. 86.
53. 360.
XII. 32. 304.
49. 444.
XIII. 32. 775.
XIV. 23. 443.
XVI. 19. 187.
XIX. 43. 115.
XXI. 15. 813.

IOANNES.

I. 1. 578.
14. 17. 169.
21. 324.
26. 335.
29. 289. 811.
II. 1. seqq. 193.
19. 144.
III. 12. 313.
14. 15. 189.
16. 66. 136.
IV. 13. 144.
V. 1. 493.
15. 186.
17. 184.
31. 449.
39. 4. 654.
46. 149.
VI. 37. 811.
50. 144.
59. 119.
VIII. 22. 424.
48. 817.
58. 769.
IX. 7. 496.
XI. 50. 348.
XII. 32. 288.
34. 65.
XV. 20. 282.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0846
DFG

Cap. XIX. 36. 71.
XX. 31. 152.
XXI. 15. 16. 282.
25. 439.
ACTA.
I. 8. 237.
24. 193.
II. 25. 111.
III. 24. 150.
VIII. 23. 735.
VIII. 34. 785.
IX. 9. 819.
31. 393.
X. 13. 810.
43. 313.
XIII. 8. 89.
14. 591.
20. 770.
34. 579.
48. 314.
XIV. 14. 15. 137.
XV. 11. 91.
37. 134.
XVIII. 6. 580.
XX. 3. 564.
XXIV. 25. 26. 138.
EP. AD ROMANOS.
I. 4. 288.
5. 457.
17. 252. 303.
18. 142.
19. 315.
22. 308.
23. 569.
III. 19. 292. 329.
24. 204.
25. 797.
Cap. III. 30. 50. 193.
V. 12. 205.
18. 205. 560.
763.
VII. 17. 203.
VIII. 241.
1. 300.
3. 412.
IX. tot. 137.
5. 426.
32. 33. 790.
X. 4. 149.
XI. 22. 251.
XII. 6. 89. 282.
XIII. 14. 591.
XIV. 1. seqq. 294.
13. 296.
17. 814.
XVI. 18. 43.
26. 458.
I. AD CORINTHIOS.
I. 21. 51.
II. 1. 289.
14. 447.
III. 1. 293.
16. 596.
IV. 13. 347.
V. 1. 572.
3. 4. 5. 133.
7. 540. 797.
VI. 4. 756.
VIII. 5. 6. 298.
IX. 10. 78.
X. 7. 8. 9. 334.
26. 28. 65.
XIII. 2. 395.
XV. 32. 286.
45. 75.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0847
DFG

II. AD CORINTHIOS.
I, 20. 154.
III. 6. 62.
15. 542.
IV. 4. 806.
V 21. 738.
VI. 16. 797.
VII. 2. 237.
AD GALATAS.
I. 1. 307.
16. 282.
II. 16. 214.
III. 8. 807.
13. 246. 329.
340.
V. 24. 336.
VI. 17. 566.
AD EPHESIOS.
II. 3. 284.
19. 560.
III. 9. 794.
IV. 1. 210.
9. 293.
14. 562.
19. 242.
AD PHILIPPENSES.
I. 23. 214.
II. 30. 586.
III. 17. seqq. 241.
18. 131.
20. 291.
AD COLOSSENSES.
I. 11. 12. 253.
24. 104.
II. 11. 311.
15. 759.
Cap. II. 18. 510.
22. 295.
23. 259.
III. 16. 252.
I. AD THESSALONICENSES.
V. 14. 349.
II. AD THESSAL.
II. 7. 117.
III. 2. 84.
I. 2. 19.
8. 119.
I. AD TIMOTHEVM.
I. 9. 361.
15. 817.
II. 10. 563.
III 15. 391. 739. 797.
VI. 6. 805.
20. 510.
II. AD TIMOTHEVM.
I. 6. 273.
II. 3. seqq. 736.
III. 15. seqq. 152.
IV. 13. 276.
17. 776.
AD TITVM.
I. 15. 293.
II. 11. 299.
III. 9. 517.
AD PHILEMONEM.
vers. 5. 244.
I. EPIST. PETRI.
I. 10. 81.
19. 738.
II. 12. 200.
II. 6. 7. 790.
IV. 12. 28.

Cap.

Cap. IV. 15. 354.
V. 8. 776.
II. EPIST. PETRI.
III. 15. 792.
I. EPIST. IOANNIS.
I. 6. 9. 204.
II. 1. 2. 309.
IV. 13. 67.
16. 142.
19. 332.
EPIST. IACOBI.
I. 5. 571.
17. 571.
II. 17. seq. 179.
EPIST. AD EBRAEOS.
I. 14. 300.
II. 1. 309.
11. 12. 13. 159.
VII. 12. 316.
25. 738.
VIII. 7. 13. 171.
IX. 5. 173.
9. 11. 173.
12. 237. 797.
14. 307.
X. 1. 76. 173.
739. 796.
Cap. X. 5. 269.
XI. tot. 183.
1. 272. 585.
XII. 2. 811.
21. 369.
XIII. 10. 11. 316.
APOCALYPSIS.
I. 20. 777. 798.
16. 777.
II. 5. 798.
8. 160. 707.
13. 584.
17. 315.
26. 333.
III. 3. 294.
12. 587.
V. 5. 776.
VI. 12. 13. 16. 774.
777.
XIII. 5. 813.
6. 566.
XVII. 18. 801.
XXI. 19. 483.
21. 774.

INDEX

INDEX II.

Abarbanel, Isaac pag. 167. 213. 220. 397. 413. 434. 543. NB. 674. 691
Abbadie, Iacobus 26
Abendana, Iacobus 675
Abicht, Io. Georgius 33. 40. 479
Ackersloot, Theodorus 540. 701. 702. 704
Acta eruditorum lipſ. 262. 267. 488. 695. 696. 801
Adam, Thom. 812
Adami, Cornelius 308. 315. 566. 567. 715. 735
Adamus, Melchior 631
Aderus, Guilielmus 492
Adrichomius, Chriſtianus 516
Aelianus. 349. 560
Agricola, Conradus 374
Ainsworth, Henricus 540. 689. 692
Alardus, Lampertus 354
Alartus, Nic. 452
Alberdus, M. 483
Alberti, Valentinus 94
Alberti, Paulus Mart. 257
Alba, Io. 715 Michael 493
Alethaeus, Theoph. 427. 689. 690. 715
Alexander, Natalis 701
Allatius, Leo 570
Allix, Petrus 26. 72. 121. 150. 163. 169. 172. 184. 212. 221. 527. 606. 651. 801
ab *Almeloueen*, Theod. Ianſonius 587
van *Alphen*, Simon 702
Alſchech, Moſes 675
Alſtedius, Io. Henr. 452 492. 496. 555
Althammerus, Andr. 451
Altingius, Iac. 149. 160 238. 539. 690. 701
Amama, Sixtinus 13. 17. 85. 396. 415. 459. 628. 662. 713. 724
Amelius, Theoph. 567. 592. 715
Amelot. 699
Amerpoel. Io. 480
Amyraldus, Moſ. 62. 711
Andala, Ruard 705. 715
Andreae, Sam. 511
Anſelmus Laudunenſis 680
Ansgarius, Matth. 390
Antonides, Theod. 41. 195 692. 704. 705
Antonius, Paulus 88. 94. 99. 106. 250. 421. 582. 685. 765
Antonius, Nicol. 676
Apollinarius. 708
d'*Appies*, Petrus. 586
Aquila. 275. 623. 645
Arator. 710
Arcularius, Dan. 700
Arias Montanus, Bened. 392. 406. 463 538. 630. 639. 640. 698. 700

Ari-

Aristoteles, 441. 459. 560. 562. 571. 749.
Arndius, Ioh. 85. 692
Carolus 597. 687. 688
Iosua. 397
Arnobius, 397
Arnoldus, Nic. 717
Ars cogitandi, 51. 319. 351
bar *Ascher*, Iac. 533
Asfeld, auctor libri: *Regles pour l' intelligence des saintes ecritures*, 159. 174. 175. 176.
Aslacus, Conrad. 460. 482
Athanasius. 215 6
Athenagoras, 127
Atterfol, Guil. 690
Auenarius, Io. 263 278
Augustinus, 6. 20. 21. 36. 46. 47. 54. 59. 60. 61 79. 92. 102. 103 115 128 142. 147. 148 151. 154 154. 184. 215. 281. 290. 397. 430. 433. 435. 464. 477. 487. 490 558. 594 625. 626. 661. NB. 678. 702. 755. 759.

B.

Bachimius, Arn. 482
Bacmeisterus, Lucas 719
Baelius, Pet. 490. 521 552
Baierus, Io. Guil. 6. 32. 70. 100. 103 208. 417. 424. 429. 465 475. 607. 716.
Bayerus, Ioh. 482
Balte, 595. 507
Balduinus, Frid. 233. 240. 243 383. 700. 703. 739. 740. 745 812.
Bangius, Thomas 696
Barclaius, Ioh. 424
Barillon, Henr. 702
Barlaeus, Casp. 710
Baronius, Caesar. 261 500. 617
Barradius, Sebast. 517
Bartholinus, Thomas 491 494
Barthius, Io Henr. 108
Bartoloccius, Iul. 226. 228. 533 606. 668 674. 677.
Bashuysen, Henr Iac. 539. 715
Basnage, Sam. 512
Iac. 405. 501.
Basilius magnus. 298. 558
Baschius, Sigism. 582
Battierius, Sam. 425
Bauch, Ioh Frid. 242
Bauer, Chr Frid. 345
Baumann, Mich. 304
Baynus, Rudolph. 693
Beaugrand, Felix. 516
Beausobre, 699
Beckius, Matth. Frid. 520 610. 691

Beckius, Mich. 662
Becker, Balth. 495
Io. Herman. 140
Bechai, 150. 260. 675
Bechmann, Fridem in. 70
Bedber, Dan. 702. 320
Bellarminus, Rob. 56 102. 339. 438. 547. 810
Bellman, I. Arnd. 589
Beniamin Tudelenſis. 552
Benoiſt, El. 401
Benthem, Henr. Ludolf. 95. 683
Bentleius, Rich. 411. 422. 424. 574. 586
Bergerus, Paulus. 270. 326. 367. 432
Bernhard, Eduard. 466. 475. 401. 617
Bernhardus, 127. 129.
Beroaldus, Matth. 513. 771
Bertramus, Corn. Bonauentura. 461. 714
Beſodnerus, Petr. 687
Betuleius, Xyſtus 374
Beyerus, Andr. 569
Beza, Theod. 411. 592. 628. 634. 651. 698
Bibliander, Theodor. 631
Bibliophilus, Chriſt. 290
Bibliotheca Bremenſis, 177. 474. 486. 494. 495. 496. 598. 614. 715
Bircherodus, Ianus. 480. 696
Bieck, Ioh. Erdm. 455
Biedembach, Balth. 691
Biermann, Io. 78. 150. 174. 175. 697. 702. 739
Biermann, Sam. 478
Blanc, Theod. 96 97
Blanc, Thom. 693
Bloſius, Lud. Chriſt. 430
Blume, Io. Chriſt. 715
Bochartus, Sam. 25. 175. 213. 259. 275. 295. 326. 475. 477. 502. 504. 507. 515. 516. 525. 540. 566. 576. 590. 597. 598. 714.
Boderianus, Guido Fabr. 614. 639
Boeckholt, Henr. 697.
Boeclerus, Io. Henr. 390. 394. 401. 479. 654
Bohlius, Sam. 266. 279. 460. 697. 711. 768
Boganus, Zach. 394
Bois, Iacobus. 489
Bolduanus, Paul. 687
Bomberg, Dan. 406
Bomble, Chriſt. Io. 224
Bompartius, Io. 579
Bonadus Franc 710
Bonfrerius, Iac. 7. 56. 515. 416. 627 689. 690. 691. 793
Bonick, Hen. 354

Borgeſius, Ioach. 422
Bornmeiſter, Simon. 500
Bootius, Arnold. 612. 714.
Bos, Lambertus. 261. 392. 39 561. 563. 587. 661. 714
Boſius, Io Andr. 315. 569
Boſſuetus, Iac. Ben. 693. 705
Boſſaeus, Io. 304
Boyle, Rob. 26. 37. 38. 39. 40. 101. 154. 203.
Boys, Io. 812
Boyſen, Petr. Adolph. 563. 636 657
Brandmyllerus, Iac. 237
Braunius, Io. 36. 270. 475. 510. 540. 449. 704. 714. 725
Breitenbach, Bernh. 516
Breithaupt, Io. Frid. 672
Breithaupt, Ioach. Iuſtus 103. 108. 703. 710
Breitinger, Io. Iac. 622
Brentius, Ioh. 38. 129. 148. 155 412. 685. 688. 689. 692. 694. 696 700. 701. 808
Brerewood, Eduard. 469
Brightmannus, Thomas 478. 693. 695
Brinch, Petrus 500
Briſſonius, Barn. 504. 567
Brocardus, Iac. 80
Brochmannus, Caſp. Erasmus 316. 704. 705
Brougthonus, Hugo. 365. 694. 695
Brown, Thomas. 475
Browuerius. Daniel. 617
Bruckerus, Iac. 597
Brunsmannus, Ioh. 140. 489 552
Bruyn, Florentinus. 336
Bucerus, Mart. 711
Buchananus, Georg. 710
Buchnerus, Aug. 158
Bucholzerus, Abrah. 513
Buddeus, Io. Franc. 6 11. 12. 25. 27. 31. 33. 46. 48. 53. 54. 60. 71. 79. 81. 83. 85. 99. 100. 108. 126. 130. 135. 138. 177. 219. 227. 320. 365. 374. 423. 441. 445. 446. 449. 455. 459. 462. 473. 480. 481. 482. 484. 496. 497. 501. 505. 510. 512. 521 522. 523 527 528. 533. 549 553. 557. 569. 578. 595 596. 597 611. 624. 636. 651. 665. 667. 669. 676. 763. 764. 769. 806.
Bugenhagen, Io. 129. 148. 233. 692
Bullingerus, Henr. 694. 698. 700
Bullock, Thom. 159
Bunting. Henr. 516
Burg Io Frid. 448
Burmann, Franc. 81. 104. 174. 686. 699
Burnet, Thom. 80. 480. 487. 525

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0853
DFG

Busthamantius, Io. 475
Buteo, Io. 465
Bütouius, Elias. 106
Buxtorf, Ioh. 27. 28 32. 226. 227. 228. 271. 326. 732. 402. 404. 405. 406. 314. 531. 539. 543. 550. 611. 612. 649. 651. 656. 661. 670. 675. 676. 677. 717. 770
Bynaeus, Ant. 336. 566

C.

Caietanus, Thom. 231
Calixtus, Ge. 106. 701
Calmet, Augustin. 7. 516. 521. 682. 717. adde praef. Buddei.
Calouius, Abr. 6. 31. 32. 69. 70. 114. 148. 194. 219. 227. 232. 238. 264. 285. 343. 466. 514. 534. 577. 628. 634. 641. 680. 684. 686. 712. 717. 722. 747. 748
Caluoer, Casp. 479. 717
Caluinus, Ioh. 632. 683
Caluisius, Sethus. 514
Camerarius, Ioach. 353. 400. 436. 560. 561
Camero, Ioh. 714
Camentius, Erdm. Godfr. 550
Canne, Ioh. 372
de *Canstein*, Carl. Hildeb. 509. 512. 699
Cappellus, Ludov. 27. 32. 413. 422. 450. 463. 510. 536. 612. 619. 661. 683. 699. 769
Iacobus. 394. 505. 651. 683. 699. 713
Cappellanus, Claud. 552
Caraffa, Antonius. 622
Carpzouius, Io. Bened. 6. 70. 242. 405. 597. 538. 540. 595. 691. 718
Io. Gottlob. 23. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 174. 181. 221. 222. 224. 228. 233. 238. 258. 405. 506. 408. 415. 416. 417. 432. 450. 507. 515. 547. 601. 607. 615. 625. 629. 630 632. 636. 638. 641. 667. 677. 679. 685. 688. 716
Carolus, Phil. 556
Carteſius, Renat. 480. 768
Cartwrightus, Christ. 534. 540. Thomas 693
Caſalius, Io. Bapt. 567
Caſaubonus, Mericus 278
Isaac. 500. 713
Casmannus, Otto. 482
Caſtellus, Edmundus 275. 276. 640. 641. 667
Caſtellio, Sebast. 632
Caue, Guil. 409. 510.
Cauſſinus, Nicol. 735
Celſus, 465. 473 594. 765
Cellarius, Christoph. 291. 331. 496. 509. 502. 503. 509. 510. 515. 517. 613. 623. 632

Cel-

Celsius, Olauus. 375. 641
Ceualerius, Anton. 610
Chamier, Dan. 7. 763
Chandler, Sam. 695
Chappelow, Leonh. 690
Cheiromæus, Mart. Petr. 49
Chemnitius, Mart. 100. 296. 418. 433. 582. 679. 699
Chladenius, Mart. 6. 30. 37. 46.
Chrysostomus, Io. 4. 195. 689. 698
Chytraeus, Dau. 520 688
Cicero, 88. 261. 308. 315 571. 594
Clarius, Isidorus. 682
Clauberg, Ioh. 292
Clemens, Romanus. 557
Clemens, Alexandrinus 623. 735. 749. 797
Clericus, Io. 7. 28. 31. 40. 48. 51. 70. 94. 109. 140 156. 199 206. 207. 244. 269. 270. 274. 275. 277. 280. 281. 284. 285. 294. 298. 322. 345. 351. 356. 359. 374 398. 406. 409. 410. 411. 413. 420. 422. 424. 427. 428. 431. 476. 479. 490. 502. 515. 516. 525. 566. 572. 594 595. 601. 616. 753. 689. 690 692. 698. 699. 712. 747. 760
Samuel. 641
Cleffelius, Io. Andr. 602
Clodius, Dav. 383
Cloppenburg, Ioh. 714
Cocceius, Ioh. 57. 58 64. 148. 165. 187. 203 238. 272. 296. 439. 603. 659. 683. 690. 392. 701 760. 766. 767. 772.
Collin, Ant. 429. 462
de *Colonia*, Dominic. 575
Colomesius, Paulus. 714
Comenius, Io. Amos. 482
Connor, Bernh. 479
Conring, Herm. 469. 523
Coquius, Adr. 475
Cordemoy, 54
Cotelerius, Io. Bapt. 557
Cotta, Io. Frid. 770
Coustant, Petrus. 31
Craigius, Ioh. 470
Cramer, Dan. 375
Crauserus, Georg. 331. 561
Crellius, Paul. 375
Lud. Christ. 596
Iohannes. 139 636. 701
Cremer, Bernh. Sebast. 81. 495. 551. 741. 800
Crenius, Thom. 202. 395. 611. 632. 684. 687. 715. 719
Creyghton, Io. 704. 705
Croesius, Gerh. 503. 598
Croius, Ioh. 399. 715
Crowaeus, Guil. 687
Cruciger, Georg. 278
Cunaeus, Petr. 461

Curcellaeus, Steph. 372 407. 417. 586
Curtius, 565. 566
Cuperus, Lucas. 599
Cyprianus, 79
Iohannes. 475
Cyrillus, Alexandrin. 793

D

Dachselius, Ge. Chr. 346
Dale, Anton. 500. 569 619
Dallaeus, Ioh. 703
Danaeus, Lamb. 460
Danhauerus, Io. Conr. 2. 7 62. 95. 103. 124. 126. 128. 133. 184. 292. 363. 395. 401. 420. 434. 439. 441. 446. 454 460. 517 642. 664. 723. 724. 725. 766 807
Danzius, Io. Andr. 40. 58 203. 302. 323. 326. 327. 332. 389. 391. 399. 402. 414. 539. 540. 604
Dapperus, Oliuer. 516
Daserus, Lud Henr. 770.
Dassouius, Theodorus 347 718
Daubuz, Carol. 500
Dauenantius, Io. 703
Del Rio, Mart. 395. 564 570
Demosthenes, 564
Dempsterus, Thom. 567
Deuarius, Matth. 203
Deusing, Herm. 80
Deylingius, Salo. 110 139. 169 280 422 466. 470. 474. 477. 479. 489. 495. 509. 529. 536. 566. 569. 592. 715. 760. 765
Dicelius, Hieron. 464
Dickinson Edmundus. 290. 481. 590. 597
Dietericus, Conr. 242
Ioh. Conr. 538. 570.
Samuel 242
a *Diest*, Henr. 705
de *Dieu*, Ludov. 275. 327. 614. 655. 683. 699. 712. 767
Dilher, Io. Mich. 534. 558. 567. 569. 590. 686. 716.
Dinant, Petr 702
Diodorus, Siculus. 505. 574
Diodati, Ioh. 637. 684.
Dionysius, Longinus. 123
Dodwellus, Henr. 514
Doring, Matth. 681
Dorn, Io. Christoph. 634 641. 688. 699. 705
Dornkrell, Iac. 224
Dornmeier, Andr. Iulius 217. 261. 344. 659. 710
Dorschaeus, Io Georg. 317. 703. 705. 725. 747.
Doughtaeus, Io. 565. 566
Draconites, Ioh. 148
Draudius, Georg. 688

Drief-

Drieſſen, Ant. 736
Druſius, Io. 20. 369. 395. 512. 540. 625. 691. 692. 695. 699. 712
Dupin, Lud Ellies 7. 502. 504. 555. 628. 534. 715.
Duportus, Iac. 709

E.

Echellenſis, Abr. 640
Egardus, Paulus. 692
Eiſenſchmid, Io. Caſp. 466
Elias, Leuita 27. 228. 604. 646
Elsnerus, Iac. 567. 715
Elswich, Io. Herm. 422. 481. 735
Ekhardt, Tobias 286. 579. 581. 583. 596
Engelbach, Ge. Iac. 623
Engelke, Henr Aſcan. 488
Herm. Chriſt. 342
Eniedinus, Georg. 453 808
Epiphanius, 365 475 757
Epiſcopus, Simon. 140. 632. 633
Erasmus, Roterodamus 399. 407. 522. 556. 572 634. 698. 711. 719
Errath. Auguſtinus. 575
Eritus, Io. Petrus. 262
Erneſti, Io. Henr. 1
Ernſtius, Henr. 557
Eſchenbach, And. Chriſtian. 406. 570
Eskuche, Io. 715
Espagnetus, Ioh. 482
d'*Espagne*, Iean. 689. 714
Espencaeus, Claudius 558. 703
Eſtius, Guil. 285. 681. 701.
Euclides, 88. 364.
Eudocia, 709
Eugubinus, Aug. Steuchus. 567
Euſebius, 78. 148. 158. 364. 502. 623
Euſtathius, 319
Eyringius, El. Mart. 685
Examen antilogiae Simonianae. 380
Ezra, Abr. 565. 667. 672. 753. 757. 788

F.

Faber, Tanaquil. 424. 586
Iacobus. 701
Petrus. 567
Fabricius, Io. Albertus. 24. 225. 229. 252. 286 315. 347. 488. 390. 395. 406. 407. 409. 411. 413. 416. 441. 461. 470. 473. 497. 501. 503. 510. 515. 517. 520. 521. 524. 529. 532. 539. 544. 553. 555. 567. 468. 570. 572. 575. 589. 615. 618. 620. 622. 623. 625. 637. 653. 683. 683. 697. 793

Fabricius, Ioh. 632. 634. 675. 682. 686. 689 alius. 561. 715 Franc. 148
Facciolatus, Iac. 457. 604. 627
Fagus, Iac. 529
Fagius, Paulus 540. 551. 607. 656. 713
Falsterus, Christ. 572
Fardella, Mich. Angelus. 488
Faustus, Isaac. 161
Fechtius, Ioh. 25. 83. 457. 561. 700. 703. 705
Feithius, Everhard. 567
Fellus, Ioh. 622. 711
Felbinger, Ierem. 428. 636
a *Felde*, Ioh. 441
Fesselius, Daniel 204. 304. 561. 651. 714
Feuerlein, Iac. Wilh. 54. 452 Conr. Frid. 460
Feustking, Io. Henr. 375
Finckius, Caspar. 6
Fischer. Ioh. 89 Ioh Christoph. 259
Flacius Matth. 6. 49. 89. 128. 141. 199. 323. 391. 434. 436. 698. 732. 717. 732.
Flechier, 639
Fleetwood Guil. 479
Fleury, Claud. 144. 461
Fluddius, Rob. 481
Foppius, Io. Henr. 598
Forbesius, Patricius 705
Forerius, Franc. 694. 713. 767
Forsterus, Ioh. 242. 263. 266. 531. 542. 680. 694
Förtsch Mich. 80. 106. 320.
Fortnerus Dauid. 685
Franke, Aug. Hermann. 6. 83. 105. 106. 108. 124. 126. 128. 130. 151. 152. 69. 172. 178. 181. 228. 236. 244. 354. 364. 372. 380. 393. 413. 419. 658. 689. 703. 714. 726. 728. 720. 821. 822.
Francke, Ioh. 28. 64. 133. 232. 244. 345. 346. 359. 693
Franzius, Wolfgangus 6. 73. 144. 174. 208. 211. 215. 256. 264. 265. 282. 336. 354. 361. 374. 475. 690. 714
du *Fresnoy*, Langlet. 505
Frey Herm. Henr. 475
Frickius, Ioh. 31. 423. 623. 638
Fries, Ioh. 185
Friederici, Ier. 715
Frischmuth, Ioh 219. 275. 494. 540. 623. 718. 724.
Fritsch Ioh. 705
Frommannus, Ioh. Christ. 570

Fullerus, Nic. 27. 714.
Funccius, Ioh. 513

G.

Gagnaeus, Ioh. 650
Galatinus, Petr. 164. 650.
Garbade, 702
Gargon, Matth. 703
Gattackerus, Thomas 23. 563. 567. 580. 714
Gaukes, Yvon. 47. 479. 495
Gauſſenus, Steph. 313. 375. 383. 439. 459. 471. 517. 725
Gebhard, Brandanus Henr. 50. 425. 528. 604
Gedike Lampertus. 25
Geierbrand, 490
Geierus, Mart. 137. 265. 418 510. 692. 693. 695. 720 812
Gellius, Aul. 559
Genebrardus, 632
Gentilis, Scipio. 703
Albericus. 628
Genzkenius, Frid. 512
Gerdeſius, Dan. 438
Gerhardus, Io. 6. 108. 410. 681. 689. 690. 699. 700. 703. 802.
Germon Barth. 31
Gerſon, Chriſtian. 532
Geſnerus, Ioh. 223
Ghiſlerus, Mich. 694
Gill, 802
Glaſſius, Sal. 6. 13. 31. 34. 36. 37. 38. 44. 50. 56 68. 70. 84. 143. 153. 165. 169. 172. 187. 204. 261. 296. 304. 323. 324. 327. 329. 338. 342. 343. 351. 353. 391. 392. 395. 417. 432. 433. 434. 436. 446. 450. 452. 478. 550. 662. 669. 686. 740. 745. 769
Glauchius, Andr. 375
Gleichius, Io. Andr. 702
Glirius, Matth. 426
Goeree, Guil. 538
Goezius, Ge. Henr. 682
Goetten, Henr. Lud. 325
Golius, Iac 331. 483
Golzius, Dom. 704
Gomarus, Franc. 518. 699
Goodwin Thom. 538
Gordonus, Iac. 682
Grabius, Io. Ern. 622
Graeſius, Ioh. 242
Grammius, Io. 653
Grammlich, Io Andr. 704
Grapius, Zach. 532. 589. 697. 717. 765
Grauius, Dan. 617
Graeuius, Io. Georg. 567
Grauerus, Alb. 696
Gregorius M. 79

Gregorius Naziancenus 557. 709
Ioh. 715
Frid. Quirin. 127. 199
Gretserus, Iac. 660
Grew, Neh. 563
Grischow, Aug. 54
Groebelius, Io. Aug. 566
Gronertus, Mich. 623
Gronouius, Iac. 567
Groenewegen, Henr. 187 230
Grossius, Iac. 401
Ioan. 716
Grosgebauer, Theoph. 702
Grotius, Hugo 17. 18. 70 84. 110. 111. 114. 117. 151. 156 158. 167. 292. 338. 441. 443. 450. 495. 351. 366. 572. 575. 586. 593. 686. 712. 721. 747. 782. 788. 802
Gründler, Io. Ernest. 617
Gruneberg, Io. Pet. 238. 519
Gude, Gottl. Frid. 566
Gulichius, Abr. 7. 238. 697 743
Gürtlerus, Nic. 143. 162. 212. 265. 304. 505. 507. 743. 779
Gusserius, Iac. 256. 259. 360. 265. 267 270. 271. 275. 221. 391. 545. 548. 767.
Gutbier, Aeg. 614. 654

H.

Hackspan, Theodoricus 13. 70. 149. 391. 438. 540. 647. 649. 65[illegible]. 712 722
Haevecker, Io. Hen. 703
Hafenreffer, Matth. 464. 694. 696
van der *Hagen*, Petrus 702
Hageman, Laur. 697
Hale, Matthæus 26
Hall, Iosephus 460. 812
Hallbauer, Frid. Andr. 447. 575
Hamberger, Ge. Alb. 464. 466
du *Hamel*, Io. Bapt. 682
Hammondus, Henr. 494 567. 593. 692. 698. 711
Hardt, Hermannus 6. 55. 63. 109. 124. 125. 128. 129. 144. 146. 197. 230. 261. 262. 301. 350. 526. 539. 639. 642. 660. 783
Harduinus, Io. 221. 500. 509. 526. 627
Hartmannus, Phil. 266. Io. Ludou. 767
Hartschmid, Io. Nicol. 448
Hasaeus, Iacobus 598. 628 Theodorus. 165 411. 584. 598
Hasius, Nic. 371
Hasselius, Dav. 235

Hauemann, Mich. 649
Hauerkamp, Sigb. 501
de la *Haye*, Ioh. 7. 681.
Hayne Thomas. 278
Hazevoet, Seruat. 701. 702
Hebenſtreit, Io. Paul. 71
Hebopfer, 122. 220. 359. 383. 390. 427. 509. 655. 715. 716
Hedinger, Io. Reinh. 371. 698
Hegeſippus, 501
Heidenus, Abr. 80
Heidegger, Io. Hen. 7. 181. 219. 238. 423. 465. 525. 689. 714. 715
Heidmannus, Chriſt. 516
Heineccius, Io. Gottl. 526. 595
Heinius, Io. Frid. 242
Heinſius, Dan. 228. 332. 387. 561. 699. 700
Io. Georg. 501
Heliodorus, 563
Helmontius, 28. 257. 481
Heluicus, Chriſtoph. 661. 669. 650. 716
Andreas 278
Heluigius, Chriſtoph. 493
Hellenbroeck, Abr. 693. 694
Henke, Ge. Ioh. 377. 655
Henckel, Wenceslaus Ludouicus, comes 710
Henninges, Hieron. 158
Herberger, Val. 148
Heresbachius, Conr. 496
Herodotus, 37. 504. 658. 573. 575. 661. 765
Herrnſchmid, Io. Dan. 459. 583
Herzog, Io. Chriſtian. 343. 412
Heſſus, Eobanus. 710
Heumann, Chriſtoph Aug. 407. 408. 410. 455
Heuniſch, Caſp. 693. 705
Heupelius, Ge. Frid. 392. 629. 636. 699
Heydonus, Ioh. 481
Hieronymus, 6. 8. 20. 61. 79. 117. 148. 164. 215. 233. 247. 400. 402. 406. 515. 557. 560. 616. 619. 624. 615. 629. 64[illegible]. 674. *NB.* 678. 694
Hilarius, 60. 67. 215. 751.
Hillerus, Matth. 32. 326. 343. 41[illegible]. 475. 476. 521
Himmelius, Io. 238. 686
Hinckelman, Abr. 275
Hippocrates, 495
Hobbes, Thom. 422. 494
Hody, Humfredus. 219. 610. 620. 623. 625. 652
Hoe, Matth. 705
van *Hoecke*, Pet. 696. 704.
Hoepfnerus, Henr. 232

Hoff-

Hoffmann, Godfr. 181. 452. 455
Io. Iacob. 521
Fridericus. 492
Hollmann, Sam. Christ. 480
Hollmius, Petr. 611
Holstenius, Lucas 551
Hombergk, Io. Frid. 411. 561. 563. 586. 713
Homerus, 586
Honert, Taco Haio. 24. 401. 536
Hoornbeck, Io. 714
Horchius, Henr. 464
Hornius, Georg. 512
Horneius, Conr. 704
Horus, 776
Hosman, Sigism. 689
Gustav. Christ. 514
Hostius, Matth. 465
Hottinger, Io. Henr. 7. 56. 109. 226. 227. 228. 276. 415. 451. 480. 497. 501. 504. 512. 544. 549. 606. 611 612. 613. 616. 620. 621. 622. 623. 628. 640. 951 669. 672. 676. 684. 688 714. 718
Iacobus. 514
Huberus, Vlr. 496
Huetius, Petr. Dan. 7. 25. 97. 151. 165. 232. 322. 371. 294. 406. 423. 433. 476. 516. 517. 525. 527. 572. 575. 589. 497. 598. 599. 600. 609. 613. 624. 626. 629. 630. 631. 632. 643. 677. 756
Hugo, Iacob. 599
Hermann. 710
de S. Victore. 79
Huissus, Alex. 641
Huisemannus, Ioh. 342. 694. 717
Hunnius, Aegid. 25. 399. 700. 812
Nicolaus. 6
Huntlaeus, Iac. Gordonus. 269. 429
Hutterus, Elias. 941
Huysinga, Ioh. 699
Hyde, Thom. 567. 616. 641
Hyperius, Andr. Gerh. 396. 368. 378. 381. 470. 517. 701. 703. 747. 808.

I.

Iablonsky, Dan. Ern. 412
Iaeger, Wolfg. 104
Ianus, Ioh. 275
Io. Laur. 175
Io. Guil. 511. 595
Iansenius, Corn. 689. 693
Iaquelot, Isaac 99. 487. 490
Iameson, Guil. 502
Iay, Guido Mich. 626
Ignatius, 286
Imbonatus, Car. Iosephus 533. 677

Iohrenus, Conr. 492
Ionathan, 195. 607. 646
Ionſius, Ioh. 555
Iordanus, Hieron. 495
Ioſephus, Flauius 138. 268. 433. 500. 502. 509. 575. 592. 618. 646
Gorionides 501. 618
Caecus 610
Irenaeus, 20. 93. 102
Iſelius, Io. Chriſtoph. 503
Iſidorus, Peluſiota. 166
Iſocrates, 560
Ittigius, Thom. 501. 510
Iuda, Leo, 631
Iunckerus, Ioh. 490
Iungmannus, Iuſtus Henr. 70. 504. 695
Iunius, Franc. 160. 269. 633. 683. 689
Iurieu, Petrus 569. 570
Iuſtinianus, Aug. 406
Iuſtinus, martyr, 30. 411. 541. 618. 793
Iuuencus, 710

K.

Kahlerus, Wig. 427
Karlius, Bernh. Petr. 486. 783
Karo, Ioſeph. 533
Keach, Beniam. 204. 436
Kesler, Andr. 452
Io. Conr. 278
Kettner, Frid. Ern. 423
Keuchenius, Petrus. 377. 648. 713
Kimchi, Dav. 223. 259. 281. 297 323. 337. 414. 418. 532. 535. 545. NB. 672. 691. 692. 819
Kippingius, Henr. 567. 714
Kircherus, Conr. 348. 373. 375. 377. 378. 784. Athan. 325. 465. 567. 569. 593
Kirchmaier, Ge. Guil. 496
Kirſtenius, Petr. 377
Klauſingius, Henr. 143. 299. 466. 473. 517
Klemmius, Io. Chriſt. 408
Klingler, Ant. 690
Knatchbul, Northonus 39. 699. 713
Knippe, Dav. 703
Koch, Conr. Dieter. 469
Koenig, Georg. 716
Koenigsmann, Andr. Lud. 305. 779
Koepken, Balt. 506
Koerber, Chriſtian. 203
Kohlreif, God. 514
Koning, Mart. 305. 702
Kortholt, Chriſtian. 406. 558. 594. 611. 613. 615. 611. 628.

628. 629. 630. 632. 634. 635. 637. 638. 641. 660.
Korthum, Ren. Andr. 70. 231. 711
Kraft, Io. Melch 635
Krauſius, Chriſt. Frid. 812
Krebs, Io. Aug. 464
Kripner, Sam. 568
Kromayerus, *Hier.* 705
Io. Abrah. 238
Küſterus, Lud. 411
Küttnerus, Io. Dav. 34. 351

L.

Lackemacher, Ioh. Godfr. 715
Lactantius, 261
Lambecius, Petr. 665
Lambertus, Franc. 3
Lampe, Frid. Adolph. 112 114. 149. 150. 170. 175. 299. 304. 421. 470. 503. 700. 802. 804
Lamy, Bern. 443. 463. 514 516
Landreben, Arnold. 703
Landsbergius, Phil. 514
Langius, Ioach. 6. 27. 31. 40. 75. 91. 110. 169. 175. 181. 196. 200. 223. 238. 243. 245. 278. 287. 367. 382. 432. 462. 474. 482. 501. 505. 510. 511. 523. 578. 589. 590. 641. 643. 687. 688. 689. 701. 704. 705. 716. 720. 812.
Io. Ioach. 650. 651
Langius, Io. Mich. 38 224. 238 517. 518. 512 625. 699
Erneſtus 710
Laniado, Sam. 543
Lankiſch, Frid. 374
a *Lapide*, Cornel. 287 419. 479. 682. 689. 701
Iauaterus, Ludov. 518 690. 692 693
Laurentii, Ge. Michael 238. 317. 699. 700. 711
Iacobus 713
Laymannus, Anton. 373
Lazius, Wolfg. 567
van *Leuwen*, Gerbrandus 700. 701
Lehmann, Io. Iac. 106
Ioh Chriſt. 242
Leigh, Mich. 696
Eduard. 717
Leig, Io. Ge. 242
Lemnius, Leuinus 478
L' Empereur, Conſtantinus 185. 497. 539. 505. 705. 604.
Lenaneus, Io Canutus 700
Lenfant, Iac. 699
a *Lent*, Ioh. 538
Leo, Caſtrius 30
Mutinenſis. 533

Lequien, Mich. 528
Lesly, Carol. 26
Leui, ben *Gerſom* 168. 673. 725
Leusdenius, Ioh. 27. 273. 326. 394. 405. 539. 540. 552. 615. 621. 623. 628. 636. 641. 648. 669. 683. 689. 699. 723.
Leydeckerus, Melch. 461
Lichtſcheid, Ferd. Helfreich. 89
Ligtfoot, Io. 28. 121. 149. 219. 224. 225. 414. 463. 514. 516. 531. 536. 539. 540. 552. 621. 641. 648. 689. 699.
a *Limborch*, Phil. 70. 229. 700. 701. 704
Lindhammer, Io. Lud. 700
Lipmann, 216
Lippenius, Mart. 517. 688
Lipſius, Iuſtus 566
Lockius, Ioh. 199. 206. 701. 702. 711
Loeſcherus, Val. Ern. 6. 28. 29. 37. 257. 263. 267. 277. 296. 298. 322. 324. 334. 335. 339. 365. 388. 390. 391. 414. 422. 439. 470. 570. 606. 511. 723.
Loeſcher, Caſp. 492
Lombardus, Nic. 692
Lomeyer, Ioh. 570
le *Long*, Iac. 224. 373. 374. 413. 416. 436. 463. 470. 476. 514. 517. 519. 611. 613. 615. 616. 617. 622. 625. 628. 629. 634. 636. 637 641. 688. 699
Longinus, Dionyſius 322. 352
Lorinus, Ioh. 690. 693 700
Loſius, Io. Iuſtus 147. 666
Lowth, Wilh. 694
Lubinus, Eilhardus. 704
Lucius, Ludov. 374
Ludolfus, Iobus 213. 268. 477. 484
Lundius, Ioh. 528.
Daniel 227
Lutherus, Martinus 18. 36. 45. 50. 60. 79. 85. 92. 123. 124. 127. 128. 129. 139. 144. 148. 171. 200. 203. 232. 249. 286. 314. 338. 361. 438. 461. 497. 543. 599. 630. 631. 635. 643. 656. 557. 662. 680. 684. 689. 690. 593. 595. 702. 724. 783. 810.
Lütkens, Franc. Iulius 202. 214. 325. 326. 328. 332. 333. 349. 355. 703. 716. 747.
Lydius, Iacobus 347 359. 567
Nicol. 693
de *Lyra*, Nicol. 680
Lyſerus, Polycarpus 188. 689. 699.

M.

Maior, Ioh. 72. 369. 377
Io. Tobias. 160
Ioh. Daniel. 49

Maius,

Maius, Io. Henricus, pater 6. 23. 108. 118. 128. 195. 224. 225. 252. 267. 268. 276. 390. 350. 417. 428. 423. 475. 636. 675. 683. 684. 704. 707. 711. 712. 715. 716
Filius, 422. 513. 540. 573. 592. 597. 715.
Maier, Mich. 735.
Maimonides, Moſes 43. 142. 185. 219. 227. 512. 531. 533. 535. 536. 537. 541. 542. 550. 647. 676
Maldonatus, Io 693. 694
Malebranche, 596
Manaſſes, ben Israel. 543
Marckius, Ioh. 478. 479. 525. 693. 695. 696. 697. 705. 714
Mareſius, Sam. 95. 683.
Marloratus, Auguſtinus 488. 692. 689. 698.
Martini, Dauid 99. 699
Cornelius 448
Iacobus, 453. 716
Raymundus 540. 650
Martini, Io. Beniam. 529
Godofredus 577
Chriſtoph. Sam. 705
Martinengus, Aſcanius 524
Martyr, Petrus 690 691
Marshamus, Io. 502. 503. 527. 531. 567. 585. 765.
Mascleſius, 288
Maſius, Andreas 516. 540. 650. 690. 713
Hector Godfr. 287
Maſſon, Phil. 278
Maſtricht, Gerh. 371. 407. 413. 415. 416. 427. 516
Mattheſius, Io. 475. 634
Matthias, Chriſtian. 451
Maundrell, Henr. 516
Mauſacus, Phil Iac. 390
Mayer, Ioh. Frid. 395. 635. 677. 683. 684. 688
Bartholomaeus 49
Meierus, Ludouicus: auctor libri: *philoſophia ſcripturae interpres* 95. 791
Ioannes 225. 540. 612. 666
Mechouius, Guil. 557
Medus, Ioſephus 705
Meibomius, Marcus 298. 422. 424. 425
Meiſius, Frid Ern. 697
Meisnerus, Io. 453 689. 693
Mel, Conr. 463
Melanchton, Phil. 102. 350. 775. 703
Melchior, Io. 716
de *Mendoza*, Fanc. 691

Ment-

Menthenius, God. 718
Menochius, Io. Steph. 7. 461. 681. 700
Mercerus, Ioh 540. 689. 692. 693. 696
Merillus, Edm. 496
Meurer, Io. Vlr. 539
Meurſius, Ioh. 505
de *Mey*, Ioh. 476
Michaelis, Ieh. Henr. 109. 112. 133. 148. 153. 169. 170. 180. 222. 223. 227. 371. 392. 394. 405. 413. 416. 506. 518. 622. 650. 653. 687. 692.
Chriſtianus Bened. 141. 224. 258. 262. 263. 346. 392. 693. 694. 695. 772
Georg 598
a *Middoch*, Henr. 717
Millius, Io. 33. 371. 407. 411. 415. 417. 427.
Mintert, Petr. 377
Mirus, Adam Erdmann. 6. 227. 395. 452. 516. 517 521
Miſcellanea, Lipſ. 564. 566. 577. 597. 598. 636. 715.
le *Moine*, Stephanus 567. 592. 714.
Mollerus, Nic. 539
Dan. Guil. 405
Io. Gottlob. 428
Moles, Vincentius 492
Moneta, Ioh. 598
Montfaucon, Bernh. 406. 624
Morhof, Dan. Ge. 388. 390. 395. 481. 482. 495. 710
Morinus, Io. 57. 414. 429. 531. 535. 545. 551. 607. 608. 609. 610. 611. 612. 620. 622. 627. 640. 655. 667. 670.
Stephanus 14. 612.
Mornaeus, Phil 315. 437. 454. 575.
Morus, Alexander. 157. 579. 585. 713
Henricus 80
Morerius, Ludou. 521.
Moſes Nachmanides 164. 675
Moſes, vindicatus 41. 80. 369
Mosheim, Io. Laur. 260. 358. 359. 422. 424. 426. 585. 602. 715.
Muhammed, 30
Muhlius, Henr. 57. 66. 70. 82. 159. 278. 389. 538. 541. 651. 710. 744. 748. 758. 759. 761. 768. 780. 786. 792. 799.
Müllerus, Godofr. 475.
Io. Henricus 482

Andreas 615
Ioannes 650
Laurentius 715
de *Muis*, Simeon. 540. 612. 945. 693.
Munsterus, Seb. 544. 631. 713.
Musaeus, Ioh. 96. 401. 686. 748. 749. 773. 87.
Mylius, Georg. 700

N.

Nachmanides, Moses 164. 675
Nachtenhoeferus, Casp. Frid. 242
Nathan, Mardochaeus 266. 675
de *Naxera*, Eman. 691
Nemethi, Sam. Szathmar. 697
Nethenus, Matthias. 7. 95. 752
Neubauer, Ernst. Frid. 772
Neubour, Frid. Christoph. 496
Neumann, Caspar. 94. 257. 545
Io. Georg. 186. 383. 710
Nithols, Guil. 474
Nicolai, Io. 461. 567. 598
Io. Frid. 276
Nier, Frid. 451
Nieremberger, Ioh. Eusebius. 660
Nitschius, Georg. 85
Nobilius, Flaminius. 624
Noldius, Christian. 203. 373. 504. 509
Nonnen, Nic. 799
Nonnus, Panopolitanus. 709
Noordbeck, Elbertus. 694. 697
Noris, Henr. 505. 514.

O.

Observationes Hallenses 423. 481
Odhelius, Laur. 549.
Oeder, Ce. Ludov. 715
Olearius, Io. 7. 393. 394. 400. 518. 759. Godofredus. 214. 392. 429. 448. 452. 494. 519. 651. 699. 807
ab *Oleastro*, Hieron. 689
Onkelos, 607. 646. 647. 707
Opitius, Henr. 405. 750
Iosua 33
Optatus, Milleuitanus. 261
Origenes, 4. 60. 79. 141. 148. 405. 464. 622. 624. 438. NB. 677. 765

Osi-

Oſiander, Io Andr. 242
Lucas. 685. 711
Io. Adam. 688. 690
Oſtermann, Io. Henr. 539
Oſterwald, Io. Frid. 722
Otto, Io. Henr. 5 9
Chriſtian Beniamin 551
Ouidius, 576. 597. 599
Outhouius, Gerh. 503
661. 696
d' *Outrein*, Ioh. 187. 304.
311. 317. 477 494 592.
703. 704. 715. 735. 738.
Owenus, Ioh. 538. 611. 714

P.

Pagi, Anton. 500. 514
Pagninus, Santes. 7. 630
Palaephatus, 598
Panſa, Mutius. 597
Paſor, Ge. 389
Paulus, Burgenſis. 681
Pearſonius, Io. 117. 119.
179. 223. 510. 514. 584.
606. 622. 623
van *Peene*, Marcus. 701
Pelargus, Chriſtoph. 688.
690
Pelletier, Io. 465. 474
Pellicanus, Conr. 375
Peregrinus, Laelius. 126
Pererius, Bened. 86. 689.
695
Peritſol, Abrah. 552
Perizonius, Iac. 502. 503
504. 587
Petachias, 552
Petauius, Dion 514. 526.
Peterſen, Io. Guil. 705
Petrus, Edeſſenſis. 709
Peucerus, Caſp. 570
Pezron, Paul. 506. 528.
620
Pfaffius, Io. Chriſtoph.
369 372. 740
Pfaffius, Chriſtoph Matth.
7. 24. 31. 66. 69. 81. 100.
401. 414. 417. 451. 455.
488. 514. 589. 637. 680.
6 8. 721. 741. 745
Pfannerus, Tob. 572
Pfeifferus, Io. Phil. 567
Io. Gottlob. 459
Auguſtus. 6. 14
28 29. 69. 70. 71. 72. 88.
139. 146. 147. 219. 267.
270. 275. 276. 277. 281.
291. 320. 365. 390. 392.
405. 408. 450. 452. 453.
512. 532. 540. 543. 548.
552. 570. 582. 606. 611.
615 623. 632. 635. 636.
651. 655. 674. 696. 713.
718. 768
Pflacherus, Moſes. 237.
244
Pfochenus, Seb. 23. 561. 580

Philo, 78. 85. 621
Philostorgius, 629
Pictet, Bened. 512
Picus, Io. Mirandulanus. 472. seq
Pieree, Zach. 423
Pignorius, Laur. 735
du *Pin*. Lud. Ell. vid. lit. D.
de *Pineda*, Iob. 692. 693
Pinggiser, Io. Ioach. 242
Pintus, Hector. 694. 696.
Piscator, Ioh. 683
Pithoeus, Petrus. 497 625
Pitiscus, Sam. 567
Pittelus, Corn. 404
Placcius, Vincentius. 460
Plantauitius, Io. 296
Plato, 572. 582
Plinius, 476. 477. 483 576
Plutarchus, 563. 574
Pocokius, Eduard. 256 270. 275. 416. 614. 641. 695
Poiret, Petrus. 422. 473. 595
Polanus, Amandus. 716
Poleman, Erdwin Hermann. 299. 338
Io. Matth. 342. 343
Polus, Matth. 630. 632. 633. 684
de *Pomis*, Dauid. 532
Pomponatius, Petr. 484
Popma, Auf. 295
Possellius, Ioh. 392. 709
Posseuinus, Anton. 30 688
Possinus, Petr. 714
Postellus, Guil. 614
Potterus, Ioh. 567
de *Prado*, Laur. Ramiresius. 714
Pradus, Hieron. 463. 694
Praetorius, Abdias. 391
Ephraim. 688
Pricaeus, Ioh. 563. 567. 572. 699
Prideaux, Humfredus. 505. 623. 649
Pritius, Io. Georgius 110. 220. 228. 252 372. 425. 509. 512. 514. 516. 522
Pruckner, Andr. 716
Prudentius, 518
Psellus, Mich. 709
Pufendorf, Sam. 54. 279. 319. 441. 559

Q.

Quandt, Io. Iac. 426
Quintilianus. 318. 387. 398. 420. 558. 706
de *Quiros*, Aug. 696

Quistorpius, Ioh. 703
Io. Nicol. 140

R.

Raithius, Balth. 662
Raphelengius, Franc. 639
Raphelius, Georg. 561. 563. 585
Rauanellus, Petr. 717
Rauius, Christian. 372. 528
Raynoldus, Io. 409. 696. 697
Rechenberg, Adamus. 401. 417. 432. 460. 478. 483. 519. 521. 525. 556. 564. 679. 717
Reichhelm, Ierem. 739
Reiman, Iac. Frid. 4. 519. 665. 716
Reiman, Herm. Sam. 296
Reime, Henr. Gottlieb. 271. 552
Reimer, Ioach. Lud. 461
Reinbeck, Io. Gustav. 329. 340. 705
Reineccius, Reinerus 518
Christian 641
Reinesius, Thom. 503
Reinhard, Mich. Henr. 655
Reinking, Theod. 460
Reiskius, Io. 495
Reizius, Ioh. Henr. 639
Relandus, Hadrianus. 49. 504. 509. 516. 533. 539. 540
Renaudot, Eusеb. 409
Reichlinus, Ioh. 662
Reuſch, Ioh. Petrus. 258
Reyherus, Sam. 466
Rheinhardus, Io. 6
Rheiferd, Iacob. 23. 256. 540. 654
Rhodomannus Laurentius 709
Ribera, Franc. 695. 704. 705
Ricciolus, Io. Bapt. 514
Richter, Ge. Frid. 651
Ridiger, Andreas 756. 766. 774.
Rittmeier, Christoph. Henr. 338.
Riuetus, Andr. 7. 409. 438. 689. 690. 695
Riuinus, Tileman. Andr. 242
de *Riuis*, Dion. 638
Robertſon, Guil. 373
Roellius, Alex. 697. 702
Rollius, Reinh. Henr. 452
a *Roſenroth*, Christian Knorr. 553. 667
Roſinus, Ioh. 565
Roſſallus, Mich. 584
Royer, Neh. 812

Rudbeckius Olaus. 278
Rueus, Franc. 475. 483
Rühlius, Leonh. Chriſtoph. 979
Rumpaeus, Iuſt. Weſſel. 394 401 417.
Ruſius, Ioh. Reinh. 654 69
Rusmeier, Mich. Chriſtian 704. 717. 648

S.

Saa, Emamuel. 681
Sachus. Fortunatus. 539
Saey, 700
Sadoletus, Iacobus. 701
Sagittarius, Caſpar. 511
Saldenus, Guil. 91. 186. 512 565 714
Salmeron, Alphonſus. 86. 698
Salomo, Iſaac. 259 260 332. 545 548. NB. 672
ben Melch. 675
Vrbinas. 296
Sanctius, Caſpar. 135. 691. 692. 694. 695. 700
Sandhagen, Caſp. Herm. 569. 779
Sanſon, Nicol. 515
Santoroc, Io. Caſp. 567
Sarcerius, Erasmus. 691
Sarn, Petrus. 598
Sarrau, Iſaac 321. 715
Saubertus, Ioh. 13. 197. 265. 339. 417. 570. 714. 718.
Saurin, Iac. 689
Scaliger, Ioſeph Iuſtus 500. 512. 514. 713
Scapula, Io 805
Schaafius, Carolus. 374. 614
Schabtai, ben Ioſeph 676
Schamelius, Io. Mart. 636
Scharbau, Henr. 178. 259. 503. 714. 715
Scharpius, Ioh. 365
Schefferus, Ioh. 52
Scheidius, Balt. 464. 540
Scherzer, Ioh. Adam. 548. 675
Scheuchzerus, Io. Iac. 465. 476
Schickhard, Guil 27. 31. 59 497. 534. 540. 543. 606. 611. 669. 670. 725.
Schindlerus, Valent. 276
Schlichter, Chr. Lud 715
Schlichtingius, Ionas. 701. 725
Schmidius, Erasmus. 23. 89. 204. 260. 288. 333. 361. 274. 393. 394. 400. 462. 561. 563. 664. 580. 581. 634. 699.
Sebaſtian. 4 64.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0872
DFG

64. 161. 182. 202. 204. 205. 223. 238. 252. 291. 292. 540. 576. 583. 634. 689. 691. 692. 693. 694. 695. 700. 701. 702. 703. 704. 711. 716. 718. 720. 812.
Io. Iac. 476. 515. 570
Io. Andreas. 6
233. 409. 452. 470. 486
Ioannes. 695
Schneider, Dan. 521. 727
Schneſſius, Theodoricus. 430. 694
Schoepferus, Iuſtus. 591
Schoetgenius, Chriſtian. 348. 497. 540
Schomerus, Iuſt. Chriſtoph. 32. 701
Schorus, Anton. 256
Schotanus, Chriſtian. 95. 511. 652
Schottus, Andr. 395
Schrammius, Ion. Conr. 441
Schroeer, Io. Frid. 503
Schuckfort, Sam. 527
Schudt, Io. Iac. 258. 388. 390. 392. 394. 418. 419. 500. 533. 638. 551. 562. 575. 511. 651. 724.
Schultens, Alb. 275. 692. 713
Schulze, Beni. 617
Schupartus, Ioh. Godofr. 667
Schurtzfleiſch, Conr. Sam. 349 504. 532
Schuurman, Io. Iac. 695
Schüzius, Io. 521
Schwarzius, Chriſt. Gottl. 659
Io. Conr. 394. 715
Schwindel, Ge. Iac. 688. 698. 718
Sclaterus, Guil. 703
Scultetus, Abr. 558. 699. 703. 714.
Seaman, Guil. 616
Sebach, Chriſtoph. 346
von *Seelen*, Io. Heinr. 86
Segers, Io. Ern. 6
Seidel, Chriſt. Matth. 651
Seldenus, Ioh. 497. 539. 540. 569
Selneccerus, Nic. 650
Seneca, 91. 572. 595. 596
Sennertus, Andr. 392. 650. 718
Serarius, Nicol. 7. 512. 691. 697
Sgambatus, Scipio. 550. 697
Sheringham, Rob. 537
Sibersma, Hero. 371. 700
Sigonius, Carolus. 461
Simlerus, Ioſ. 690

Simon, Richard. 7. 100. 101. 106. 148. 156. 224. 227. 269. 298. 388. 398. 403. 416. 422. 423. 498. 534. 613. 614. 615. 623. 628. 630. 631. 634. 636. 639. 641. 649. 673. 674. 676. 679. 683. 684. 685. 686. 688. 698. 704. 705. 712. 791.
Simon, 521
Sionita, Gabriel. 640
Siricius, Mich. 511
Sixtus, Senenſis, 7. 56. 629. 631. 679. 988. 708. 715. 722
Sleidanus, Io. 523. 556
Slevogt, Paul. 686
Smalcius, Valent. 94
Smith, Thomas 510. 611. 622
Snabelius, Hier. Guil. 741
Snoy, Raynerius. 708
Socinus, Fauſtus. 701
Socrates, 629
Soutag, Chriſtoph. 273. 372
Souverain: auctor libri: *platoniſme devoile* 595
Sozomenus, 629
Spanhemius. Frider. 23. 95. 452. 505. 514. 516. 692. 713. 771.
Ezechiel. 423. 584
Spencerus, Ioh. 174. 497. 512. 576. 587. ſeq. 690. 765. 772. 791.
Spenerus, Phil. Iacobus 84. 91. 186. 681. 685. 701. 702. 703. 704. 710. 711. 716. 726
Spinoza, Bened. 67. 269. 388. 422. 465. 484. 488
Staalkopf, Iac. 67
Stahl, Ge. Ern. 493
Stanleius, Thom. 512
Starckius, Henr. Bened. 284. 713
Io. Frid. 695
van *Steavern*, Io. 705
Steengracht, 702
Stephanus, Henr. 228. 374. 407
Robertus. 391. 406
Carolus 521
Stieber, Ge. Frid, 556
Stillingfleet, Eduard, 26. 37. 465. 500. 527.
Stiffer, Wolfg Melch. 232
Stockius, Chriſtian. 265. 276
Stoeckerus, Iac. 231. 232
Stolberg, Balth. 23. 49. 401. 415. 460. 562. 718
Strabo, 401. 569. 601
Walafried. 680
Strauchius, Aegid. 514. 517. 528. 595

Streſo, Caſpar, 700
Clemens. 704
Strobbach Io. Dav. 455
Stromeyer, Io. Iac. 250
Strubberg. Io. Ant. 224
Stryck Io. Sam. 496
Stuckius, Leonh. Chr. 463. 464. 466. 694
Suaningius, Ioh. 695
Suicerus, Io. Caſp. 170 392. 705. 715
Suidas, 170. 389
Sulpitius, Seuerus 501. 523
Surenhuſius, Guil. 519 540
Symmachus, 624
Syrbius, Io. Iac. 88. 312. 441

T.

Tacitus, Cornel. 138 575
Tailerus, Franc. 610
Tarnouius, Ioh. 694. 695. 702 714. 783. 812
Paulus. 702
Tawoſius. 616
Taylor, Thomas. 174
Teelmann, Henr. 187
Teietmeierus Henning 238
Temporarius Ioh. 465
Tenzelius, Wilh. Ern. 637. 641. 659
Tertullianus, 30. 102. 443. 556. 664
Thaddaeus, Ioh. 451
Themiſtius, 706
Theodoretus, 4. 616. 679 793
Theodorus, Mopſueſtanus, 69
Theodotion, 624
Theophilus, 563
Thomaſius, Iacobus. 595 596. 597
Chriſtianus, 431. 459. 753. 756
Thomaſſinus, Lud. 276
Thuanus, Iac. Aug. 616. 632
Thucydides, 505
van *Till*, Salomo. 41. 62. 82. 113. 121. 161. 181. 183. 201. 231. 232. 238. 305. 307. 311. 371. 464. 475. 479. 516. 525. 692. 696. 697. 699. 702. 715. 732. 740. 745. 779. 789 795
Tillotſon, Ioh. 812
Tirinus, Ioh. 681
Tittelius, Aug. 395
Tolandus, Ioh. 527. 529. 601
van *Toll*, Theod. 696
Toſſanus, Paul. 375. 683

Toſtatus, Alph. 690
Tournemine, 597
Tremellius, Imman. 51. 614. 633. 784
Treu, Abdias. 489
Tribbechov, Ioh. 208
Trier, Ioh. Wolfg. 126
Triglandius, Iac. 589. 667
Triller, Caſp. Ern. 392 636
Trithemius, Ioh. 555
Troilo, Franc. Ferd. 483
Trommius, Abr. 373
Troſtius. Mart. 373. 374, 614
Truckius, Guil. 503
Turretinus, Io. Alph. 729
Tyconius, Afer. 6

V.

Vaillantius, Ioh. 505
Valla, Laur. 407. 698. 713
de *Valentia*, Gregor. 626. 660
Valerianus, Pierius. 735
Valleſius, Franc. 54. 476. 491
Varenius, Aug. 201. 344. 560. 650. 694. 696. 697. 701. 713
Vatablus, Franc. 632. 641
Vauaſſor, Franc. 695. 711
Velthem, Ioh. 71
Vermaten, Guil. 704
de *Verulamio*, Franc. Baco. 808
Veſperae, Groeninganae. 166
Vigerius, Franc. 393
Villalpandus, Ioh. Bapt. 463. 694
de *Vio*, Thomas. 682
Virgilius, 158. 332
Vitringa, Campegius. 34. 39. 42. 52. 62. 65. 68. 74. 75. 76. 77. 78. 85. 113. 115. 116. 117. 120. 130. 146. 151. 156. 157. 162. 166. 169. 170. 175. 177. 178. 187. 193. 210. 212. 224. 227. 230. 247. 248. 259. 290. 297. 307. 324. 334. 352. 353. 415. 420. 433. 450. 464. 477. 478. 495. 501. 502. 503. 504. 506. 507. 510. 511. 513. 523. 526. 535. 540. 553. 574. 587. 645. 694. 705. 714. 720. 723. 737. 738. 740. 743. 745. 752. 760. 766. 767. 770. 771. 772. 780. 781. 782. 783. 785. 791. 794. 799. 801. 803. 811
Horatius. 394
Viues, Ludou. 418

Vlman-

Vlmannus, Io. 715
Vlphillas, 629
Vngnadius, Ioh. 616
Vnkaut, Ioh Ge. 66 290
Vnſchuldige Nachrichten, 258 3 2 7 3
Vockerodt, God. 476 623. 632. 652. 710
Voet, Paul. 496
Voetius, Gisbertus. 95. 525. 688
Vogel, Matth. 375
Vogelſang, Reinerus. 95. 714
Voglerus, Val. Ern. 476. 492
Vogtius, Alb. 714
Voigtius, Ioh Erdm. 615
Vorſtius, Ioh. 286 304. 395 5 7
Voſſius, Geth Ioh. 500 512 519 523. 555 569. 590. 597
Iſaac. 30. 260. 422. 528. 531 552. 619. 659
Vrſinus, Ioh. Henr. 304. 389 475 695. 696. 714
Vſſerius Iac. 225. 505 514. 620. 624

W.

Wagenſeil, Io. Chriſtoph. 139. 255. 565. 545. 775
Walaeus. Bald. 699
Walchius, Io. Ge. 503 513
Wallin, Ge. 589
Walliſius, Ioh. 703
Waltherus, Mich. 33. 46. 180. 181. 451. 455. 628. 634. 635. 650. 658. 715
Io. Godofr. 568
Walther, Henr. Andr. 705
Waltonus, Brianus. 13. 30. 392. 404. 406. 463. 466. 469. 606. 613. 615. 616. 623. 625. 628. 636. 638. 640
Wandalinus, Petrus. 278
Warlitz, Chriſtian. 37. 491
Waſerus, Caſp. 466. 470
Wasmuth, Matth. 27. 28. 30. 301 302. 528
Watſon. Thomas. 812
von der *Wayen*, Ioh. 95. 579 651. 702. 715
Wedel, Ge. Wolfg. 470. 475. 492
Wegerus, Laur. 651
Wegnerus, Godofr. 264
Weinrich, Io. Ge. 703
Weiſe, Frid. 7[illegible]
Weiſſe, Godfr. 623
Wellerus, Hier. 691

Iaco-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0877
DFG

Iacobus. 560. 701
Wells, Eduard. 695. 701. 711
Wendler, Ioh. Christoph. 700. 705
Werenfels, Sam. 19. 20. 45. 54. 57. 66. 143. 356. 715. 720. 721. 729
Wernerus, Frid. 6. 242
Wernsdorfius, Gottl. 90
van *Wesel*, 705
VVesenfeld, Ge. 126
VVesselius, Ioh. 715
VVesthemerus, Barthol. 436
Whelockus, Abr. 616
VVhiston, Guil. 57. 422. 426. 474. 661. 760. 801.
VVhitby, Dan. 417. 427. 701. 711
VVideburg, Io. Bernh. 464
VVidmanstadius, Io. Alb. 614
VViegleb, Io. Hieron. 501. 505
VVildeshausen, Iac. Frid. 718
VVildius, Adam. 696
VVilletus, Andr. 695
VVilkins, Dauid. 610
Ioh. 688
VVillius, Ioh. Ge. 348. 358
VVinckelmann, Ioh. 699
VVirth, Ambros. 185
VVissenbach Ioh. Iac. 496
VVitterus, Henning. Bernh. 735
VVittich, Christoph. 140. 235. 488. 704
VVitsius, Herm. 3. 37. 60. 73. 78. 81. 91. 99. 104. 149. 167. 172. 174. 295. 298. 337. 420. 421. 432. 463. 485. 502. 503. 507. 509. 510. 511. 540. 567. 579. 589. 714. 739. 749. 565. 798. 800.
VVockenius, Franc. 13. 223. 344. 696. 715
Wolders, Dan. 641
Wolfburg, Mart. Casp. 717
Wolfius, Io. Christoph. 28. 30. 33. 49. 203. 267. 276. 278. 373. 388. 390. 405. 408. 413. 415. 416. 419. 425. 513. 520. 521. 532. 533. 538. 539. 543. 544. 548. 553. 579. 611. 612. 613. 615. 616. 620. 636. 641. 646. 651. 657. 663. 667. 669. 670. 675. 676. 677. 679. 678. 699. 716
Abraham. 123
Christoph. 462
Wolle, Christophorus. 39. 233

233. 299. 360. 427. 602. 633. 653
Wolphius, Ioh. 690. 691. 692
Wolseley, Car. 26
Wolzogius, Lud. 751
Woodward, 574
Wörger, Franc. 577
Wormius, Christian. 589
Wowerius, Io. 387. 623
Wucherer, Io Frid. 474. 482
Wulferus, Ioh. 649
Wossius, Casp. 389. 394

X.

Xenophon, 273. 349. 504. 505. 559. 564. 573
Ximenius, Franc. 407. 622. 638

Z.

de *Zamora*, Alph. 638
Zehnr us, Ioach. 395. 436. 478
Zeibich, Christ. Henr. 570
Ioh. 481
Zeisoldus, Phil. 52. 204. 292. 310. 452
Zeitfuchs, Io. Arn. 716
Zellerus, Christoph. 716
Andr. Christoph. 739
Zeltnerus, , Gust. Georg. 46. 94. 636
Zentgravius, Io. Ioach. 263. 425. 703
Zepperus, Guil. 185. 497
Ziegenbalg, Barth. 617
Zierold, Io. Wilh. 105. 257. 258. 512. 696
Zornius, Petr. 567. 582. 715

INDEX III.

INDEX III.
RERVM PRAECIPVARVM.

ABARBANEL ſtilo ſacro ſoloecismos tribuit, pag. 397. ſeqq. eius character, 674

Abſtracta pro *concretis* poſita, 50

Accentuum poſitus extraordinarius *affectum* ſcribentis prodit, 132. 136. *emphaſin* indicat, 344. ſeqq. Accentus in analyſi logica conſulendi, 243. in interpretatione non negligendi ſunt 769.

Actuum apoſtolicorum ſcopus, 182. diuiſio, 229.

Adcommodationes in vaticiniis de Chriſto falſo finguntur, 156. 789. 801.

Adfectus, cum cogitationibus noſtris coniuncti ſunt, 55. 122. eorum indagatio neceſſaria, 122. nec in θεοπνευστίαν iniuria, 123. ſeqq. eſt difficilis ob viuae vocis abſentiam, 124. ſed vtilſſima 124. ſeq. Eorum indagandorum ſubſidia, 125 ſeqq. Adfectus ſcriptoris induendus, 127. & pronuntiatione exprimendus, 128. a BERNHARDO, LVTHERO, & aliis feliciter indagatur 129. ſaepe verba & membra orationis diſturbat, 250 fons eſt inexhauſtus emphaſium, 350. Adfectus indagandus in *ſcriptore* ſacro, 130. 131. in *perſonis*, ad quas, vel de quibus ſermo eſt, 134. 135. in ipſo DEO, 138. ſed caute explicandus, 141

Adiectiones ſubiecti & prædicati, 306. 307. 447.

Ad-

Adlusiones ad ritus antiquos non sunt nimis curiose indagandae, 591
אדם quid formaliter significet, 268
Aegyptiorum historia a quibus describta? 502. eorum ritus superstitiosi non sunt fons & occasio rituum Mosaicorum, 587. seqq.
Aequinoca vocabul obscurum reddunt sermonem 49
AESCVLAPIVS tanquam σωτὴρ in Graecia cultus, 584
Agnus paschalis quomodo assatus? 541
Ἀκυρολογίαι, 418
אלהים famosa significatio, 280
עלמה semper *virginem* intactum denotat, 265
Allegoriae tolerabiles, 84. intolerabiles, 85. pontificiorum saepe sunt insulsae, 86
Ambiguitas a scriptura remouetur, 44
Amphibolia, linguae ebraeae male exaggeratur, 269. plurimis lexicis nutritur, 270. quomodo sananda? 270
Anacrisis in explicandis prophetiis commendetur, 782.
Analogia fidei, vnde nomen acceperit? 88. quid sit? 88. eius fundamentum, 91. auctoritas in re exegetica, 91. seqq. a veteribus pro norma interpretandi agnita, 92. eius fons, 101. seqq. eius vsus, 104. & abusus 105. in ἀνθρωποπαθείαις explicandis obseruanda, 141
Analogia sermonis sacri & communis instituenda, 133
Analysis grammatica, rhetorica, logica, 447. Analysis *logica* integrorum *librorum*, 225. historicorum, 226. propheticorum, 229. paraeneticorum, 231

231. psalmorum, 232. dogmaticorum, 234. quibus cautelis instituenda? 235. auctores, qui analyses librorum biblicorum scripserunt, 237
Analysis *dictorum* breuiorum, 238. longiorum, 240. pericoparum euang. & epist. 242
Ἀναξωπορεῖν, 273
Angelus increatus, 110. cui diuina nomina, attributa & opera adscribuntur, 168
Anglicana scripturae *versio* laudatur, 636
Animalium biblicorum descriptores. 475
Antecedentia & *consequentia* sensu angustiore, 198. latiore. 207. latissimo, 210
Anthropopathicae locutiones scripturae vnde oriantur? 140. seqq ab ONKELOSO verbis propriis explicantur, 647
Antiphrasticae vocum significationes fundamento carent, 270. 271
Antiquitatum hebraearum scriptores. inter iudaeos 533. qui tamen caute audiendi, 549. seqq. antiquitatum *profanarum* scriptores. 567
Apostoli, optimi vet. test. interpretes, 355
Apocalypseos analysis, 230
AQVILAE versio graeca, 623
ערב quid significet? 270
Arborum biblicorum scriptores. 475
Arca Noae impugnata & defensa, 464
Argumenta scripturae, 35. saepe latent in verbis simplicissimis, 34
Articuli non carent emphasi, 323. seqq.
Aristoteliace ethicae haeui, 459
Assyriorum historia, 503
Auctor libri *verus* quomodo inuestigandus? 109. se-

cundarius non semper notus est, 108. *falsus* quomodo detegendus? 408
Auersatio Dei quid sit? 142
Αὐτὸς saepe est vox emphatica, 170

B.

Baptismi Christi historia, secundum omnium circumstantiarum scopum examinata, 190
Barbarismi num in stilo sacro occurrant? 397
ברך non significat *maledicere*, 271
Barnabae in eligendo Marco comite adfectus, 134
Belgica scripturae versio, 636
Bethesdae lauacrum num naturalem vim sanatricem habuerit? 493
Breuitas stili sacri, 41. seqq.
BROCARDVS vaticinia de bello Hispanico, cet. in genesi quaesiuit. 80
BVRNETIVS historiam creationis in allegorias transformauit, 80

C.

Cabbalistici lusus 665. 168 cabbalistica dogmata ad illustrationem N. T. caute sunt adplicanda, 553
Caerimoniae Mosaicae rationem typicam habuerunt, 76. 81. 795
CAIVS CALIGVLA non fuit antichristus, a Paulo praedictus, 117.
Candelabri aurei significatio, 798
Canticum nouum in materia de Christo, 169. Cantica MARIAE & ZACHARIAE sunt claues multorum vaticiniorum de Christo, 161
Capita scripturae veteribus ignota, 226. 218. non semper adcurate distincta, 227. 228

Carteſianorum ſententia de ἀνθρωποπαθείαις ſcripturae, 140

Caudae ouium orientalium ingentes, 483

Cautelae circa inueſtigationem ſcopi, 196. collationem contextus, 216. analyſin logicam integrorum librorum, 235. dictorum biblicorum, 242. etymologias vocum, 260. collationem linguarum orientalium, 276. circa emphaſes, 357. parallelismum, 381. circa adminicula exegeſeos grammatica, 417. critica, 420. rhetorica, 438. logica, 452. diſciplinas reales, 458. ſeqq. 497. hiſtoricas, 511. adminicula rabbinica, 544. circa vſum profanorum auctorum, 577. verſiones, 658. & commentarios, 724

Chaldaicae paraphraſes frequentem MESSIAE mentionem faciunt, 147

CHRISTVS ſaepe in nomine patris loquitur, 112. Chriſtus & eius corpus myſticum ſaepe vt vna perſona conſiderantur, 115. non quaerendus eſt, vbi non adeſt, 166. non negandus, vbi adeſt, 167. vbi *litteraliter* de ipſo agatur? 168. vbi *myſtice?* 173. Eſt optimus prophetarum interpres, 155. communis *ſcopus* totius ſcripturae, 147. in lege, 149. prophetis, 149. ſeqq. & euangelio quaerendus, 152. quomodo id intelligendum, 153. quo animo id inſtituendum? 154. quibus viae ducibus eo in negotio, vtendum? 155. quo ordine procedendum, 159. Chriſtum induere, 591

Chronologia biblica non eſt ſollicitanda, 527. eius vtilitas, 513. ſcriptores 513

Chronologicus ordo librorum ſcripturae, 221. librorum noui teſt. 222. textuum biblicorum, 223

כהנים quinam dicantur? 269

Cili-

Cilicismus ab Hieronymo in Pauli stilo inuentus, 400

Circumcisionis origo falso Aegyptiis vindicatur, 765

Circumstantiarum consideratio, 107. seqq. 138. circumstantia temporis, 116. 134. loci, 118

CLERICI mens de adlegationibus veteris testamenti in nouo, 156. epicrisis in illam, 157. 158

COCCEII hypothesis hermeneutica, 57. eius septem periodi, 230. eius methodus in prophetis interpretandis, 151. eius diligentia in in Christo indagando, 148. a *Calouio* laudata, 148

Codicis ebraei dispositio secundum iudaeos, 218. graecos & latinos, 219. codicis *graeci N. T.* dispositio 219

Cohaerentia stili sacri, 38. eius nonnumquam neglectae rationes, 38 39. variat pro argumenti varietate, 201 cohaerentia integrarum propositionum cum proximis quotuplex? 308 seqq non nimis superstitiose ad artis praecepta reuocanda, 554

Coheleth, eius scopus, 182. quo ordine ille liber scriptus? 232

Collatio textus cum contextu commendatur, 197. 213. patribus non incognita fuit, 215

Commentarii in studio exegetico non spernendi, 663 comment. *iudaeorum*, 541. seqq 66. 672 eorum notitia vnde haurienda? 676 sq. comment. *christianorum*, qui integrum sacrum codicem, vel maximam eius partem illustrauerunt, 677. inter *patres*, 677. *pontificios*, 680. *reformatos*, 683. *Lutheranos*, 84. qui singulos libros interpretati sunt. 687. auctores, qui notitiam illorum suppeditant, 687. commenta-

tores ipsi in singulos libros *veteris* testamenti, 688. seqq. *noui* test. 698

Commentarii biblici virtutes, 718. naeui & uitia, 721. naeuorum fontes, 722. eorum vsus, 723. abusus, 724

Communicatio sensus inuenti quo ordine peragenda? 730

Compositus sensus, 65

Conciliatio contradictionum adparentium, quomodo instituenda? 448

Conclusiones intra epistolam obuiae scopum suppeditant, 180

Concordantiae verbales, 372. reales, 375. earum vsus, 374

Coniecturae incertae fugiendae, 163. 196. de rebus antiquis non nimia confidentia propugnandae, 526

Coniunctio plurium cognatarum significationum, 289

Connexio in libris dogmaticis maxime attendenda, 199. 201. *realis*, seu logica, 200. *verbalis*, seu grammatica, 201

Constructiones ambiguae 50. 51

Contextus in definiendo sensu consulendus, 213. 282. eius neglectus pseudhermenias parit, 216

Contradictiones verae an in scripturis occurrant? 756. כרה quid significet? 269

Corui Eliae male in homines transformati, 50

Creationis historia a PHILONE allegorice explicatur, 87. item a BVRNETIO, 80. ab irrisoribus accusatur, 473

Criteria veri sensus, 749. inter se coniungenda sunt, 770

Criticae artis necessitas, 401. cultores in ecclesia iudaica,

daica, 402. & christiana, 405. eius officium, 407. vsus, 408. abusus, 420
Criticorum in sacris audacia, 421
Curiositas a studiis historicis sacris abesse debet, 524
Cursoria lectio scripturae, 208. secundum sedes materiarum instituenda, 208

D.

Dalmatica versio Hieronymi, 629
Demonstratio veri sensus quomodo instituenda? 746 in textibus tropicis & emblematicis, 773. propheticis 779. maxime de *Christo* agentibus, 165. 787 Demonstratio sensus mystici, 791
Desiderium Dei quid sit? 142
Desperatio an Deo tribui possit? 139
DEVSINGIVS in allegoriis modum excedit, 80
Dialogi in scriptura sacra, 39. 201
Dicta classica explanata & vindicata, a quibus? 716
Diluuii descriptio Mosaica ab empaectis frustra irridetur, 474
Διχαίωμα pro satisfactione, 560
Disputationes exegeticae, 717
Distinctio per capita, 227. per commata & puncta, 252. 412
Diuina nomina quaten. rei excellentiam denotent? 337
Diuisio scripturae *in sedarim, perakim, parascbas, haphtaras*, 226
Dogmata scripturae nonnumquam cum profanorum auctorum testimoniis conferri possunt, 571
Dogmatici scripturae, libri quomodo per analysin logica n resoluendi? 234

Dubia saepe a scriptoribus sacris praeoccupantur, 206. dubia scripturae a quibus soluta? 452

E.

ad *Ebraeos* epistola mysteria legis ritualis, non tamen omnia, explanat, 173. 174. scopus capitis vndecimi, 183

Ebraismi noui testamenti, 391. 394. 564. 580

Ecclesiae iudaicae fata saepe fata ecclesiae *christianae* typice respiciunt, 82.

Ecclesiarum, ad quas Paulus epistolas scripsit, facies vnde cognoscatur? 510

Efferre sensum quid sit? 67

Elihu, amicorum Iobi optimus, 123

Ellipses ebraeae linguae, 44. 343. 392

Emblemata scripturae quomodo tractanda? 734. 775 quomodo ab ipsis scriptorib. sacris explicentur? 778

Emphasium sacrarum definitio, 318 fundamentum, 319. diuisio, 320. sedes, 322. fontes, & quidem grammatici, 325. critici, 346. rhetorici, 349. logici 354 cautelae, 357.

Emphasis verbalis, realis, positiua, distinctiua, 320. Circa emphases defectu & excessu peccatur, 555. sqq.

Emphasis vocum ex profanis auctoribus, 562. non est imminuenda, 483

Enallagae ex textu sacro proscribendae, 343. 344

Epistolae nonnullae Paulinae sunt cognati argumenti, 257 tribus partibus constant, 257

Epitheta quomodo tractanda? 299

Etymologia prodit vocis significationem, 259. 389. cautelae circa illam obseruandae, 260. iudaeorum etymologiae saepe ludicrae, 545

Etymologica pars grammatices quas emphases polliceatur? 326 336
Ethicarum sacrarum scriptores, 460
Ευαγγέλιον, 581
Ευσέβεια, 583
Europaearum linguarum collatio cum ebraea caute instituenda, 277
Euentus scripturae singulares non sunt cum fabulis gentilium poetarum comparandae, 599
Exempla scripturae, 36
Extensio significationis, 291. 445

F.

Fabulosae narrationes de rebus *physicis* non sunt ad scripturam illustrandam adplicandae? 583
Fabulae iudaeorum de *Ogo*, 547. de *rana* ingenti, 548
Facta virorum sacrorum παράδοξα plerumque sunt mystica, 176
Facta scripturae quomodo ex profanis auctoribus illustrari possint? 574 seq.
Fanatici sensum mysticum peruerse quaerunt, 79. 80
FAVSTI, manichaei, dictum de Christo in vet. test. nusquam obuio, 154
FELICIS ingenium, 138
Felicitatis temporales saepe sunt emblemata *spiritualium* regni Messiae, 175
FESSELIVS quomodo ex vsu biblico vocum significationes digesserit? 264
Fidei habitus non potest esse norma interpretationis, 90
Figurae grammaticae emphasi non carent, 340. figu-

rae *rhetoricae* emphaticae sunt, 352. earum genera & nomina, 455
Foedus gratiae vnum, 91
Fontes interpreti adeundi sunt, 604
Formalis vocum ebraearum significatio quid sit? 266 a quibus exculta? 66. 67. magnas saepe difficultates tollit, 268. & ebraeae linguae ambiguitatem sanat, 269. 270
Formationis & flexionis modus, 389
FORSTERI methodus in vocum ebraearum significatione eruenda, 261.
FRANZII diligentia in consulendo contextu, 211. 215. eius methodus in vocibus obscuris interpretandis, 264

G.

Gemmarum biblicarum scriptores, 475
Genealogiae sacrae, 517. & profanae, 519. vtilitas, 520
Genealogiae in prioribus capitibus chronicorum propter Christum scriptae sunt, 153
Geneseos tria capita priora in momenta praecipua resoluuntur, 209
Gentilium conuersio tempori Messiae reseruata, 171
Geographiae sacrae vtilitas, 515 *profanae* sacrae male praefertur, 526
Germanicae versiones scripturae, 634
Gestus saepe adfectum produnt, 137. gestus personarum sacrarum obseruandi & apte exprimendi, 143. 144. saepe adhibendi sunt ad emphasin exprimendam, 361
Glossemata an in textu sacro occurrant? 410. 411. 423. 771

Gogi ac *Magogi* aduentus a viro docto ironice praenuntiatus putatur, 129
Gothica scripturae versio, 629
Gradationes scripturae, 148.
Graeca ecclesio quomodo hermeneuticam sacram tractauerit? 5
Graeca versi LXX. interpretum, 617. eius historia, 618. iudicia eruditorum de illa versione. 619. seqq. fontes corruptionis ipsius, 621 eius editiones, 622. eius vsus, 651. aliae versiones greacae, AQVILAE, 623. THEODOTIONIS, 624. SYMMACHI, 624
Grammaticus sensus. 57. non semper intentioni spiritus sancti respondet, 58. 59. quando sit deserendus? 59. 60. 774
Grammaticae artis limites apud veteres 387. eius vsus in exegesi. 387. seqq. 418. grammaticorum librorum ebraeae & graecae linguae scriptores, 388.
Gratia & *veritas* character Christi, 169.
GROTIVS a rabbinis saepe deceptus, Socinianis fauet, 18. 712. eius sententia de sensu prophetiarum veteris testamenti, 156. epicrisis in illam, 157 eius methodus prophetas interpretandi. 151
GVSSETII commentarius ebraeae linguae laudatur, 167. notatur, 260

H.

Haeretici omnes codices corrumpere non potuerunt, 31
Haeresium in nouo testamento commemoratarum scriptores, 510

Harmonias linguarum quinam scripserint? 278
HERODVM genealogia, 508. 509
Hermeneuticae sacrae definitio, 1. 2. synonyma, 3. existentia, 4. fata, 4. 5. scriptores, 6. 7. vtilitas, 7. 8.
HIERONYMI critica, 406
Hieroglyphica litterarum ebraearum significatio, 257 quid de illa habendum? 258
Hieroglyphica Scripturae & Aegyptiorum quomodo differant? 734. 735
Historia sacra qua in re potissimum a profana differat? 149. Historiae cognitio interpreti summe est necessaria, 499. & quidem tum sacrae, 499. tum profanae gentium orientalium, 520. nec non sectarum philosophicarum, 511. seqq. Vtilis est in lectione prophetarum, 506. item librorum noui testamenti, 508. Historiae veteris testamenti saepe sunt typicae, 81. 175. in historia iudaica Christus quaerendus est, 169
Historicae circumstantiae saepe significationem determinant, 286.
Historici scripturae *libri* reliquis facem praeferunt, 220
Historici sacri profanis praeferendi, 527
הוא, 274
הוא saepe index digitus Christi, 170
Hyperbolae non fingendae, 438
Hypotheses priuatae de rebus naturalibus non sunt scriptoribus sacris adfingendae, 480
Hypotheses solidae interpraetationi prophetarum substernendae, 781 item interpretationi typorum, 800

I.

IACOBI *epistola* quando scripta? 179. eius scopus, 179
Idearum varietas, 48 442
Idem dicitur mutatis verbis; quid de hoc iudaeorum canone habendum? 297
Idiotismi, 51 quinam de illis scripserint? 392. non semper tollunt emphasin, 359
Idololatriae & *superstitionis* antiquae notitia vnde hauriendа? 569
Ignis vocabulum πολύσημον. 49
Immanuel perperam ex arabismo explicatur, 277
Immolatio Isaaci typica, 175
Impleri quid sit stylo scripturae? 157
Implementa vaticiniorum, 507. 743. 786. saepe a profanis auctoribus commemorata, 573
Inferre sensum, quid sit? 66
Ingenii, in exegesi officia, 12
Inspiratio ad ipsa etiam scripturae *verba* extenditur, 319
Intellectus humani *impotentia naturalis*. 97 *moralis*, 97
Interpretis sacri dona, naturali, 11. studio & industria parata, 13 spirituali, 16 Eius intellectus quomodo comparatus esse debeat? 16. voluntas, 18. adfectus, 20. non opus est, vt sit omniscius, vel polyhistor, 498
Interpretatio extensiua & restrictiua, 445
Interpretandi ars ad logicam spectat, 443. eius regulae generales, 443. seqq.
Integritas sacri codicis, 26. quatenus ex versionibus probari possit? 644

In-

Interſtinctiones ſacri codicis, 252. 411. ſeqq. non temere mutandae, 425
Introductionum hiſtoricarum ad libros biblicos ſcriptores, 715
Inueſtigatio veri ſenſus quo ordine tentanda? 729
IOANNIS apoſtoli ſtilus aphoriſticus, 200
IONAE typus, 800
IONATHANIS paraphraſis chaldaica, 607
IORAMI, regis, ingenium, 135. morbus, 490
IOSEPHI antiquitatis quanti habendae? 500
IOSEPHI, patriarchae, hiſtoria quomodo myſtice intelligenda? 801
Ira Dei quid ſit? 142
Ironia, 435 439
Irriſio quid ſit? 139. quo ſenſu Deo tribuatur? 139
ISAACI immolatio in quibus poetarum fabulis quaeſita? 597
Israelitarum Aegyptiacorum ingenium, 474
Itineraria iudaeorum, 552
IVDAE epiſtola diſponitur, 234
Iudaei in ſenſu ſcripturae multiplicando modum excedunt, 56. ad allegorias proni ſunt, 78. Chriſtum olim in ſcripturis diligenter, 147. & ſaepe ad exceſſum vsque 164. quaeſiuerunt. Certos canones hermeneuticos ea de re formauerunt, 172. ſaepe coniecturis indulgent, 196. dictorum allegatorum contextum ſecure ſaepe negligunt, 216. parallesmos ridicule abutuntur, 303. textum veteris teſtamenti non data opera corruperunt, 30.
Iudaeorum libri grammatici et lexica, 534. ignorantia propriae linguae, 545. amor fabularum, 547.

547. ignorantia historica, 551. & geographica, 551. eorum itineraria, 552
Iudaeorum theologia exegetica per tres periodos varie exculta, 665. eorum quinque modi, scripturam interpretandi, 667
Iudae & *Israelis* conuersio character regni Christi, 171
Iudicii vsus in interprete, 11
Iurisprudentiae in studio exegetico vsus, 496
Ius talionis, 193. in Simson, 195
Iustitia Dei quomodo a Luthero olim intellecta? 641

K.

Karaitae, 667
KEPHAS inepte a Κεφαλὴ deriuatur, 261
Keri & *cetibh*, 413. seqq.

L.

LABANIS ingenium & adfectus, 137. 185
Labri aeni in templo Salomonis dimensio, 465
Laetitia Dei quid sit? 142
Latina ecclesia quomodo hermeneuticam sacram exoluerit? 5
Latinae versiones antiquae, 625. recentiores, 620 PAGNINI 630. ARIAE Montani, 630. MVNSTERI, 631. TIGVRINA, 631. CASTELLIONIS, 632. TREMELLII, 633. SEBASTIANI SCHMIDII, 634
Lectio diligens auctoris interpretandi necessaria, 126. Lectio scripturae *cursoria*, 208
Leges Mosaicae rituales mysteria Christi continent, 149. 173. abrogandae praedicuntur, 171

Leges

Leges Mosis cur sine ordine consignatae videantur? 249. earum interpretes, 497
Lexicographi ebraeorum, 532
Lexica biblica realia, 717. harmonica, 276. 278 ebraea, & graeca, 390. eorum defectus, 90
Liberationes externae populi iudaici praesignificarunt liberationem Messiae, 177
Linguae interpreti necessariae, 13. 14
Literalis sensus, 62 maxime aestimandus, 62. 63. vnius loci tantum vnicus est, 64. non inferendus, sed efferendus 66
Loca difficilora sacri codicis a quibus exposita? 712
Loci circumstantia, 118. seqq.
Λόγος vnde haec vox petita? 578
Logices in exegesi vsus. 15. 440. abusus, 452
Logici fontes emphasium 354
Luciferi nomen diabolo minus recte datur, 215
LVTHERVS Christum diligenter in scripturis quaesiuit, 148. affectus personarum sacrarum egregie depingere nouit, 129. 144. allegorias odit, 85. eius versio, 635. 657

M.

Magicae artes veterum a quibus descriptae? 570
Maiestas stili sacri, 33. in diuersis libris diuersus gradus agnoscit, 34
Malabarica scripturae versio, 617
MALACHIAS quando vaticinatus sit? 116
Manuscripti codices veteris & noui testamenti, 416
Masorethārum labor, 402. quid de eo statuendum, 404

Materia ſubſtrata ſaepe reſtringit ſignificationem, 294
Mathematicarum diſciplinarum in ſtudio exegetico vſus, 459. abuſus, 461
Medicae artis in ſtudio exegetico vſus, 459. abuſus, 493
MEIBOMII audacia critica, 424. ſeqq.
Memoria interpreti neceſſaria, 12
מימרא *memra* in chaldaicis paraphraſibus quid deſignauerit? 649
Menſurae in ſacro codice obuiae, 467
Metaphorae emphaticae, 351
Metaphorica vocabula ſtili ſacri breuitatem promouent, 42
Metaphorici textus quomodo tractandi? 736. regulae de methaphoris ſcript. interpretandis, 777
Metus Dei quid ſit? 143
Midraſchim iudaeorum, 669. ſeqq.
Miraculum Chriſti in nuptiis Cananaeis, 193. miraculorum Chriſti circumſtantiae neceſſariae deſcriptae, 41. 193
Miracula ſcripturae, 478. non ſunt per abuſum phyſices extenuanda, 484
Miſericordia Dei quid ſit? 142
Moab myſticus, 804
Montenſes Dii veterum, 568
Morbus Iorami, 490
Morborum biblicorum explanatores, 491
Moralis ſenſus, 95
Moralis philoſophiae in ſtudio exegetico vſus, 459. abuſus 461

Morum praecepta scripturae cum profanis auctoribus conferri possunt, 572
MOSIS Maimonidis character, 550.
Muhammedani Muhammedem in nostris scripturis quaerunt, 148
Mysteria scripturae, 47. 48. μυστήριον quid sit? 582
Mysticus sensus, 67. eius fundamentum, 68. 794. eius diuisio, 68. Est verus sensus, 69. 71. nonnullis male pro nuda adcommodatione habetur, 69. 70. dignitate litteralem antecedit, 72 suo modo est argumentatiuus, 72. non in quolibet scripturae loco quaerendus, 73. ex quibus criteriis agnoscatur? 73 seqq. caute tractandus, 78. quomodo demonstrandus? 791. quomodo in vaticiniis prophetarum detegendus? 801. seqq.

N.

Nexus propositionum internus & externus, 355
Nomina propria saepe sunt significantissima, 43. eorum apud ebraeos ratio, 520. eorum collectores & interpretes, 520. 521
Nomina MESSIAE quis collegerit? 172.
Nomina personarum & *locorum* in vaticiniis saepe sunt mystica, 802
Noui test. scriptores saepe digitum intendunt ad loca vet. test. 160. 375
Nox quid sensu metaphorico denotet? 58
Nummi codicis sacri, 467. seqq.

O.

Obiectum orationis *personale*. 113. *reale* 115

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0898
DFG

Obscoenus sensus saepe locis innocentibus adfingitur, 37. 593
Obscuritas scripturae qualis? 46. est vtilis, 56. eius causſae, 47. seqq.
Obscura loca ex clarioribus interpretanda, 46. 103
Obseruationum sacrarum scriptores, 713. seqq.
Occasio dictorum obseruanda, 120. seq. non confundenda est cum scopo, 121. eius ignoratio saepe in psalmis & prouerbiis obscuritatem efficit, 121. eius notitia scopum suppeditat. 180.
ONKELOSI paraphrasis, 607
Onomastica sacra a quibus scripta? 521
Oppositio declarat vocis significationem, 272. & emphasin, 354
Opticae locutiones scripturae, 489. seqq.
Ordo vocum disturbatus est index affectus, 132. ordo in exegesi commendatur, 217. qui obseruandus est in totius systematis biblici dispositione, 218. in chronotaxi librorum & textuum biblicorum, 221. in dispositione singulorum librorum 225. in analysi separatarum libri partium, 238. in consecutione verborum, 246. maxime in gradationibus, 248. Ordinis etiam defectus suas causſas habet, 249. Ordo dicendorum nonnumquam ab ipsis scriptoribus sacris tacite insinuatur, 237. Ordo naturae saepe verborum ordini praeferendus, 245
Orientalis linguae cum ebraea conferri possunt, 272. 275. earum lexica harmonica, 276
ORIGENES sensum litteralem saepe deseruit, 60. ad allegorias promor, 79. defenditur, 85. eius critica in LXX. versionum, 405

Orthographia quas *emphaſes* polliceatur? 325. in ſignificatione eruenda eſt attendenda, 389

P.

Parabola quid ſit? 186. earum ſcopus obſeruandus, 187. ſcopus parabolae de diuite epulone 187. de operariis in vinea, 187. ſeq. Parabolis Chriſti multae ſimiles in Talmude occurrunt, 537. ſeq.

Parabolici textus 738

Παραβουλέυεσθαι Phil. II. 30. male a nonnullis vexatur, 586

Paradiſi terreſtris ſitus, 524

Παραδειγματίζειν quid ſit? 559

Paraenetici ſcript. libri quomodo diſponendi? 231

Paralleliſmi definitio, 363. fundamentum 365. diuiſio in verbalem, 366. & realem, 368 media & adminicula, 371. obſeruationes, 375. cautelae, 381.

Paralleliſmus realis ſignificationem vocis confirmat, 283 non ſemper verbalis, 284. nec paralleliſmus profanorum auctorum, 284 quomodo differat ab analogia fidei? 364. an abſolute neceſſarius, 761. adfectum nonnumquam prodit 133. 136 vbi inueniatur. 371. Parall. primi & ſecundi ordinis, 369. adaequatus & inadaequatus, 396. ſpurius 382

Paraphraſes condendi ratio, 706. earum varia genera, 707. auctores, qui ſcripſerunt paraphraſes poeticas, 709. proſa oratione, 711. paraphr. *chaldaicae*, earumque hiſtoria, 606. & vſus, 645.

Parentheſes ſtili ſacri probe obſeruandae, 39. 40

Partes idearum compoſitarum ſeorſim exponendae, 311

Particulae non negligendae, 50. saepe sunt indices adfectus, 136. earum natura, 202. sedes emphasium 322. 327. 338
Πάσχα perperam a πάσχειν deriuatum, 261
Patres ad allegorias nimis proni, 76. Christum in scripturis quaesiuerunt, 148. saepe vbi non est, 164. Patrum exegesis, 56. auctoritas quanti in re exegetica facienda? 100. seqq. eorum praecipui commentatores, 677.
PAVLVS ordinis obseruantissimus, 199. quomodo cum bestiis pugnauerit? 286. eius φελόνη, 286. eius vita a quibus descripta? 509
Periodi temporum quatuor illustres, 162
Persicae versiones scripturae, 616
Perspicuitas scripturae, probatur, 45. quatenus criterium sit veri sensus? 765
Personae vet. test. memorabiles typicae fuerunt, 77
Persona loquens quomodo indaganda? 108. 110. non semper suo nomine loquitur, 111. personarum mutationes, 111. seq. in iis obseruandis VITRINGA & TILLIVS excellunt, 113
Persona ad quam, vel *de qua*, sermo est, quomodo inuestiganda? 113. 114.
Peruschim iudaeorum, 671.
PHILO hist. creationis allegorice interpretatur, 85
Philosophia an sit scripturae interpres? 95
Philosophorum gentilium placita an cum dictis scripturae conciliari queant? 597
Philosophicae notiones vocum sacrarum. 582
Phrases integrae quomodo tractandae? 300
Phrases ebraeas quinam collegerint? 391
Physices in studio exeget. vsus, 473. abusus, 480

Physica in scripturis obuia a quibus explicata? 476
Platonica philosophia multa monstra alit, 594. 595
Pleonasmi scripturae otiosi non dantur, 342. 299
Poetica repraesentatio in psalmis, 222
Poetarum in *fabulis* multi nimis perspicaciter histor. sacrae vestigia indagauerunt, 597
Politicas sacras quinam scripserint? 460
Polyglotta biblia a quibus adornata? 637 seqq.
Ponderum in codice sacro obuiorum explicatio, 466
Pontifici in sensu multiplicando excedunt, 56. 57
Porismatum definitio, 805. discrimen inter dogmata & porismata, 805. seq. ius ad porismata deducenda, 806. seq. iuris fundamentum, 808. requisita porismatum, 809. eorum fontes, interni, 82. externi, 815
Practica scripturae *adplicatio* quomodo instituenda? 820. seq
Praeiudicia interpreti fugienda, 16. 17. speciatim ex historicis hausta, 523.
Praedicatum quomodo in exegesi tractandum? 305
Praeparatio ad actum exegeticum quomodo fieri debeat? 728
Πρᾶσσειν pro exigere, 559
Principa rationis quatenus in scripturae interpretatione admittenda? 98. cur non esse possint norma interpretandi? 99
Profani auctores non sunt constituendi iudices vocum sacrarum, 285. eorum vsus, 554. seqq. duo extrema circa illos euitanda, 555. media via, 557. illis non est maior fides, quam sacris adhibenda, 601
Prolegomena biblica a quibus composita? 715
Promissiones de statu populi post captiuitatem babylonicam

Ionicam beneficia Messiae complectuntur, 177. Promissionum scripturae nucleus Christus est, 153
Pronuntiatio adfectui adcommodanda, 128
Propheticum donum hermeneuticum sacra dicitur, 3. 89
Prophetarum stilus 52. adfectus, quum mala praenuntiauerunt, 131. testimonium de Christo, 149. Prophetae posteriores clarius multa eloquuntur, quam priores, 163. Prophetas interpretandi genuina methodus 152
Prophetici libri quomodo disponendi? 229. Prophetici textus quomodo tractandi? 741. et eorum sensus demonstrandus, 779. seqq. Propheticus sensus 65
Prophetiarum implementa non fingenda, 62. quomodo tractanda? 743. 786
Propositionum varietas. 51. 446. quomodo illae obscuriores euadant, 52. propositio integra quomodo illustranda? 307. earum cohaerentia cum proximis, 308
Propria ac *figurata* oratio quomodo discernenda? 432. 774. *Propria* verborum *significatio* retinenda, & quare? 59. quando sit deserenda? 60. 774.
Propria nomina, 50. 520.
Prouerbiorum Salomonis dispositio, 231
Prouerbiales locutiones stili sacri, 394. seqq.
Psalmi non sunt ordine chronologico dispositi, 223. quomodo tractandi in analysi logica? 232. Psalmorum maxima pars de CHRISTO agit, 161
Pseudhermeniῶν fontes, 722
Puritas stili noui test. 401

R.

Rabbanitae, 666
Rabbinicorum scriptorum vsus, 530. auctores, qui ea ad vsum exegeticum transtulerunt, 538. seqq. rabb. scripta non sunt ad ostentationem adhibenda, 553
Rabboth, 670
Radices cognatae, 262. 263
Ratio humana non potest esse principium & norma interpretandi, 93. eius vsus instrumentalis in exegesi, 95. 96. 782. ratio *subiectiue* spectata, in homine irregenito, 96. regenito, 97. *obiectiue* spectata, 98
Ratiocinorum apostolicorum vis commonstranda, 316
Realis explicatio quomodo instituenda? 301. seqq.
Rei natura & indoles vocis significationem determinat, 281
Regeniti hominis *ratio* cur non possit esse norma interpretandi, 97
Responsiones Christi saepe referuntur ad tacitas auditorum cogitationes, 39. 207
Restrictio significationis, 291. 293. maxime in tropicis locutionibus, 294
Rhetorica interpreti vtilis, 14. 429. in dignoscendo charactere dicendi, 430. in discernenda oratione propria ac figurata, 432. in tropis indagandis, 434. in figuris, 435. eius abusus, 436
Ritus antiqui emphases suppeditant, 347. ex profanis auctoribus addiscuntur, 565. ex ritibus antiquis quinam scripturae loca illustrauerunt? 566. ritus aegyptiorum, persarum, graecorum, romanorum

a quibus descripti? 567. cautelae circa illorum vsum, 587
ad *Romanos* epistolae occasio, 120. scopus, 180. scopus capitis noni, decimi & vndecimi, 184
RVTHAE libellus; eius scopus, 182. analysis, 229.

S.

Samaritanus textus pentateuchi, 611. Samaritana pentateuchi versio, 613
Scepticismus exegeticus, 289
Scopus loquentis obseruandus, 145. seqq. significationem vocis determinat, 282
Scopus, scripturae *communis* est CHRISTVS, 147. cuiusuis libri biblici *proprius*, quomodo inueniendus, 178 seqq. qui hoc argumentum tractauerint? 181. plures saepe sunt eiusdem libri scopi, 181. seqq. Scopus *specialis* partium alicuius libri maiorum, 183. minorum, 184. maxime illarum, quae nullam videntur habere vtilitatem, 185. *specialissimus* in singulis verbis ac phrasibus, 188 in descriptionibus Dei, 192. in precibus sanctorum, 193. in miraculis Christi, 193. in locis, quae ius talionis exhibent, 193. 195
Scribae publici RICH. SIMONIS sine fundamento excogitati, 422
Scriptura se ipsam interpretatur, 102. num loquatur de rebus naturalibus ad captum vulgi? 488
Sedes materiarum obseruandae, 101. 103
Sensus fundamentum, 53 54 definitio, 54 55. diuisio, 55. ratione obiecti, 57. subiecti, 82. formae, 83
Sensus grammaticus, 57. litteralis, 62. moralis, 65. propheticus 65. plenus & compositus, 95 mysticus,

97 naturalis 82 carnalis, 82. 83. salutaris, 82. genuinus, 833 spurius 83. seqq.
Sensus cum analogia fidei pugnans cur falsus? 104. Sensus veri *criteria*, 749. quomodo sensus confirmandus & illustrandus? 313.
Septuaginta interpretes parallelismum verbalem subministrant, 377. earum versio, 617. seqq
Sermonis origo, 53
Serpens aeneus 189
Significatio vocum ex quibus fontibus deriuanda, 256. hieroglyphica, a quibus excogitata, 257. Petenda est ex vocis etymologia, 259. radicibus cognatis, 262. vsu biblico, 263. oppositione, 272. ex linguis orientalibus, 272. nonnumquam etiam ex profanis auctoribus, 558. ex quibus tamen significationes vocum diuersae non sunt ad pompam cumulandae, 585
Significatio intra contextum quomodo definienda? 278 signif. propria & famosa retinenda, 279. tropica quomodo eligenda? 287
Silentium etiam *scripturae* nonnumquam porismata subministrat, 822
Simplicitas stili sacri, 33
יין, iudaeorum de illo fabula, 535
שמים, absonae eius etymologiae, 260
Sociniani emphasibus scripturae abutuntur, 357. vaticinia V. T. ad Christum tantum mystice adcommodari statuunt, 69. rationem ducem in rebus diuinis sequuntur, 94. Deo adfectus proprie dictos tribuunt, 139.
Soleciſmi num dentur in stilo vet. test. 397. & noui test.

test. 399. seqq. Soloecismo adparentes ex profanorum auctorum collatione dispelli possunt, 564
Σωτὴρ, 584
SPENCERI sententia de origine rituum Mosaicorum, 587 sqq. contemtus interpretationum mysticarum, 792
Spes Dei quid sit? 143
שׂוּם formaliter rei *marginem* denotat, 267
Stannum quid emblematice designet? 61
Stellarum in sensu metaphorico significatio, 777
Stigmata veterum; 566
Stilus nou. test. qualis? 23. vnde obscurus fiat 52. libri auctorem prodit, 109. seq. Stilus virorum sacrorum diuersus, 431. quomodo a stilo profanorum auctorum differat? 436. seqq. Stilum noui test. cum stilo profanorum auctorum quinam contulerint? 561
Stoica philosophia pulchra specie multos incautos fallit, 595. 596
Stultorum nomina ex prouerbiis, 321
Subiecti & praedicati *situs* quomodo indagandus? 446 Subiecta sunt talia, qualia praescribantur a suis praedicatis, 113. 293. 785
Subiectum orationis quomodo tractandum? 302. 785
Subordinatio significationum quid sit? 288
Suffixa non negligenda sunt, 25
Symbola scripturae metaphorica a quibus illustrata? 304. eorum interpretatio certa dari potest, 775
SYMMACHI graeca versio, 624
Συμπολίτης & συμφυλέτης non sunt voces barbarae, 560
Synchyses non temere in scripturis statuendae, 344

Synonymiae biblicae 295. 367. caute tractandae, 49
Εὐγκρισις quomodo in vocibus plurium significationum instituenda? 281
Syntaxis ebraeae linguae a quibus exculta? 891. quas *emphases* suppeditet? 337
Syriaca versio *vet.* testamenti, 613. *noui* test. 613. 654 eius variae editiones, 614. eius vsus, 654

T.

Tabernaculum Mosaicum a quibus descriptum? 463
Talmudis historia, 531
Targumim, 605. targum Hierosolymitanum, 609. in hagiographa, 610
Tautologiae vitiosae in stilo scripturae sacrae non reperiuntur, 298
THEODOTIONIS graeca versio, 624
Theologia dogmatica & moralis quem vsum in studio exegetico habeat? 457. eius abusus, 458
ad *Thessalonicenses* epistola posterior *quando* scripta? 116. *vbi?* 119
Temperamentum scriptorum sacrorum indagandum, 127. it. personarum, de quibus, vel ad quas sermo instituitur, 137
Templi Salomonis & Ezechielis descriptores, 463 Templum emblema ecclesiae, 76. 77.
Tempus, quo sermo, vel liber editus, 116. 117. de quo sermo, vel vaticinium agit? 118
Testimonia profanorum auctorum quomodo adhibenda, 314
Textus sacri diuina auctoritas, 24 25. Integritas ratione litterarum, 26. punctorum vocalium, 27. accentuum, 28. integrarum pericoparum, 29. libro-

brorum, 32. Simplicitas cum maiestate coniuncta, 33. Efficacia, 35. Castitas & verecundia, 36. Cohaerentia, 38. Plenitudo cum breuitate coniuncta, 40. Certitudo, 44. 45. Claritas & perspicuitas, 45
Textus varii quomodo tractandi, & quidem *historici*, 731. *dogmatici*, 733. morales, 733. emblematici, 734. prophetici 741
ad *Timotheum*, epistola prior disposita. 234
Traditiones ecclesiae non esse possunt norma interpretandi, 100
Translocutiones textuum biblicorum, 224. 225.
Trinitas Platonica, 595
Tropi quomodo explicandi? 434. 438. seqq.
Tropi & *figurae* emphases suppeditant, 350
Typi saepe finguntur, 80. 81. eorum fundamentum, 795. quid circa typos *legales* considerandum? 796. seqq. it. circa typos *historicos*, 799
Typici textus quomodo tractandi? 738
Typologia sacra ex iudaeorum etiam scriptis iuuari potest, 540

V.

Variae lectiones non indicant vniuersalem corruptionem, 32. 413. non sunt multiplicandae, 415. earum abusus, 427
Vaticinia plurima de rebus Noui Testamenti agunt, 81. plura saepe implementa agnoscunt sibi inuicem subordinata, 42. Vaticinium de Christo subinde clarius prolata, 162. antegressa & consequentia inter se conferenda, 212. eorum implementa, 743. 786
Velatio faciei quid denotauerit? 565

Ve-

Velum iudaeorum cordibus impositum quid sit? 542
Verborum natura explicatur, 442
Verecundia scripturae, 36. seqq.
Veritas rerum quatenus sit criterium veri sensus? 763. seqq.
Versiones scripturae sunt beneficium Dei, 603. fontibus tamen non praeferendae, 604. saepe emphases suppeditant, 349. earum crisis ad grammaticam pertinet, 396
Versiones orientales antiquae, 605. seqq. recentiores, 615. seqq. Versiones *occidentales*, antiquae, 617. seqq. recentiores, 629
Versio chaldaica, 605. samaritana, 611. syriaca, 613. arabica cet. 615. graeca, 617. latina vulgata, 625. germanica, 634
Versionis virtutes, 642. vsus, 643. inprimis paraphrasium chaldaicarum, 645. graecae versionis LXX. interpretum, 651. syriacae, 654. vulgatae, 655. recentiorum & vernaculae, 656. abusus, 658
Versiones non nimis extollendae, 659. neque ex illis fontes corrigendi, 660
Versuum distinctio in vet. test. 227. in nouo, 228
Vetus testamentum quomodo in nouo inueniatur 376. Veteris test. *de Christo adlegationes*, in *nouo* factae, quomodo tractandae? 159. seqq.
VIRGILII eclogam IV. de Christo intellexit EVSEBIVS 158
Vocabula peregrina obscuritatem efficiunt, 49. Voc. quibus scriptores sacri *nouas ideas* adiecerunt, 581

Voeum semel, vel rarius occurrentium significatio quomodo inuestiganda? 273
Vocalium puncta pro lubitu mutare non licet, 769
Vsus vocis apud sacros & profanos auctores, 348. seqq. *Vsus biblicus* in significatione vocum definienda consulendus, 263. formalem vocis significationem suppeditat, 266. *Vsus* loquendi, 751
Vulgatae versionis historia, 625. pretium, 626. vsus 655
Vulgi erroribus num se scriptura adcommodet? 486. seqq
Vulpes Simsonis male in manipulos stramineos convertuntur, 280. 576


Z.

Zabiorum notitia, 512
Zachariae prophetae analysis, 230
צהר in arca Noachi quid ex mente DICKINSONII fuerit? 481
Zelotypia Dei quid sit? 143

FINIS.

Compingi cum his institutionibus in vnum volumen commode potest:

Commentatio hermeneutica de sensus mystici criteriis, ex genuinis principiis deducta, necessariisque cautelis circumscripta. Ienae ex officina Hartungiana. 1731.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1045861235/phys_0916
DFG

enim ex consensu hominum
unt, sic quoque symbola ex
num signa rerum facta sunt.
ibus ad varios usus inventa
concisius, alia, ut rem di-
em obscurius proponerent.
ex asse respondent, cognitio
ua. Verum si in ea vendi-
us, est obscura, & paucis
su, maior cognitionis sym-
ræ cognitionis, perspicuitas
n casu, certæ innixa linguæ
llam in se certitudinem &
st tamen illis symbolis cer-
onciliari, si symbola & res

lis, alibi occurrentibus, non
doctorum Iudæorum & Maso-
de quibus IO. BVXTORFIVS
brum, quarumque etiam ali-
in *Clave Masoræ Cap. II.* &
in fol. Basil. A. cIↃ IↃc xx.
symbolis יה״בו indicant,
יקותיאל Iekutiel sacerdos
bros Chronicorum, Psalmos,
sce literis רת״קע designant.
los hæc doctrina, arcana do-
is & Christianis abscondenda
onem symbolicam se recepe-
tibus doctrinas, ex illorum
istianis, quos גוים vocant,
runt. Inde Christiani fabu-
m magistris imputarunt. Ast
a Iudaeis studio ita esse con-
diffitentur, quam credere,
es Iudaeorum tot fabularum
inven-

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 520
Patch Reference numbers on UTT
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1045861235/phys_0917
DFG